

Wilhelmus Godofredus de Sche
S: R: J: Eques.






# LITERÆ PROCERUM EUROPÆ.

*PARS II.*





## ELENCHUS LEMMATUM, LITERIS

Anno Christi 1658. usque ad Annum 1683. in hac

## *SECUNDA PARTE*

contentis, præpositorum.

---

ANNUS MDCLIIX.

ad

cui

Regni Poloniae Cancellarii, ad praeinſertas *Bartholdi Hartwigii Bülovii*, ſupremi, qui in praeſidium Thorunienſe Imperium militare exercebat, Praefecti, cui ſimul urbis ad incitas redactae honeſtam deditionem ſvadet, 1658. pag. 1005

(X) Literae *Bartholdi Hartwigii Bülovii*, Primarii Praeſidii Thorunienſis Gubernatoris, ad *Nicolaum Prazmovium*, Supremum Regni Poloniae Cancellarium, a quo obnixe contendit, velit ſibi a Rege Poloniae impetrare libertatem mittendi ad Regium Fratrem, Mariaeburgum verſus, perſonam quandam, quae ab ipſo dedendae urbis veniam rogare queat, 1658. pag. 1007

(XI) Literae *Nicolai Prazmovii*, ſupremi Regni Poloniae Cancellarii, ad *Benedictum Oxenſtiernam*, Regni Sveciae Senatorem & Cancellariae Conſiliarium, quibus ad praecedentes Bülovii Literas reſpondet, &, oblata literarum Mariaeburgum mittendarum venia, denuo dedendae urbis mentionem injicit, 1658. p. 1009

(XII) Reſponſoriae *Benedicti Oxenſtierna*, ad praeinſertas *Nicolai Prazmovii* Literas, quibus ſe oblatam mittendarum Mariaeburgum literarum veniam grata mente recepiſſe, res tamen ſuas majori cum ſecuritate fore conjunctas aſſerit, ſi ſibi per Regem Poloniae, aliquem e ſuis Mariaeburgum verſus mittere, fuerit licitum 1658. pag 1010

(XIII) Literae *Friderici III.* Daniae Regis ad *Stephanum in Czarnca Czarniecki*, Terrarum Ruſſiae Palatinum, & exercituum Regis Poloniae Generalem, cujus heroicam in conflictibus cum Svecis commiſſis virtutem egregiis mactat encomiis, 1658. pag. 1012

CCCXVIII. Literae *Friderici VVilhelmi*, Electoris Brandenburgici, ad *Richardum Cromwellium*, Reipublicae Anglicanae Protectorem, quibus vehementer in Svecos invectus, ipſum, ne deſtinatas Sveciae Regi ſuppetias ſubmittat, ſollicite hortatur, 1658. pag. 107

ANNUS MDCLIX.

CCCXIX. Literæ tuti & ſalvi commeatus a *Johanne Caſimiro*, Poloniæ Rege, *Svecicis Conſiliariis*, ad Pacis tra-

CCCXLV.

ANNUS MCCLX.

CCCLXVI.

ANNUS

(XIV.) Literæ *Caroli* II. Magnæ Britanniæ Regis, ad *Carolum* XI. Suecorum Regem, cui se nuper ad avita Regna sua placide & tranquille restitutum esse nuntiat, & sinceræ sanctioris inter Reges necessitudinis officia offert, 1661. pag. 1014

CCCLXXXII. Literæ *Johannis Georgii* II. Saxoniæ Electoris, ad *Ferdinandum* II. Magnum Hetruriæ Ducem, cui de feliciter contracto filii primogeniti cum Principe Aurelianensi matrimonio gratulatur, 1661. pag. 254

CCCLXXXIII. Literæ ab *ordinaria S. R. Imperii Deputatione* ad *Ludovicum* XIV. Galliæ Regem, cui caussam Comitum de Nassau Saarbrücken & Baronum de Siekingen, restitutionem Comitatus Saarwerdensis &c. a Duce Lotharingio praestandam, spectantem, sollicite commendat, 1661. pag. 255

CCCLXXXIV. Literae *Johannis Casimiri*, Poloniae Regis, ad *Leopoldum*, Rom. Imperatorem, quibus ab eo, ut Franciscum de Lisola, Legatum suum, sibi rationibusque suis valde molestum, revocare haud gravetur, obnixe contendit, 1661. pag. 257

CCCLXXXV. Literae *Gustavi Adolphi*, Ducis Megapolitani, Lineae Gustroviensis, ad *Carolum* XI. Suecorum Regem, apud quem inhibitionem operis ad Ostium Warnae, jussu Regio, exstruendi, & abrogationem telonii ibidem constituti instanter urget, 1661. pag. 259

CCCLXXXVI. Responsoriæ *Caroli* XI. Suecorum Regis, ad praeinsertas *Gustavi Adolphi*, Ducis Megapolitani, Literas, quibus sibi in portubus & littoribus Megapoleos omnibus, singula telonii jura, vigore Pacis Westphalicæ competere, demonstrare conatur, 1661. pag. 261

CCCLXXXVII. Literae *Leopoldi*, Rom. Imperatoris, ad *Franciscum de Lisola*, Legatum suum, quibus ipsum, qualem se circa differentias inter semetipsum & aulam Poloniae exortas gerere debeat, instruit, dulcique constantis gratiae suae promissione solatur, 1661. pag. 273

CCCLXXXIIX. Literae *Wenceslai Comitis de Lesno*, Archipraesulis Guesnensis, ad *Fridericum Wilhelmum*, Electorem Brandenburgicum, quibus dilatam de-

 nuo

ANNUS MDCLXIV.



CCCCIX.

ANNUS MDCLXV.



fe-

mi

mi Barclaji, in praelio exanimato, ipsorum permissu in Angliam transvehendo agentes, *1666.* pag. 434

CCCCLI. Literae *Caroli* XI. Svecorum Regis, ad *Leopoldum* Rom. Imperatorem, quibus ipsi illegitimos Bremensis Civitatis conatus Linciano sub-& obreptitie emendicato solum niti Privilegio exponit, eumque, ut integram controversiarum seriem per Principales pacis Westphalicae partes contrahentes, ad dictae pacis contenta velut indubitatam & legitimam normam, examinari & decidi curet, amice requirit, *1666.* pag. 435

ANNUS MDCLXVII.

(XIIX) Literae *Johannis Casimiri*, Poloniae Regis, ad *Alexandrum Papam* VII. cui, quo in arcto & praecipiti Statu res Poloniae, ob metuendum a Turcis bellum sint, submisse refert, atque eum, ut Reipublicae tot bellis laceratae paterne subvenire contendat, impense precatur, *1667.* pag. 1019

(XIX) Literae *Johannis Casimiri*, Poloniae Regis, ad *Cardinalem Sancta-Crucium*, cui, ut rebus suis, durante praesentis belli tempore, pondus addere apud Pontificem haud gravetur, amice injungit, *1667.* p. 1023

(XX) Literae *Senatoris cujusdam Polonici*, ad *Cardinalem Ursinum*, Regni Poloniae Protectorem, cui literas Regis sui, summo Pontifici confestim extradendas & Regni Poloniae curam ac Patrocinium impense commendat, *1667.* pag. 1023

CCCCLII. Literae *Johannis Casimiri*, Regis Poloniae, ad *Leopoldum*, Rom. Imperatorem, cui inopinatam Tartarorum in Poloniam irruptionem & imminens eidem a parte Turcarum cruentissimi belli periculum exponit, & ab eo totiusque Germaniae Proceribus beneficum tanti oneris sublevamen sollicite efflagitat, *1667.* pag. 447

(XXI) Literae *Johannis Casimiri* Poloniae Regis, ad *Johannem Georgium* II. Saxoniae Electorem, a quo copias auxiliares sibi contra Turcas submitti obnixe rogat, *1667.* pag. 1025

(XXII) Literae *Johannis Casimiri*, Polonorum Regis, ad *Fridericum Wilhelmum*, Electorem Brandenburgicum, quibus ipsum, dum proximus Poloniae paries atroci belli Turcici flamma arderet, res suas agi, edocet, eaque de causa sufficientes sustinendo torrenti suppetias

simum

stei-

ANNUS MDCLXXI.



 &

ANNUS

 præ-

DLXIV.

DXCIIX.

DCV.

DCXII.

DCXII.

DCXLVI.

LITERAE



# LITERÆ PROCERUM EUROPÆ.

## CCLXXX.

*Litera PHILIPPI MEADOWE, Internuncii Reipublicæ Anglicanæ ad Daniæ Regem extraordinarii, ad CAROLUM GUSTAVUM, Suecorum Regem, cui Daniæ Regem, inchoando de Pace tractatui Commissarios jam denominasse nuntiat, utque idem efficere & locum congressui indicare haud gravatim velit, instanter & submisse rogat, 1658.*

IN absentia nobilissimi Domini Jephsonii Ablegati extraordinarii Angliæ ab Aula Vestra Regia, cujus ministerio in hoc negotio versus Majest. Vestram uterer, fretus clementia Vestra, proque mediatorio, quod inter hæc duo regna Septentrionalia sustineo munere, præsentium latorem unum e domesticis, cum his literis immediate ad Serenissimam Majestatem Vestram amandavi. Serenissimus Rex Daniæ, ad prævertendam ulteriorem Christiani sanguinis effusionem, bellumque hoc funestissimum sub justis sinceræ pacis conditionibus amicabiliter quamprimum finiendum, nominavit & constituit Commissarios suos & Plenipotentiarios, Joachimum de Gersdorp, Dn. Tundbyholm, Equitem auratum, magnum Aulæ magistrum, & Christianum

Scheel, Dn. hæreditarium in Waloë, utrosque Senatores Regni Daniæ, qui cum Commiſſariis Maj. Veſtræ pari auctoritate munitis, loco & tempore a Majeſtate Veſtrà nominandis congrediantur, ad pacem inter hæc duo regna ſtabiliendam. Placeat igitur Sereniſſimæ Majeſt. Veſtræ ad inſtantiam atque interventum Sereniſſimæ Celſitudinis, Dn. mei Clementiſſimi Commiſſarios ſuos pariter deputare, locumque & tempus præfigere, nec non ſalvos conductus debita forma pro me ipſo & præfatis Dominis Commiſſariis Danicis extradi jubere, quibus acceptis, loco & tempore ita præfixis mox affuturi ſumus. Nec dubium eſt, quin benedicente Deo Maj. Veſtra honeſtiſſimam pacem intra pauciſſimos dies referat. Interea temporis, ſi Sereniſſimæ Daniæ Maj. arma ſua ulterius inferri prohibeat, cum juſtorum armorum finem, nempe & juſtam & honeſtam pacem jam acquiſiverit, adeoque ſucceſſu & felicitate ſua clementer & moderate utatur, rem proculdubio Deo acceptam Chriſtiani orbis Principibus gratam atque immortali nominis ſui gloria dignam faciet. Quod ut benigniter velit Majeſt. Veſtra, Clementiſſimi Domini mei verbis & nomine inſto & rogo. Quem ſingulari hac gratia ſuoque rogatui indulto beneficio ſibi æternum Majeſtas Veſtra demerebitur. Deus Opt. Max. Maj. Veſtram incolumem diu & florentem ſervet, ita animitus vovet

Sereniſſimæ Suæ Celſitudinis,
Reip. Angl. Scot. & Hybern. Protectoris,
*Ablegatus Extraordinarius*

*Hafniæ 3. Febr. Anno 1658.*

Philippus Meadowe.

CCLXXXI.

## CCLXXXI.

*Reſponſoriæ CAROLI GUSTAVI, Regis Sueciæ, ad præcedentes ANGLICANI INTERNUNCII Literas, quibus propenſiſſimum ſuum in pacem deſiderium indicando bina congreſſui habendo loca deſignat, ac arbitrio Regis Daniæ, utrum eligere ex illis placeat, permittit, 1658.*

Carolus Guſtavus Dei gratia Suecorum, Gothorum Vandalorumque Rex &c. Gratiam & favorem.

*Illuſtris, nobis ſincere dilecte,*

Literas tuas Hafniæ ad Nos pridie harum datas recte accepimus, ex iisque didicimus, cum ſingularem tuam in reconciliandis animis curam, tum etiam novum Daniæ in pace, quantum apparet, ſerio recuperanda ſtudium; Quorum altero, quia pro mediatorio, quo dufungeris munere, nobis dexteritatem tuam ac fidem comprobas, gratias tibi agimus, ac merita tua condigno modo compenſanda cenſebimus; alterum tanto Nobis eſt acceptius, quando jam diu actiones Noſtras eo dirigimus, ut illius, quod nunc a Dania conceditur, compotes fieri poſſimus. Optamusque, ut aut nunquam ad hoc incendium perventum fuiſſet, aut erumpenti flammæ matura extinguendi media comparuiſſent, ac noſtris pacificis oblatis nonnihil datum fuiſſet; Factum eſt, neſcimus qua ſive præmatura implacabilis vindictæ pertinacia, ſive animi temeritate, ut inclinationi & propenſioni Noſtræ in opus omnium humaniſſimum nullus relinqueretur locus, quin anceps belli alea, apud

Danos cæteris omnibus remediis antehabita, pacis consilia studiaque ita corrupit, ut quamvis nisu tuo, compositionis spes non exigua Nobis subjiceretur, res tamen ipsa nunc in electione & multiplicatione Mediatorum, nunc in adcrustandis aliarum gentium negotiis, quibus cum Septentrionalium Regnorum controversiis nulla est communio, hæreret, nunc discessus ab antiquo more Iocove post Stetinensia pacta semper usitato supplantaretur, adeo ut quæsitis injectisque undique impedimentis, quibusvis palam constaret, Daniam pacis reducendæ gloriam præ dubio Martis conflictu vilem habuisse. Cum autem divina jam ope eo res deducta sit, ut cum sanioribus consiliis in gratiam reverti videatur, Nos quoque propositis nostris pristinis insistentes constans nostrum tranquillitatis studium sanguinis Christiani profusioni libenter præferimus. Atque ut hoc Serenissimus ac Celsissimus Dominus Protector, cujus operam in hoc negotio permagni facimus, aliique Principes Christiani manifeste perspiciant, atque insimul temporis aliæque ex diuturniori bello subnascentes jacturæ redimantur, consentire mox decrevimus, ut mediantibus respective Galliæ & Angliæ Ministris, salutare pacis opus peragatur. Et quia res ipsa poscit festinationem, Nobisque relictum sit, locum statuere, commodissimum arbitramur, ut intra octiduum ab hoc dato, in Insulis sive Sproo, sive Langelandensi, urbe Rudcopia, prout ex his alterutrum locum Regi Daniæ eligere visum fuerit, utriusque partis Commissarii sufficienti autoritate congrediantur, & pacem vigore omni re-

stabi-

ſtabilire conentur. Quo autem negotii ſucceſſum nulla intercipiat mora, adjunctis hisce Salvo-Conductu & literis paſſus providere viſum fuit, ut non tibi ſolum, ſed etiam Regis Daniæ Commiſſariis plena tractandi poteſtate munitis, quam ſecurisſime tutisſimeque conſueto moratiorum gentium ſtylo venire, in loco tractatus commorari & pro lubitu diſcedere liceat. Atque ut nulla partes occupet cunctatio, a te clementer requirimus, quo poſtarum ſive tabellionum curſui ſic proſpiciatur, tam Noſtrorum in Sueciam usque ad Laholmium, quam Danicorum in Germaniam, quo literæ hinc inde mitti recipique posſint, prout hoc in ſuperiori inter hæc duo regna Septentrionalia bello receptum fuit. Multum vero intereſt, ut matura anticipatione res ſanetur, quandoquidem in ſuſpenſione armorum nullam Nobis promittimus ſecuritatem atque officiis procurandæ pacis tanto laborandum eſt utrinq; impenſis, quanto Chriſtiano orbi neceſſum eſt, ut declaretur, poſſe hæcce Septentrionalia Regna poſt conflatum bellum absque ambagibus non neceſſariis ad juſtam ſinceramque redire reconciliationem. Quibus benevoli reſponſi loco redditis Deo te commendamus. Dedimus Neoburgi Fioniæ, die 5. Februar. Anno 1658.

Carolus Guſtavus.

CCLXXXII.

*Litera FRIDERICI III. Daniæ Regis, ad CAROLUM GUSTAVUM, Suecorum Regem, quibus quid ipſi circa munimentorum evacuationem conſilii ſit, certior fieri cupit, 1658.*

Nos Fridericus Tertius, Dei gratia, Daniæ, Norwegiæ, Vandalorum, Gothorumque Rex &c. Serenissimo ac Potentissimo Principi & Domino Carolo Gustavo, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi &c. charissimo nostro Fratri, Consanguineo & vicino, ut amicus & vicinus salutem dicimus, & quicquid præterea bonorum acceptorumque officiorum a Nobis proficisci poterit, offerimus.

*Serenissime & Potentissime Princeps, charissime Frater, Consanguinee & vicine.*

PErquam ingratum Nobis accidit, postquam inaudivimus, Dilectionem Vestram in animum induxisse, dilectique Nobis Oweni Julii missionem ad Dilectionem Vestram ita interpretatam, quasi propositum Nobis esset, pacis conditionibus inter Nostros, Vestræque Dilectionis Commissarios initis, quantum ad evacuationem munimentorum, remoras quasdam & difficultates injicere, cum potius Dilectioni Vestræ certo affirmare possimus, Nos nunquam commissuros, ut in Nobis quoad pacis executionem jure aliquid desideretur. Quem in finem tam Nostris Urbium munitarum & Castellorum præfectis, quam Commissariis Nostris jam tum clementer in mandatis dedimus, ut Dilectionis Vestræ Commissariis definito & præscripto tempore eadem tradant atq; cedant. Id quod etiam Vestræ Dilectionis Deputato, illustri Domino Claudio Tott, Comiti in Carleby, libero Baroni in Sivendeby, Domino in Eckolsunda & Lehalslehn, Regni Sueciæ Senatori, Stabulario & militiæ equestris

ſtris Generali Majori, heſterna die aperiri fecimus. Quod autem dictum Owenum Julium ad Dilectionem Veſtram ablegavimus, in cauſa erat, quod deſiderabamus Dilectionis Veſtræ mentem circa munimentorum evacuationem cognoſcere, cum periculum eſſet, ut ejusmodi aëris tempeſtate imminente exercitus ex hac provincia excedere poſſit. Ingredimur interea in eam ſpem, futurum, ut Dilectio Veſtra admonitionem Noſtram in optimam partem accipiat, inchoatamque Nobiscum amicam confidentiam continuet, & in ſententia iſta permaneat, quo hoc honore frui, & in arce noſtra Friderichsburg die proxima Mercurii Dilectionem Veſtram coram convenire queamus. Nos quantum in Nobis, nihil temporis prætermittemus, quin inclinationem & affectum erga Dilectionem Veſtram ad mutuam benevolentiam exhibeamus & demonſtremus. Dilectioni Veſtræ proſperrima quæque tam animi quam corporis intime precantes. Dabantur in arce noſtra Hafnienſi die 28. Febr. 1658.

Veſtræ Dilectionis

*Frater, Conſanguineus & Vicinus*

Fridericus.

CCLXXXIII.

*Litera* OLIVERII CROMWELLII, *Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad* CAROLUM GUSTAVUM, *Suecorum Regem, cui, quod ſe ad ſuam Interpoſitionem, tam facilem Regi Daniæ Pacem concedendo, oſtenderit, gratias locupletiſſimas perſolvit,* 1658.

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c.
Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi, Carolo Guſtavo, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi.

*Sereniſſime Potentiſſimeque Rex, Amice ac Fœderate inviȼtiſſime.*

Multa ſimul attulere Nobis literæ Majeſtatis Veſtræ 21. Februar. in caſtris Selandicis datæ, cur & privatim Noſtra & totius Reipublicæ Chriſtianæ cauſa, lætitia haud mediocri afficeremur: primum quod Rex Daniæ, non ſua credo voluntate aut rationibus, ſed hoſtium communium artibus factus hoſtis, repentino Veſtro in intimum ejus Regnum adventu, ſine multo ſanguine, eo ſit redactus, ut quod res erat, utiliorem ſibi pacem bello contra Vos ſuſcepto tandem judicaverit: deinde cum is eam nulla ſe ratione citius poſſe conſequi exiſtimaret, quam ſi delata ſibi jam diu ad conciliandam pacem Noſtra opera uteretur, quod Majeſtas Veſtra ſolis Internuntii Noſtri literis exorata, tam facili pacis conceſſione oſtenderit, quantum Noſtra amicitia atque gratia interpoſita apud ſe valeret: meumq; imprimis in hoc tam pio negotio officium eſſe voluerit, ut pacis tam ſalutaris Proteſtantium rebus, uti ſpero, mox futuræ, ipſe potiſſimum unus conciliator atque auctor propemodum eſſem. Cum enim Religionis hoſtes conjunctas opes Veſtras alio pacto frangere ſe poſſe deſperarent, quam ſi Vos inter Vos commiſiſſent, habebunt nunc profecto, quod pertimeſcant, ne armo-

armorum animorumque, ut ſpero, Veſtrorum, hæc inopinata conjunctio ipſis belli hujus conflatoribus in perniciem vertat. Tu interim, Rex fortiſſime, macte tua egregia virtute; & quam felicitatem in rebus tuis geſtis victoriarumque curſu contra Regem nunc ſocium hoſtes eccleſiæ nuper admirati ſunt, eandem in ſua rurſus clade, Deo bene juvante, fac ſentiant

Majeſtatis Veſtræ

*Weſtmonaſterio ex Palatio Noſtro, die 30. Martii, 1658.*

*Studioſiſſimus*

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c.

## CCLXXXIV.

*Literæ OLIVERII CROMWELLII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad FERDINANDUM II. Magnum Hetruriæ Ducem, a quo, ut in Joſephi Armani audaciam, qua Joannem Hoſierum Londinenſem minis & inſidiis impediret, quominus competentem ſibi in eum juſtam actionem coram Liburnenſi Judicio inſtituere valeat, ſerio animadvertere & homini oppreſſo gratioſe ſubvenire velit, amice contendit, 1658.*

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c.
Sereniſſimo Principi Ferdinando, Magno Duci Hetruriæ.

*Sere-*

*Serenissime Princeps.*

QUod satisfactum iri arbitramur Celsitudini Vestræ a Nostro classis præfecto, qui ad portus Vestros nuper est delatus, Vestro apud Nos oratori respondimus: interim per libellum supplicem Nobis ostendit Joannes Hosierus Londinensis, cujusdam navis, cui Dominæ nomen, Magister, se, cum Anno 1656. mense Aprili, navem suam ex syngrapha (chartam partitam jus Nostrum vocat) Josepho Armano Italo cuidam locasset, isque factas in syngrapha pactiones ter aperte fregisset, coactum esse demum, ne navem suam, totumque onus ejus, sortem denique totam amitteret, more mercatorio declarata publice ejus fraude, & in tabulas publicas relata, Liburni in jus eum vocare: eum autem, ut fraudem fraude tueretur, adhibitis in societatem duobus aliis negotiatoribus litigiosis, de pecunia Thomæ cujusdam Clutterbuxi sex mille octenos, conficto quodam obtentu, petitoris hujus nomine occupasse: se post multas impensas consumptumque tempus, jus suum Liburni obtinere non posse; ne audere quidem propter adversariorum minas atque insidias, in judicio illic comparere. Petimus itaque a Celsitudine Vestra, ut cum huic homini oppresso subvenire, tum hujus adversarii insolentiam pro consueta sua justitia velit coërcere: frustra enim autoritate Principum Leges essent civitatibus latæ, si vis atque injuria, cum ne omnino sint leges, efficere non possint, possint efficere terrore ac minis, ne quis ad eas audeat confugere. Verum in

in hujusmodi audaciam quin mature animadverſura ſit Celſitudo Veſtra, non dubitamus; cui pacem proſperaque omnia a Deo Opt. Maximo precamur.

Celſitudinis Veſtræ

*Weſtmonaſterio ex Aula Noſtra, die 7. April. Anno Domini 1658.*

*Studioſiſſimus*

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c.

## CCLXXXV.

*Litera CONRADI BEUNINGII, Legati ad Regem Daniæ Belgici, ad Dominum WITTIUM, generalium fœderati Belgii Ordinum Graphiarium, cui Danorum animos quoad fœdus cum Suecis ineundum non parum frigere, inſtanti vero pacis executione & Ducis Holſato-Gottorpienſis poſtulatis valde turbari, refert, 1658.*

Domine mi.

IN proximis meis die Aprilis ad Te exaratis ſignificaveram, quod apud Danos non parum frigoris deprehendatur circa confœderationem, de qua Domini Legati Suedici heic tractant. Equidem illud ipſum adhuc ſatis licet animadvertere, ſed quoniam Sueci defenſivo quodam fœdere contenti ſunt, quod ſolummodo ſuper Regna Sueciæ & Daniæ ſe extendat, nullasque conquiſitas Sueco-

rum

rum provincias comprehendat, nec prius sit obligatorium, quam finita bella forent, quibus Suecia nunc occupatur, nullus dubito, quin hac ratione fœdus istud perficiatur, præsertim quod, ut intelligo, Commissarii Danici in novissimo congressu cum Legatis Suedicis per modum projecti se in hanc sententiam jamdum declaraverint. Sed ad plura alia se obstringendi nullam omnino ab hac parte propensionem invenio, & illi ipsi, qui de dictis factisque Legatorum Suedicorum certum aliquid & exploratum habent, mihi narravere, quod non parum conquesti, Danos in fœdere prædicto non ingenue agere, nec ejus sanctionem sincere & ex animo cupere, vehementer sibi caverent, consilia quædam ipsis communicare, quæ alias quempiam offendere possent atque irritare. Et ego firmiter mihi persuadeo, plures adhuc reperiendas heic difficultates, per quas impedietur, quo minus, isthoc præsertim tempore, circa ejusmodi proposita cum Suecis conveniri queat. Nihilominus ut hac in re magis extra periculum versarer, debitaque cura & vigilantia omne id, quod Suarum Præpotentium Celsitudinum commodo heic obesse possit, averterem ac declinarem, hesterna die Serenissimæ Regiæ Majestati obtuli, Magno vero Regni Magistro, quem dolor podagricus domi adhuc detinet & Regni Secretario commendavi his literis adjunctum Memoriale, quod formatum est ex mandatis illis, quæ Suæ Præpotentes Celsitudines d. 2. April. anni proxime præteriti Legatis suis, quantum ad negotia Suedica in hac aula injungere dignatæ sunt, & confido ego, proxima postarum

die

die me posse significare, quid responsi a Serenissima Majestate hacce in materia obtinuerim, in certam spem ingressus, fore, ut ex voto atque beneplacito Suarum Præpotentium Celsitudinum illud impertiatur, præprimis quod heic locorum sanctissime mihi affirmatum est, Serenissimam Regiam Majestatem omni fide atque studio in id incubituram, quo amicitiam & fœdera cum Suis Præpotentibus Celsitudinibus inita conservare & fovere queat. Pacificationes pacis utriusque Regis & Senatus Regni præterita hebdomade heic Hafniæ invicem permutatæ & extraditæ fuerunt, Interea ingentes querelas audire licet, quod Sueci nimis male pacis observantes sint, & tantum non quotidie ex diversis locis, ubi turmæ Suedicæ commorantur, de novis extorsionibus, spoliis & vexationibus contra Instrumentum pacis variæ querelæ adferuntur, ex quibus gravamina formata, & Legatis Suedicis tradita sunt, sed parum spei est reliquum, ut medicamine aliquo præveniantur. Domini Legati Holsatici sedulo & continue agunt atque tractant, cum Commissariis hujus Regis, intervenientibus Dominis Legatis Gallico & Suedicis, una cum Ablegato Anglicano, & multum negotii facessunt tractatus isti, cum non solum Holsati compensationes damnorum per militum confecti belli tempore hospitationes datorum, urgeant, sed & omnes veteres controversias inter domum Holsaticam lineæ Gottorpiensis & Regnum hocce pro commodo & beneplacito suo finitas velint. Primarium ipsorum postulatum est, ut Dux Holsatiæ & ipsius Descendentes omnes absolvantur & liberen-

rentur ab Homagio, quod ratione Ducatus Slesvicensis Regno huic alias præstare solent, & ab omnibus præterea obligationibus exinde defluentibus. Secundo, ut detur Duci Præfectura Suabstedensis, quæ ut mihi quidem narratum est, centum & quinquaginta præterpropter thalerorum Imperialium pretio suo exæquat, cujus dimidiam partem sibi competentem semper urserunt Duces Holsatiæ, quamquam regnum hoc jam dum septuaginta duorum annorum possessione gavisum fuerit. Tertio, ut communio regiminis & administrationis Ducatus Holsatiæ aboleatur, & ut reluitio damnorum superioris belli præsenti parataque pecunia fiat, una cum aliis non adeo magni momenti punctis, quæ scripto sunt exhibita, & ad quæ itidem scripto responsum fuit. Dani equidem libentissime compromissum aliquod inire vellent, cujus vigore universum hoc negotium uni vel alteri nullius partibus addicto Principi vel Statui committeretur, sed Holsati hac in re nolunt acquiescere, & finalem decisionem & compositionem flagitant, non solum virtute articuli Tractatus, qui requirit, ut ante Majum Duci Holsatiæ secundum æquitatem satisfactio fieri debeat, sed & exercitus Suedici, qui ut Domini Legati Suedici palam pronunciant, non discessurus sit, priusquam isthæc forent præstita. Et hæc est illa machina, quæ palam & occulto adhibetur in omni isto, ad quod Sueci Regnum hoc dispónere laborant. Et eo magis valida illa est, plurimumque efficit, quod ut heic quidem scimus, omnes illæ turmæ, quæ hanc Insulam ingressæ sunt, adhuc dispersæ illic com-

commorentur, ullæque earum fretum Balticum trajecerint, fortasſis eam ob cauſam, quod glacies, quæ omnes e mari Baltico advenientes tam ſupra, quam infra hanc urbem intercludit & arcet, ſimiliter tranſitum freti Baltici turbet ac impediat. Quo ipſo Te optime valere jubeo. Hafniæ, die 17. April. Anno 1658.

Conradus van Beuningen.

CCLXXXVI.

*Literæ COLLEGII ELECTORALIS ad PHILIPPUM IV. Hiſpaniarum Regem, quibus Ipſum, ut pacifici conventioni hinc inde cum Rege Chriſtianiſſimo ſuſceptæ, ultimum manum cuneumque admovere dignetur, ſollicite precantur, 1658.*

Sereniſſime & Potentiſſime Rex Catholice.

QUanto univerſus Chriſtianorum orbis ex eo, quod Regiæ Dignitati & Majeſtati Veſtræ cum Chriſtianiſſimo Rege nunc a viginti tribus annis continuis in diverſis partibus acerrime intercedit bellum, dolore & moleſtia afficiatur, id ex hoc abunde patet, quod dum potentiſſimi Europæ Proceres inter ſe vires ſuas collidunt, communis Chriſtiani nominis crudeliſſimus hoſtis ſuas perquam formidabiles & exitiales in Chriſtianitatis perniciem terra marique vaſtiſſime exerat & prædam eripiat, nullo forte tempore recuperandam. Cum igitur Nobis in hoc Electorali Conventu Congregatis, præcipue ex S. R. Imperii lege funda-

mentali, hæc cura incumbat, ut quæ vel interna sunt, vel externa circumstant belli pericula, pro virili faciamus & conemur sopire, in eumque finem etiam Poloniæ & Sueciæ Regibus inter se dimicantibus, ut optime fieri potuit, pacem suaserimus, eamque impetratum iri firmissime confidamus: Non ægre feret Regia Dignitas & Majestas Vestra, quod & Ipsam sedulo & peramanter ad eam cum Rege Christianissimo faciendam rogemus & invitemus, præsertim cum etiam patriæ Nostræ illius belli conterminæ, integra salus, plena securitas ab hac dependeat; & rem omnem tam Monasterii quam Romæ & Madriti per amicabiles Regiæ Dignitatis & Majestatis Vestræ cum Christianissimo Rege susceptos pacis tractatus fere ad finem usque feliciter deductam esse intelligamus, quem per excelsos & heroicos amborum Regum arctissimo sanguinis nexu sibi invicem devinctorum animos, etiam facile superari posse non dubitamus; Rogamus Regiam Dignitatem & Majestatem Vestram studiosissime, ut ad hoc Deo omnipotenti gratissimum, toti Christianitati, Nobisque desideratissimum & perpetuam gloriosi nominis sui memoriam tendens, sanctumque opus Regiam manum celerrime applicare, & hoc gloriosissimo beneficio cum universa Europa Nos & totum Imperium Romanum ad immortalem gratitudinem sibi, suæque Augustæ Domui æternum devincire velit. Quod dum ex corde vovemus, & Nos voti propediem compotes fore avide speramus, Regiæ Dignitati & Majestati Vestræ omnem regiam prosperitatem animitus apprecamur, Nostraque officia semper para-

paratisſima offerimus. Dabantur in conventu Electorali Francoforti ad Mœnum, 24. Aprilis, 4. Maji, 1658.

## CCLXXXVII.

*Literæ COLLEGII ELECTORALIS nomine, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, quibus eum, ut pacis tractatus cum Rege Catholico gliſcentes & ad exoptatum finem inclinantes, in totius Europæ emolumentum quantocyus finiri curet, blande compellat, 1658.*

### Sereniſſime & Potentiſſime Rex Chriſtianiſſime.

QUanto univerſus Chriſtianorum orbis ex eo, quod Regiæ Dignitati & Majeſtati Veſtræ cum Catholico Rege nunc a 23. annis continuis, in diverſis Europæ partibus, acerrimum intercedit bellum, dolore & moleſtia afficiatur, id ex eo liquide patet, quod dum hæ duæ Potentiſſimæ Coronæ inter ſe dimicant, viresque collidunt, communis Chriſtiani nominis hoſtis terra marique aliena invadit, & prædam devorat, nullo unquam tempore recuperabilem, unde merito timendum eſt, ne aliter ineſcatus, cum ſummo Chriſtianitatis periculo magis magisque evagetur; cum igitur a felici effectu pacis Gallo-Hiſpanicæ non tantum Sac. Rom. Imperii, ſed & totius Chriſtianæ Reipubl. ſalus, incolumitas & pax ejusque certa ſecuritas dependere videatur, resque ipſa tam Monaſterii, quam Romæ & Madriti per amicos Conſanguineo-

rum Regum tractatus fere ad finem usque promota dicatur, & volentibus excelsis heroicisq; utriusque Regis ad pacem inclinatis animis, quod reliquum est, facile superari possit; Rogamus Dignitatem & Majestatem Vestram quam studiosissime, ut pro ea quam semper testata est, erga pacem propensione, illam cum Catholico Rege celerrime ad finem deducere velit, eoque laudatissimo facto immortalem sui nominis gloriam magis magisque stabilire, Nosque & omnes S. R. Imperii Principes & Status ad perpetuam gratitudinem sibi devincire, quam studiis & officiis paratissimis semper contestari non intermittemus, cum quo Regiæ Dignitati & Majestati Vestræ omnem Regiam prosperitatem ex animo apprecamur. Dabantur in Conventu Electorali ad Mœnum 4. Maji, Anno 1658.

## CCLXXXIIX.

*Literæ a COLLEGIO ELECTORALI, Francofurti ad Mœnum congregato, ad JOANNEM CASIMIRUM, Poloniæ Regem exaratæ, quem, ut cum Rege Sueciæ, paci studente, pacificos conatus citra tergiversationem conjungat, ac interea ullum e Statibus Germaniæ belli molestiis per suos gravari haud permittat, amice requirit, 1658.*

### Serenissime & Potentissime Rex.

Constat palam, quam funestis bellis fere a Principio hujus seculi per triginta annos continuatis per Romanum Imperium, omnesque ejus circuli fuerint oppressi, dilacerati, exhausti, &

quam

quam difficulter pax tandem perpetua, veraque & ſincera amicitia inter belligerantes Monaſterii & Osnabrugis Weſtphalorum ante Novennium fuerit concluſa, eique a Principalium tranſigentium parte Regia Dignitas & Majeſtas Veſtra non minus quam omnes alii vicini Reges Principes & Reſpublicæ incluſæ, unde non immerito omnes boni Nobiscum illis condolent, qui in dictæ pacis limine de novo miſeriis bellicis ſunt implicati; Cum autem ſecundum fundamentales Imperii Leges id Noſtri potisſimum muneris ſit, ut patriæ ſaluti & publicæ ſecuritati, ut optime fieri poterit, conſulamus, & is belli ignis, qui jam diu in florentiſſimi alias Poloniæ Regni viſceribus ſævit, nunc aliarum partium acceſſione crudeſcere & magis magisque ſerpere videatur, timendumque ſit, ne una cum Regia Dignitate & Majeſtate Veſtra etiam vicinos utriusq; Saxoniæ Circulos implicet, prout querelæ deſuper multoties inde ad Nos allatæ conteſtantur, non poſſumus, quin Regiam Veſtram Dignitatem & Majeſtatem pro eo, quod ſemper coluit, pacis ſtudio, ſedulo hortemur, & peramanter rogemus, ut cum Serenisſimo Sueciæ Rege, utpote, ſecundum conteſtationes Nobis iterato factas ſine dubio ſimiliter æquis conditionibus ad pacem proclivi, eos ſine mora pacis tractatus concludat, quos ad mutuam ipſorum amicitiam & utriusque, ut & Imperii Romano - Germanici utilitatem & ſecuritatem, præcipue vero firmum Regni Polonici ſtabilimentum, a ſinceris Regiis & arcto ſanguinis vinculo conjunctis animis facile &glorioſe finiri poſſe non dubitamus,

 & con-

& confidimus, quod interea neutra pars, ullum Sacri Romani Imperii Statum ejusque subditos per incursiones vel invasiones, exactiones, transitus, hospitationes, aut alias quascunque militares molestias gravabit. Obligabit Regia Dignitas & Majestas Vestra præter afflictam Rempublicam suam, & Nos & omnes Sacri Romani Imperii Principes & Status singularissime; quin & totam Europam, quod Regnum antemurale quam diutissime salvum & incolume esse exoptat, dum sic vovemus, & voti nos compotes fore confidimus, Regiæ Dignitati & Majestati Vestræ omnem prosperitatem apprecamur, & paratissima officia nostra offerimus. Dab. ex Conventu Electorali Francoforti ad Mænum, 24. Aprilis, 4. Maji, Anno 1658.

## CCLXXXIX.

*Literæ a CONVENTU ELECTORALI, Francofurti ad Mænum instituto, ad CAROLUM GUSTAVUM, Sueciæ Regem, data, cui, ut cœptos cum Rege Poloniæ, ad pacem proclivi, pacificos tractatus, æquis conditionibus ad finem promovere studeat, sollicite imponunt, 1658.*

### Serenissime & Potentissime Rex, Domine Amice.

DUm eam, quæ ex parte Serenissimæ Sueciæ Reginæ in conclusione pacis Osnabrugensis cum perpetua nominis sui laude interposita fuit, sollicitudinem perpendimus, & gloriosissimum Regiæ

Regiæ Dignitatis & Majeſtatis Veſtræ ſtudium, quo ſinceram prædictæ pacis executionem Norimbergæ promovit, ipſoque facto cum immortali gloria ſua ſincere præſtitit, memoria recolimus, non poſſumus, non dolere, quod fax belli Germanici tantis curis & laboribus vix dum extincta inter Veſtram & Poloniæ Regias Dignitates & Majeſtates iterum inflammata fuerit, & tantus nunc ignis exortus ſit, ut niſi ſedatis & benignis utriusque Regis animis quantocyus refrigeretur, & extinguatur, non tantum Regnum Poloniæ, ſed & vicinas Germaniæ, præſertim vero utriusque Circuli Saxonici Provincias correpturus eſſe videatur. Cum igitur fundamentalis Sacri Romani Imperii lex id potisſimum Noſtræ curæ conjungat, & ſecuritati publicæ omni ſtudio proſpiciamus, ut Regiæ Dignitatis & Majeſtatis Veſtræ eadem ſit laudabilis intentio, prout non tantum confidimus, ſed etiam per Ablegatum ſuum deſuper identidem certi facti ſumus, Eandem diligenter & peramanter rogamus, ut cum Sereniſſimo Poloniæ Rege ſimiliter ad pacem proclivi & ad illam a Nobis pariter rogato, eos, qui jam cœpti ſunt, pacis tractatus, quam citisſime fieri poterit, æquis conditionibus ad finem promovere, & ſepoſita præteritorum memoria, factaque fida pace tum inter ſe, tum qui iisdem bellis involvi videntur, & Regiam Hungariæ Dignitatem & Majeſtatem ac Noſtrum Coëlectorem Sereniſſimum Brandenburgicum perpetuam, veram & ſinceram amicitiam ſtabilire hocque glorioſisſimo Regis & Germani Principis facto & funeſtis illis facibus

conſtanter extinctis, Nos omnesque Imperii Principes & Status, præſertim vero dictos Saxoniæ Circulos, utpote periculo viciniores, cum aliis adjacentibus provinciis publicæ tranquillitatis ſecuros reddere velit. Interea autem confidimus, utramque partem proſpecturam, ne ulli Sacri Romani Imperii Status ejusque ſubditi per invaſiones, tranſitus, hoſpitationes, exactiones, aut alio modo quacunque militari moleſtia afficiantur. Prout etiam Regia Dignitas & Majeſtas Veſtra in hac re publicum Imperii Intereſſe concernente in noviſſimo circuli ſuperioris Saxonici conventu ita ſe facturam per Legatos ſuos publice recepit. Devinciet certe ſibi totum Imperium maximopere ad gratitudinem nunquam intermorituram, & ſimul ad omnia officia, quæ Nos Eidem promptiſſima offerimus, & omnem Regiam felicitatem ex animo apprecamur. Dabantur in Conventu Electorali Francofurti ad Mœnum 24. Aprilis, 4. Maji, Anno 1658.

## CCXC.

*Reſponſoria CAROLI GUSTAVI, Suecorum Regis, ad COLLEGII ELECTORALIS literas, quibus in Domum Auſtriacam & Electoralem Brandenburgicam, tanquam juratos Regni Suecici hoſtes ac pacis & quietis publicæ elatos oſores acerbe invehitur, ſeque ab iis præter injurias & damna ſibi illata ubique contemptui exponi, graviter conqueritur, & niſi juſta ſui a Statibus Imperii ratio mature habeatur, iſta innocua defenſio-*

*ſionis circumſpecturum ac amplexurum media, quæ, cum naturæ tum necesſitatis leges licite adhiberi juberent, minitatur*, *1658.*

## Reverendiſſimi & Celſisſimi Sacri Romani Imperii Electores & reſpective Vicarii, Conſanguinei & Amici Chariſſimi.

QUas ad nos nomine totius inclyti Collegii Electoralis dederunt Dilectiones Veſtræ literas, paucos dies antequam navem conſcenderimus, Gotheburgo Noſtrum ad exercitum trajecturi, recte accepimus, ac ex iisdem didicimus, vigere adhuc in memoria Dilectionum Veſtrarum Sereniſſimæ ac Potentiſſimæ Reginæ Chriſtinæ in pace procuranda, tum etiam noſtram in ejusdem executione additam curam; dolere autem Dilectiones Veſtras, nos inter & Regem Regnumque Poloniæ eam ſubnatam eſſe belli flammam, quæ niſi propoſito aliquo remedio, reſtinguatur, Germania ipſa, atque imprimis utriusque Saxonici Circuli Provinciæ facile corripi & involvi poſſint: Cum igitur lex fundamentalis Dilectionibus Veſtris injungat, partes proſpiciendi, ne Imperium detrimenti aliquid capiat, Nos rogandos ratæ ſunt, ut cum non modo Rege Poloniæ ad pacem proclivi, ſed etiam cum illis, qui iisdem bellis involvi videntur, Rege Hungariæ & Electore Brandeburgico, ſepoſita præteritorum memoria, perpetuam, veram & ſinceram amicitiam reſtabilire velimus; quo ipſo Dilectiones Veſtræ dicunt, Nos totum Sacrum Romanum Imperium, ejusque Status & membra,

 vehe-

vehementer nobis devincturos esse. Nos equidem lætamur residere adhuc in animis Dilectionum Vestrarum Regni Sueciæ merita in reducenda libertate Germanica, & immensos labores in pace ejusdem quondam resarcienda, atque pro eodem amore, quo in Germaniæ salutem constanter ferimur, facere non possumus, quin circa hanc occasionem Dilectionum Vestrarum studia, quæ pro Imperii tranquillitate declarare conantur, impense laudemus, invicem Dilectiones Vestras rogantes, velint in suscepto tam pulchro proposito pertendere gnaviter, quo laudem, quam eo ipso mereri aggrediuntur, solidam & perfectam sibi efficiant. Quod Nos attinet, non dubitamus Dilectionibus Vestris constare, quanta & quam fida studia pro pace Germaniæ non minus sarta tecta conservanda, quam olim procuranda impenderimus. Dolemus autem & Nos studia Nostra & bonam intentionem non modo favorem non mereri apud nonnullos, qui tenore legum publicarum in eundem scopum nobiscum contendere deberent, sed reperiri etiam quosdam, atque inter eos potissimum, quos Dilectiones Vestræ in suis literis nominarunt, Regem Hungariæ & Electorem Brandeburgicum, qui clanculum & palam jam diu non nisi hostilia miscent, & hoc quidem sub religione publicæ piæque fidei, nec meliora, in quantum ex omni apparatu futuro assequi licet, Nobis inde expectanda veniunt. Nunc vero ut paulo altius rem repetamus, non potest Dilectionibus Vestris esse obscurum, quantam operam, curam & industriam Sueci impenderint desideriis

Ordi-

Ordinum Rom. Imp. explendis, cum flagrantibus adhuc in Imperio Romano belli flammis, & cogitationes nonnullorum animos occuparent, ut reductam pacem omnino caperent, & de condendis inter partes belligerantes certis tranquillitatis legibus ageretur, non quod neceſſitas omnino ita ſuaderet, præcipuas & eminentiores tunc armorum partes tenentibus, ſed quia bellum gerebatur, quod ad votum confœderatorum & Adhærentium atque in ſalutem Imperii terminari debebat. Erant enim tunc temporis arma Suecorum non ſolum integra, ſed per divinam opem, tanto exercitus robore, locorum opportunitate fortaliciis, caſtellis & fortuna munita, ut pacem vel ſollicitare, vel invitis obtrudere, haud quaquam opus eſſet, quin ſi dicendum quod res eſt, magnarum prærogativarum privatione Sueciæ hæ pacis conditiones conſtiterunt, evacuatis tot munitis locis, quæ diuturnæ conſervationi Noſtræ facile præſidia largiri potuiſſent. Neque Nobis obſcurum fuit, fore, quod eventus poſtea docuit, Domum Auſtriacam ad exercendum ſuum adverſus Nos odium tum invalidiorem, ſub pacis prætextu & ſpecie alias vindicandi vias & rationes quæſituram eſſe, id quod potuiſſemus armorum virtute quidem antevertere, ſi bello inſiſtendum fuiſſet, ſed quia quieti Romani Imperii ſic conſulendum nonnulli utile judicarunt, eorundem & reliquorum Imperii membrorum instantiſſimis obteſtationibus, & prolixe oblatæ aſſecurationi potius, quam armorum rigori obſequendum erat. Rati tamen ſumus ſanctum & inviolabile fore quod promittebatur,

batur, si non ex interna inclinatione animi Domus Austriacæ, & certa verborum ejusdem custodia: saltem confidimus tutos nos fore Guarantia & assecuratione Electorum, Principum, Statuum & omnium Imperii Ordinum, qui hac ipsa pace, & quidem art. 8. velut postliminio eam recuperarunt libertatem, autoritatem & jura, ut si Imperator pro lubitu & solus habenas Imperii tractare tentaret, immoderatum cum eo Dominatum dividerent; aut si promissorum & fidei publicæ religionem parum pensi haberet, vel Instrumentum pacis toties ratificatum post terga relinquere non verecundaretur, in Imperio vel extra illud in ejusdem præjudicium aliquid moliturus, tunc virtute recuperatæ auctoritatis iidem Electores Principes & Status Imperii in eo omnino essent, ne ad eundem scopulum navis bis impingeret, aut vulnus sanatione tardissimum refricaretur, quin periculis in Imperio emergentibus mox obviam irent; eamque adhiberent medicinam, quæ conservationi tanti corporis conveniret. Si vero placet Dilectionibus Vestris memoria replicare, qualem se domus Austriaca in pacis negotio semper præbuerit, deprehendent eandem nihil minus quam quietis & pacis studia in animo fovisse, etiam tum, cum pacem maxime venditaret. Quam enim tardam & invitam non modo ad conclusionem, sed etiam ad tractatus Westphalici initia sese comprobavit, adhuc in recenti Dilectionum Vestrarum est memoria. Paucorum dierum opus præliminare in aliquot annorum spatium producendum erat, non aliam ob causam

ſam, quam ut diverſas armorum Noſtrorum vices opperiretur. In ipſo deinceps tractatu, quot artes ſubmixtæ in diſſolvendis fœderatorum & Nobis adhærentium animis, ut debilitata Fortuna Noſtra ſucceſſum pacis irritum redderet? quot demum ambiguitates fabricatæ, ne ſolida & diuturna pax fieret? Hæc omnia quamquam Regno Sueciæ non injuſtam ſubjicerent tum delitеſcentis doli & lubricæ fidei ſuſpicionem, nihil tamen omiſit, in ſuſcepto pacis ſtudio, quin eodem tenore & conſtantia perrexit, maxime vero in gratiam Ordinum Imperii, quamquam cum non exigua ſua jactura, curabat. In hunc etiam finem collimarunt labores Noſtri Norimbergici, cum Regni Sueciæ armorum generalis per Germaniam directio Nobis commiſſa eſſet. Atque hoc manifeſtum omnibus eſt, niſi ſub favore armorum executio ſtetiſſet, nihil omnino eorum, quæ conventa erant, effectui fuiſſe datum. Cuncta enim, quæ reſtabant exequenda, cum depoſitis Suecorum armis, adhuc quæſitis ſtudiis, aut dubia redduntur aut irrita. Sed neque in eo ſolum animus ad juſtam quietem averſus emicuit. Vix finitus erat tractatus Norimbergenſis, priusquam Cæſar contra pactorum genuinum ſenſum & publicam fidem, partim copias & auxilia in provincias inferioris Germaniæ atque Italiam contra Galliam mitteret, partim congreſſus Sueciam inter & Pol. Lubecæ inſtitutos ſupplantaret, ac Civitatem Capitulumque Bremenſe contra Nos in obſtinatione confirmaret, & ab debito officio, contra rationes prius a ſe ut juſtiſſimas pronunciatas, abſtraheret.

Quia

Quia vero hæc ſingula non aperta vi, ſed dolo, occultis machinationibus & cuniculis agitabantur, paſſa eſt Anteceſſor noſtra diſſimulatione eam, & ſilentio ſic transmitti: Nobis vero Imperii Suecici ſceptra adeptis nihil fuit magis cordi aut curæ, quam ut cum dicta civitate Bremenſi interpoſito reconciliationis tractatu ac opere ipſo palam faceremus, pacis & tranquillitatis publicæ cuſtodia omnia Nos poſthabere velle, etiam ea, quæ uti jure, ita nec adeo multo labore nobis potuiſſent accedere. Eadem Nos cura ſemper inſedit poſtea aliis, ac potiſſimum Polonico bello occupatos, ne ſcilicet ullis incurſionibus hoſtilibus Germaniæ fines infeſtarentur. Ex qua vero & quam neceſſaria cauſa, natum Nobis hoc ſit bellum, aliunde ea de re Dilectionibus Veſtris informatis, ſupervacaneum eſt enumerare. Niſi enim Rex Poloniæ ſuper cæteras, quas aucupatus ſemper eſt occaſiones inhiandi Regno Sueciæ, Nobis & domui noſtræ invidiſſet Regni ſummam, non ſolum tunc, cum univerſo conſenſu Statuum Suecicorum ſceptro deſtinaremur, ſed etiam circa anteceſſoris Noſtræ abdicationem, cum per Emiſſarium ſuum Canaſiles, contra translationem Imperii aperte proteſtaretur, adeoque inter ſubditos noſtros diſſeminaſſet periculoſos, & ad rebellionem tendentes diſcurſus, vel etiam poſtquam ab hocce apparuit, Nos eſſe læſos, & actum contra pacta, ſi abſtinuiſſet fœderibus, correſpondentiis & hoſtilibus machinationibus in præjudicium Noſtri, Regnique Noſtri, haud dubie legibus induciarum ad præſcriptum terminum ſtetiſſemus. Sed cum pacta induciarum, quæ ſtricti juris

juris ſunt, violarentur, plurimaque pararentur in præjudicium Status noſtri terra & mari, nec ſpes ſolidæ pacis (quippe congreſſibus eluſis & dehortationibus ſpretis) nullibi promineret, eo fuit recurrendum, ubi periculum præverti & ſecuritas tutius quærenda videbatur. Tot enim iteratis admonitionibus adduci non potuerunt Poloni, ut legitima Plenipotentia munitis Legatis certum aliquod indicium reducendæ pacis ederent, aut tractandi ſecum copiam revera facerent, priusquam exercitus in procinctu & ipſo opere eſſet, ac armis Noſtris in limitibus Poloniæ & Lithuaniæ conſtitutis, ejus revocandi niſi pace in totum reducta, integrum non eſſet. Non tamen alia Nobis mens fuit in eo bello, quam ut armis ad pacis cogitata adigeretur Regnum, quod ſub Regibus Sigismundo, Uladislao & Joanne Caſimiro omnem amicabilem animorum reconciliationem averſabatur. Experti vero ſunt & Anteceſſores Noſtri glorioſæ memoriæ, tam Carolus IX. & Guſtavus Adolphus, quam Regina Chriſtina, fore, ut coaleſcente in Germania pace, eas rationes Domus Auſtriaca deinde iniret, quæ ad firmandam amicitiam facerent. Atque cum Nos in hoc bello Polonico nihil habuerimus antiquius aut prius, quam ut fines Germaniæ ab inſultibus & incurſionibus qualibuscunque liberarentur, ſperabamus Imperatorem Romanum tam ob communes Imperii incolumitatis rationes, quam ob pacem ſancte initam idem nobiscum facturum fuiſſe. Qualem vero in eo ſe ſe geſſerit, quamque religioſe pacis Germaniæ leges obſervaverit eadem Domus, Dilectionibus Veſtris palam

palam factum est, ex Memorialibus, quæ Ablegatus noster Extraordinarius Francofurti Ordinariæ primum Deputationi, postea etiam Dilectionibus Vestris insinuavit. Tantum etiam abest, ut applausus vel auxilium absque Imperatore pro cura, sincero studio & bona intentione Nostra mereremur, ut contraria omnia potius experiremur, tam in eo, quod post impeditos omnes in Polonia tractatus apparatus, suscitatumque in nos Serenissimum Daniæ Regem, aperto Nos ipse bello adorirecur, quam quod in Germania, vicinisque Nobis Regnis, & tota fere Europa in deteriorem partem Nostras actiones interpretaretur, in eum maxime finem, ut cum ei commodum esset, ac animos quos licitatus est, favore maturos haberet, in Romano Nos Imperio tanto facilius aggrederetur, omnium odiis oneratos. Cum itaque Domus Austriaca hoc modo turbas Polonicas & aliena bella pro suo usu & emolumento disponat, ita ut nec Nobis cum hoste Nostro extra Romanum Imperium agere, nec in Germania pacis bono frui liceat, nisi ex utilitate, imaginario foro & mensura Austriaca, mirum nemini videri debet, vix dum extincta Germaniæ flamma alium posse exoriri ignem, qui innocentes Provincias secum in discrimen facile trahat. Conveniens itaque est, non modo fundamentali legi Sacri Romani Imperii, sed ipsi etiam rationi & necessitati, ut rebus sic comparatis, prospiciatur publicæ securitati per Imperium. Unde & Nos ea omnia circumspeximus quæsivimusque media, quæ periculis prævertendis & pacis, quam restituere ipsimet conati sumus, conser-

vatio-

tioni inservitura putavimus, missis ad Dilectio-
s Vestras & omnes pariter Imperii Status, literis
ɔstris & Ministris, qui de appropinquantibus ma-
inationibus & minitantibus malis non modo in
npore præmonerent, sed etiam urgerent mu-
ım promissam in Instrumento pacis guarantiam
assecurationem. Eo quoque negotium opera
studio Illustrissimi & Reverendissimi Domini
:ctoris Moguntini provectum esse intelleximus,
habita aliqua rationum Nostrarum considera-
ne, deliberationi super re non contemnenda
:s & locus statueretur, ac præterea bonum &
blico utile factum, meliora sentientibus pro-
retur, si non modo memorialia Ablegati Nostri
:tarentur, sed etiam continuatio Deputationis
perii in tempore dubio permaneret, utpote quæ
mitus in eum finem fuit instituta, ac supremis
mitiis Ratisbonensibus confirmata, ut Securi-
i Imperii & urgentibus belli periculis amolien-
prospiceret. Ne tamen hoc fieri posset, evicit
dem Domus Austriaca, quæ ut alibi bona con-
a impedit, ita ejusdem Directorium inutile ibi,
antum in se fuit, & nullam Imperii Deputatio-
m pronunciavit, atque adeo vehementer ratio-
; bonorum corrupit, ut pro salute publica senten-
m suam dicturis, nec sessionis nec loci copia fie-
; quin eo insuper res redacta est, ut cum neque
ɔs neque Gallia injurias illatas armis vindicare,
vim vi statim cohibere vellemus, sed Nostros
atos eo mitteremus, ad repræsentandum peri-
a per lubrica pacis impedimenta, deque ma-
is remediis monendum, inventi sunt, qui loco

debiti reſponſi & expectatæ declarationis reddendæ, auctores eſſent, uti Legati publice ſalutaria ſuadentes, urbe Francofurtenſi ejicerentur, & juris gentium beneficio privarentur. Quin igitur hæ injuriæ majorem in modum Nos afficiant, non credimus dubitare Dilectiones Veſtras, præſertim cum ad ſumma Nobis injuncta damna & injurias, adjiciatur inſuper intolerabilis contemptus, ita ut cum Nos offeramus ad tractatus & reconciliationis vias promptiſſimos, non modo ſane rationes non admittantur, ſed etiam poſt ſpretas conditones honeſtas, Elector Brandeburgicus, in tales tamque pernicioſas bono publico partes attrahatur. Concepimus equidem de hoc Electore eam ſpem, ut Fœderibus diverſis atque indiſſolubilibus Nobiscum devinctus, haud ita facile ullas res in transverſum ageret, præſertim cum eidem omnia ea deferrentur, quæ vel vi fœderis, vel ſub amicitiæ ſpecie flagitare poſſet, vel ſi ſollicitari omnino a conſtantia animi ſui indoleque pateretur, nullatenus amicitiam noſtram ſic labefacturum exiſtimavimus, ut nobiscum haud mitius quam cum hoſte agendum cenſeret, quos equidem in conſcientia novit, nulla in re ſeſe offendiſſe; exploratum tamen eſt, eundem in Auſtriam nimium quam propenſum, Polonisque temerata antiquiori Nobiscum amicitia, novo vinculo ligatum adverſus Nos, tanquam communem hoſtem non modo cum dicta Domo & Polonia, ſed etiam tempora aucupatum, ut tot hoſtibus gravatis Nobis pariter ille incumberet, cum Daniæ Rege fœdera partim offenſiva, partim defenſiva, inire non diſtuliſſe,

lisse, sed effectivam armorum societatem pro invadendis Nostris provinciis in Germania, quas tanto sanguine, laboribus & curis acquisivimus, frequenter & instanter sollicitasse & ursisse. Atque ne interea dum ea conjunctio differtur, nihil effecisse videatur, contra jura gentium & imperii constitutiones, negationem innocentis transitus ad hostes Nostros Nobis denunciat, naves Nostras & illis impositas merces in portus suos, tanquam ad amicum & socium venientes, ut & subditorum Nostrorum intercipit; Officiales & milites nostros per suas terras sine damno & noxa tendentes, partim carceri, partim suæ mancipat militiæ; quin e contra transitum Polonis in Imperium, non modo lubens indulsit, sed omni modo opitulatus, viam eis monstravit, qua tergo Nostro inhærere, & provincias Nostras perdere possent. Quod vero cum universo exercitu hactenus in Nos non moverit, ejus jam diu ad bellum accincti, nulla res alia causam dedit, nisi quod tempus propositis effectui jungendis non satis maturum & opportunum adhuc videretur, præsertim ex quo cum vicino Nobis Regno Daniæ benigna pace Nos Deus bearet. Quantum ergo ad Domum Austriacam ejusque offensive & defensive fœderatum Electorem Brandeburgicum attinet, in iis perexiguam fidei publicæ reverentiam residere satis superque sensimus, utpote qui e contra firmissimis, quæ aut reperiri possunt, vel usurpari solent, terminis erecta pacta & fœdera agere non dubitant, si modo occasio suppetit. Atque cum iniquis Nostris temporibus, cum in eos nec metus a Nobis proficisci

 posset,

posset, atque securissimos ab ea parte Nos fore putaremus, contra fidei sanctimoniam in exterminationem Nostri conspirare non vererentur, dubium non est, quin ansa rursus præbita animo radicatum odium, omni vi executuri sint, nisi Nobismet ipsis per divinam opem Nos prospeximus, ac eas inierimus rationes pro conservatione Nostri, quas necessitatis leges repererint. In hac rerum fortuna constituti, speravimus equidem futurum, ut oblationibus Nostris ab hostibus spretis, atque Nobis plane contra promissa & pacta conventa indigne tractatis a Dilectionibus Vestris atque Imperio aliqua Nostri cura ageretur, munimentumque aliquod securitatis contra talem vim instrumento pacis conforme ordinaretur; quo intuitu conditioneque in novissimo Circuli Saxonici conventu recepimus, Nos nemini ulla molestia militari graves futuros; sed cum comperiamus, non modo nihil in favorem Nostri Francoforti hactenus, & quidem tanto tempore, quo in conspectu totius mundi indigna & haud ferenda patimur, actum esse, sed nec spem meliorum satis condignam subjici, quandoquidem eo ipso fere tempore, quo Conventus dicti Circuli superioris Saxoniæ haberetur, ab Electore Brandenburgico clanculum perversa consilia fabricata esse nunc cognoscamus, ac postea fœdera contra Nos inita, & in perniciem provinciarum & Regni nostri veluti conjuratum atque eadem res ubivis etiamnum sine intermissione agitetur, mirari non debent Dilectiones Vestræ, si cessantibus per pacta debitis adminiculis securitatis, Nobis necessitas imponatur, ea media

cir-

circumſpiciendi & amplectendi, quæ Deus & natura in conſervationem & ſecuritatem Noſtri & Provinciarum Noſtrarum ſupereſſe ſivit. Non poſſumus tamen intermittere, quin Dilectionibus Veſtris lætitiam Noſtram teſtificemur, ex eo quod meliora ſentientes, ſaltem bonam ſuam intentionem declarare, inſuper non habeant: quodque in pacis cuſtodia integrum animum figere videantur. Confidimus etiam fore, ut penſitatis ab omni parte publicæ rei rationibus, inimicorum Noſtrorum moliminum, nulla in re ſeſe participes faciant, nec belli contra Nos, tanto ſtudio viribusque præparati facibus, in præjudicium Noſtri ſeſe implicent, quin bonis pacis conſiliis pro tuenda imperii tranquillitate & Inſtrumenti pacis illibata cura conſtanter perſeverent. Nos quanquam eas injurias, contemptum & damna paſſi ſumus, quæ Noſtri Miniſtri alias uberius Dilectionibus Veſtris expoſuerunt, ne tamen a pacis reſtabiliendæ propoſito quicquam deſiſtamus, ſuper cæteros Noſtros Miniſtros denuo ad Dilectiones Veſtras Legatum Plenipotentiarium, ſupremum Cubicularium, Comitem Nicolaum Brahe miſimus, qui jam iter ſuum ingreſſus, brevi una cum Ablegato hactenus Noſtro ad Dilectiones Veſtras & reliquos Imperii Status, Matthia Bſorenklau, perpetuum Noſtrum ſtudium Germaniæ paci dicatum, rurſus iterabit, & una cum Dilectionibus Veſtris ea conſilia indagare conabitur, quæ diuturnæ Sacri Romani Imperii paci inſervire poſſint; Dilectionum Veſtrarum eſt, prompta & tempeſtiva malis ingruentibus adhibere remedia, quandoquidem eo

 loco-

locorum res Noſtras, atque vim & machinationes Nobis malevolentium perveniſſe videmus, ut toties ſub fidei publicæ religione deluſis, perque aperte contra Nos pacta fœdera, diſcrimini deſtinatis, non liceat Nobis eſſe ſecuris, niſi id quod verbis & ore adeoque pactis in ſpeciem quidem validiſſimis, ſed effectu inanibus, præfertur, reapſe dehinc præſtetur & comprobetur. Sin vero res contemptim & negligenter curatur, verendum eſt, ut remedio conveniens poſtea locus fieri queat. Nos vero in eo caſu proteſtamur coram Deo & toto orbe, nos excuſari & culpa va care velle, ſi poſthabitis Noſtris admonitionibus & Inſtrumenti pacis cura, ea ſubſequantur, quæ majores dein incommoditates ex ſe generare valeant. Interea Dilectiones Veſtras certo certius aſſecuramus & recipimus, nihil Nos contra Imperii Romani pacem, aut cujus quam in particulari quietem quicquam tentaturos, ſed hoc tantum deficientibus aliis mediis acturos, quod in neceſſitate conſtitutis, jus faſque gentium ad defenſionem Noſtri commodat, atque proinde a Dilectionibus Veſtris amice etiam atque etiam requirimus, ut tutiora quam hactenus præſidia, parare velint, quo deinceps non nobis ſolum, ſed etiam univerſo Imperio pacis non lenocinia, ſed veri ejusdem & ſinceri fructus, cum cujusque rei propriæ certiori poſſeſſione & provinciarum acquiſitarum tuta conſervatione obtingere queant. Quibus Dilectionibus Veſtris proſperrimos rerum ſucceſſus & omnigenæ felicitatis copiam precantes, Easdem perpetuo Divini numinis tutamini animitus commendamus.

Flens-

Flensburgi die 18. Junii Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo octavo.

Dilectionum Vestrarum

*Bonus Consanguineus & Amicus*

Carolus Gustavus.

CCXCI.

*Literæ OLIVERII CROMWELLII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, quibus ab eo, ut qua valeret apud Ducem Sabaudiæ vel autoritate vel gratia, pro reliquis ex nupera laniena Convallensibus, quibus nova parari internecio videretur, intercedere, aut eos saltem intercessione incassum facta, miseratione, & patrocinio suo, liberoque ad se refugio beare haud gravetur, enixe efflagitat, 1658.*

Oliverius Protector Reipublicæ Angliæ &c. Serenissimo potentissimoque Principi Ludovico Galliarum Regi.

*Serenissime Potentissimeque Rex, Amice ac Fœderate Augustissime.*

MEminisse potest Majestas Vestra, quo tempore inter Nos de renovando fœdere agebatur, quod optimis auspiciis initum multa utriusque populi commoda, multa hostium communium exinde mala testantur, accidisse miseram illam Convallensium occisionem, quorum causam undique desertam atque afflictam Vestræ misericordiæ atque tutelæ summo cum ardore animi ac miseratione

commendavimus. Nec defuisse per se arbitramur Majestatem Vestram officio tam pio, imo vero tam humano, pro ea qua apud Ducem Sabaudiæ valere debuit vel autoritate vel gratia: Nos certe aliique multi Principes ac Civitates Legationibus, literis, precibus interpositis, non defuimus. Post cruentissimam utriusque sexus omnis ætatis trucidationem, pax tandem data est, vel potius inducta pacis nomine hostilitas quædam tectior: conditiones pacis Vestro in oppido Pinarolii sunt latæ; duræ quidem illæ, sed quibus miseri atque inopes dira omnia atque immania perpessi facile acquiescerent, modo iis, duræ & iniquæ ut sint, staretur; non statur; sed enim earum quoque singularum falsa interpretatione variisque diverticulis fides eluditur atque violatur; antiquis sedibus multi dejiciuntur, Religio patria multis interdicitur, tributa nova exiguntur, arx nova cervicibus imponitur, unde milites crebro erumpentes obvios quosque vel diripiunt vel trucidant: adhæc nuper novæ copiæ clanculum contra eos parantur; quique inter eos Romanam Religionem colunt, migrare ad tempus jubentur; ut omnia nunc rursus videantur ad illorum Internecionem miserrimorum spectare, quos illa prior laniena reliquos fecit. Quod ego per dextram tuam, Rex Christianissime, quæ fœdus Nobiscum & amicitiam percussit, obsecro atque obtestor, per illud Christianissimi tituli decus sanctissimum, fieri ne siveris: nec tantam sæviendi licentiam non dico Principi cuiquam (neque enim in ullum Principem, multo minus in ætatem illius Principis teneram, aut in muliebrem matris animum

ım tanta ſævitia cadere poteſt) ſed ſacerrimis il-
ſicariis ne permiſeris; qui cum Chriſti Serva-
ris Noſtri ſervos atque imitatores ſeſe profitean-
r, qui venit in hunc mundum, ut peccatores ſer-
ret, ejus mitisſimo nomine atque inſtitutis ad in-
ıcentium crudelisſimas cædes abutuntur: eripe,
i potes, quique in tanto faſtigio dignus es poſſe,
t ſupplices tuos homicidarum ex manibus, qui
ıore nuper ebrii, ſanguinem rurſus ſitiunt; ſuæ-
e invidiam crudelitatis in Principes derivare con-
tisſimum ſibi ducunt. Tu vero nec titulos tuos
t Regni fines iſta invidia, nec Evangelium Chri-
pacatisſimum iſta crudelitate fœdari, te regnan-
patiaris. Memineris hos ipſos avi tui Henrici
oteſtantibus amicisſimi dedititios fuiſſe; cum
gvierius per ea loca, qua etiam commodisſimus
Italiam tranſitus eſt, Sabaudum trans Alpes ce-
ntem victor eſt inſecutus: Deditionis illius in-
umentum in actis Regni veſtri publicis etiam-
m extat, in quo exceptum atque cautum inter
a eſt, ne cui poſtea Convallenſes traderentur,
i iisdem conditionibus, quibus eos avus tuus in-
ctisſimus in fidem recepit. Hanc fidem nunc
plorant, avitam abs te Nepote ſupplices requi-
nt: tui eſſe, quam cujus nunc ſunt, vel permu-
ione aliqua, ſi fieri posſit, malint atque optarint:
ſi non licet, patrocinio ſaltem, miſeratione at-
e perfugio. Sunt & rationes Regni, quæ hor-
i posſint, ut Convallenſes ad te confugientes ne
icias; ſed nolim te, Rex tantus cum ſis, aliis
ionibus ad defenſionem calamitoſorum, quam
e a majoribus data, pietate, regiaque animi be-

 nigni-

nignitate ac magnitudine permoveri. Ita pulcherrimi facti laus atque gloria illibata atque integra tua erit, & ipse patrem misericordiæ ejusque filium Christum Regem, cujus nomen atque doctrinam ab immanitate nefaria vindicaveris, eo magis faventem tibi atque propitium per omnem vitam experieris. Deus Optimus Maximus ad gloriam suam, tot innocentissimorum hominum Christianorum tutandam salutem Vestrumque verum decus Majestati Vestræ hanc mentem injiciat

Majestatis Vestræ

*Westmonasterio, die — Maji*
*Anno Domini 1658.*

*Studiosissimus*

Oliverius, Protector Reipublicæ
Angliæ &c.

## CCXCII.

*Litera OLIVERII CROMWELLII, Protectoris Reipublica Anglia, ad CIVITATES HELVETIORUM EVANGELICAS, quibus eas, ne Convallensium vicinorum salutem in extremum discrimen adductam negligant, fraterne ac libere hortatur, seque ad procurandam periclitantium incolumitatem, & sublevandam egentium inopiam, omnem operam suam, quousque per longinquum terrarum intervallum liceret, collaturum esse sancte promittit, 1658.*

Olive-

ıverius Protector Reipublicæ Angliæ,
Civitatibus Helvetiorum Evangelicis.

*Illustres atque Amplissimi Domini, Amici charissimi.*

E Convallensibus Vicinis Vestris afflictissimis, quam sint a Principe suo gravia & intoleran- ·eligionis causa passi, tum propter ipsam rerum ıcitatem horret prope animus recordari, tum Vos ea scribere, quibus notiora multo sunt, su- ɾacuum duximus. Exempla etiam literarum mus, quas Legati Vestri pacis jam dudum Pina- anæ hortatores atque testes ad Allobrogum Du- ı illiusque Taurinensis Consilii Præsidem seri- ·unt; in quibus ruptas esse omnes pacis con- ɔnes, illisque miseris fraudi potius quam secu- ti fuisse singulatim, ostendunt atque evincunt. ɪrum violationem ab ipsa statim pace data in c usque diem continuatam, & indies gravio- ı, nisi æquo animo patiuntur, nisi se conculcan- plane & pessumdandos prosternunt atque ab- ɪnt, religione etiam ejurata, impendet eadem ımitas, eadem strages, quæ ipsos cum conjugi- ac liberis tertio abhinc anno sic miserabilem nodum attrivit atque afflixit, & subeunda ite- si est, funditus eradicabit. Quid agant mi- ? quibus nulla deprecatio, nulla respiratio, nul- adhuc certum perfugium patuit; res est cum aut cum furiis, quibus priorum cædium re- latio nullam pœnitentiam, aut suorum civium ·rationem nullum sensum humanitatis aut fun- di sanguinis satietatem attulit. Hæc ferenda

plane

plane non sunt, sive fratres Nostros Convallenses Orthodoxæ Religionis cultores antiquissimos, sive ipsam Religionem salvam volumus. Et Nos quidem locorum intervallo plus nimio disjuncti, quod opis aut facultatis Nostræ fuit & præstitimus ex animo & præstare non desinemus. Vos qui non modo fratrum cruciatibus ac pene clamoribus, verum etiam eorundem furori hostium proximi estis, prospicite per Deum immortalem, idque mature, quid Vestrarum nunc partium sit; quid auxilii, quid præsidii vicinis ac fratribus alioqui mox perituris ferre possitis ac debeatis, prudentiam Vestram ac pietatem, fortitudinem etiam Vestram consulite. Causa certe eadem est Religio, cur iidem hostes Vos quoque perditos velint, imo cur eodem tempore, eodem superiore anno, fœderatorum Vestrorum intestino Marte perditos voluerint. Vestra duntaxat in manu post opem divinam videtur esse, ne purioris ipsa stirps Religionis vetustissima in illis priscorum fidelium reliquiis exscindatur: quorum salutem in extremum jam discrimen adductam, si negligitis, videte ne Vosmetipsos paulo post proximæ vices urgeant. Hæc dum fraterne ac libere hortamur, interea non languescimus: quod solum Nobis conceditur tam longinquis, cum ad procurandam periclitantium incolumitatem tum ad sublevandam egentium inopiam, omnem operam Nostram & contulimus & conferemus. Deus det utrisque Nobis eam domi tranquillitatem ac pacem, eum rerum ac temporum statum, ut omnes Nostras opes atque vires, omne studium ad defendendam Ecclesiam suam contra ho-

:ium ſuorum furorem ac rabiem convertere ſimus. Weſtmonaſterio ex Aula Noſtra die — i, Anno Domini 1658.

## CCXCIII.

*ræ OLIVERII CROMWELLII, Pro- ectoris Reipublicæ Angliæ, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, quibus Thomam Vice-Co- iitem Falconbrigium, generum ſuum, impenſe ommendat, 1658.*

verius Protector Reipublicæ Angliæ, ;erenisſimo ac Potentisſimo Principi, Ludo- vico Galliarum Regi.

*'renisſime potentisſimeque Rex, Amice ac fœderate auguſtisſime,*

'Homam Vice-Comitem Falconbrigium, generum meum, in Galliam proficiſcentem, & eſtificandum obſequium ſuum & obſervantiam, Majeſtatem Veſtram colit, venire in conſpe- n Veſtrum, Regiamque manum oſculari cu- ıtem, tametſi propter conſuetudinem ejus ju- disſimam invitus dimitto, tamen cum non du- m, quin ab aula tanti Regis, in qua tot Viri pru- tisſimi fortisſimique verſantur, multo inſtru- r ad res quasque laudatisſimas, & quaſi con- matas ad Nos brevi ſit reverſurus, obſiſtendum ejus animo ac voluntati non ſum arbitratus. uanquam is eſt, niſi ego fallor, qui per ſe ſatis ımendatus, quocunque acceſſerit, videri posſit, en ſi ſe mea gratia Majeſtati Veſtræ aliquanto mendatiorem fuiſſe ſenſerit, eodem me quo-

que

que beneficio affectum atque devinctum arbitrabor. Deus Majeſtatem Veſtram incolumem, Noſtramque amicitiam firmisſimam communi Orbis Chriſtiani bono quam diutisſime conſervet.

Majeſtatis Veſtræ

*Weſtmonaſterio ex Aula Noſtra,*
*die — Maji, An.Dom. 1658.*

*Studioſisſimus*

Oliverius Protector Reipubl. Angliæ.

## CCXCIV.

*Literæ commendatitiæ, quas OLIVERIUS CROMWELLIUS, Protector Reipublicæ Anglicanæ, Thomæ Vice-Comiti Falconbrigio, genero ſuo, ad CARDINALEM MAZARINUM, dedit, 1658.*

Oliverius Protector Reipublicæ Angliæ Eminentisſimo Domino CardinaliMazarino.

*Eminentisſime Domine,*

CUm Thomam Vice-Comitem Falconbrigium, generum meum, proficiſcentem in Galliam Sereniſſimo Regi commendaverim, non potui, quin ea de re Eminentiam Veſtram certiorem facerem, nec non Vobis eundem etiam commendarem, id quantum ponderis atque momenti ad ſuperiorem quoque commendationem allaturum ſit, non neſcius. Quem certe fructum commorationis apud Vos ſuæ, ſperat autem non mediocrem hunc fore, percepturus eſt, ejus maximam partem favori Veſtro ac benevolentiæ non poterit non debere; cujus

prope ſola mens ac vigilantia res tantas eo in
gno ſuſtinet ac tuetur. Quicquid ei gratum
iinentia Veſtra fecerit, id mihi feciſſe ſe exiſti-
t, id ego in multis Veſtris erga me humaniter
amice factis numerabo.

Veſtræ Eminentiæ

*ſtmonaſterio die — Maji,*
*Anno Domini 1658.*

*Studioſisſimus*

Oliverius, Protector Reipublicæ
Angliæ &c.

## CCXCV.

*era OLIVERII CROMWELLII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, quibus Thomam Vice-Comitem Falconbrigium, generum ſuum, a ſe deo mitti ad eum, ut ipſi & adventum in tam ropinqua Angliæ caſtra gratularetur, & mentem uam ad officia quæcunque paratisſimam coram xponeret, ſignificat, 1658.*

veriusProtectorReipublicæ Angliæ &c.
ſerenisſimo ac PotentisſimoPrincipiLudovico Galliæ Regi.

*renisſime Potentisſimeque Rex, Amice ac Fœderate Auguſtisſime,*

T nuntiatum eſt, veniſſe in caſtra Majeſtatem Veſtram, tantisque copiis infame illud oppipiratarum atque aſylum Dunkirkam obſediſſe,

diſſe, & magnam cepi voluptatem & ſpem certam, fore nunc brevi, Deo bene juvante, ut infeſtum minus poſt hac latrociniis mare tutius navigetur; fore, ut Hiſpanicas fraudes, ducem alterum ad Hesdenæ proditionem auro corruptum, alterum ad Oſtendam dolo captum virtute bellica Majeſtas Veſtra brevi nunc vindicet. Mitto itaque nobilisſimum Virum Thomam Vice-Comitem Falconbrigium, generum meum, qua & adventum veſtrum in tam propinqua Nobis caſtra gratularetur, & coram exponat, quanto Nos ſtudio Majeſtatis Veſtræ res geſtas, non junctis ſolum viribus Noſtris, ſed votis etiam omnibus proſequamur, uti Deus Optimus Maximus & ipſam incolumem & Noſtram amicitiam firmisſimam communi Orbis Chriſtiani bono quam diutiſſime conſervet.

Majeſtatis Veſtræ

*Weſtmonaſterio ex Aula Noſtra, die — Maji, Anno Domini 1658.*

*Studioſisſimus*

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c.

CCXCVI.

*Literæ ejusdem ferme cum præcedentibus argumenti, ab OLIVERIO CROMWELLIO ad CARDINALEM MAZARINUM ſcripta 1658.*

Olive-

iveriusProtectorReipublicæ Angliæ &c.
Eminentissimo Domino Cardinali
Mazarino.

*Eminentissime Domine,*

Um illustrissimum virum Thomam Bellassi-
sum Vice-Comitem Falconbrigium, generum
um, Serenissimi Regis adventum in castra ad
nkirkam gratulatum mitterem, eidem præcepi,
Vestram quoque Eminentiam adiret, meoque
mine & plurimam salutem dicat, & gratias Vo-
agat; cujus potissimum fide, prudentia, vigi-
itia perfectum est, ut res Gallica tam diversis in
rtibus & præsertim in vicina Flandria contraHi-
inum,Hostem communem,tam prospere geratur,
uo nunc celeriter, uti spero, fraudum & insidia-
n,quibus se maxime tuetur, aperta atque armata
tus pœnas reposcet: quod uti fiat quam citissime,
os certe neque copiis, quantum possumus, neque
tis deerimus.

Eminentiæ Vestræ

*estmonasterio ex Aula Nostra,*
*die — Maji, An. Dom. 1658.*

*Studiosissimus*
Oliverius, Protector Reipublicæ
Angliæ &c.

CCXCVII.

*tera CAROLI GUSTAVI, Svecorum Re-
gis, ad JOHANNEM PHILIPPUM, Ar-
chipræsulem & Electorem Moguntinum, cui salu-
berrimæ reconciliationis inter se & Domum Au-*

 *striacam,*

*ſtriacam, æque ac Germanicæ tranquillitatis curam ſollicite injungit, 1658.*

Nos Carolus Guſtavus Dei gratia Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex &c.

*Reverendisſime.*

Quamquam haud obſcuris antea judiciis Dilectio Veſtra Nobis comprobaverit, quantum curæ ipſi cordique ſit, tranquillitatem publicam intemeratam conſervare, id tamen luculentius apparuit in literis Dignitatis Veſtræ gratulatoriis, quas Nobis Francoforto, die 7. Aprilis ſummæ lætitiæ ex compoſita cum Dania pace conceptæ ſignificatione plenas transmiſit: Nobis equidem ſicuti neceſſaria arma capeſſenda omnino fuerunt pro defenſione Regni noſtri & provinciarum Germanicarum, ita nihil in animo antiquius habuimus, quam aliquod ſecuræ pacis beneficium ubicunque extaret, præ belli vel maxima prærogativa amplecti, Dilectioni autem Veſtræ ſingulares agimus gratias, pro benevola animi conteſtatione, quam Nobis declarare dignata eſt. Et quoniam Dilectio Veſtra haud dubie a Noſtris informata eſt Miniſtris, quanto ſupra infinitas injurias contemptu a Domo Auſtriaca perſtringamur, ita ut nec machinationibus & bellis modus ponatur, nec reconciliationis oblationi & admonitionibus Dilectionis Veſtræ locus relinquatur ullus, Veſtra autem Dilectio ſtrenue pro pacis Germanicæ conſervatione hactenus excubuerit, ab eadem contendere volumus, uti ſub tali onere & labore non defatigetur, ſed perſeveret conſtanter: quo de Sacri Romani Imperii membris,

, quietem & pacem amantibus, tanto præcla-
mereatur, & ab omnibus Ordinibus condi-
ım fibi vindicet honorem & laudem. Nos
.ti magni facimus præstitam hactenus pro com-
ni tranquillitate & pace publica operam; ita
d incumbemus, ut Dilectio Vestra intelligat,
.e Nos paria semper secum facere. Neque
m a Domo Austriaca, post perpessa tot damna
ıd flagitare in animo constituimus, nisi ut
uctis ex Polonia copiis & renunciatis fœde-
ıs in Provinciarum Nostrarum Germanicarum
niciem, nostrique exterminationem pactis, ju-
s reconciliationis & pacis voces in animum ad-
ttat, Nobisque tenore Instrumenti pacis ab Or-
ıibus & Statibus Imperii caveatur, de non am-
us lædendo vel offendendo. Quam æqua hæc
t, Dilectio Vestra ipsa judicaverit, atque pro-
:rea eandem denuo compellamus, velit saluber-
ıum reconciliationis opus, quod jam diu ambi-
ıs, cum eadem Domo sic promovere, ut non
ıtum Nobis tutis & securis esse liceat, sed etiam
x Germanica tantis impensis reducta, sarta tecta
nservari possit. Cui fini quantum in Nobis est
erabimur fideliter atque sollicitam curam Dile-
onis Vestræ velit Deus. Gotteburgi 17. May
658.

Carolus Gustavus.
Eduardus Ehrenstein, Secret.

CCXCVIII.

*tera* CAROLI GUSTAVI, *Svecorum Re-*
*gis, ad* ELECTORES, PRINCIPES ET

*STATUS S. R. IMPERII, aut qui eorum personas sustinere solent, LEGATOS, Francofurti ad Mœnum congregatos, quibus eis, domum Austriacam per bellum sibi intentatum Germanicæ libertatis exitio denuo inhiare omni demonstrare nisu allaborat, eosque quominus proportionata tempestivaque malis instantibus opponere remedia intermittant, impense rogat & hortatur, 1658.*

Reverendissimi, Celsissimi, Illustrissimi, Reverendi, Illustres, Magnifici, Generosi & Spectabiles Sacri Romani Imperii Electores & respectivè Vicarii, Principes & Status, Consanguinei & Amici charissimi, ut & sincere grateque dilecti.

CUm ante annum præter propter post exercita clandestina Domus Austriacæ & hinc inde mixta consilia, institutasque machinationes plane contra Instrumenti pacis Germanicæ expressas leges, sub instigatione & directione Austriaca Poloni pariter & Dani Nos adoriventur, atque jam arma infesta Provinciis Nostris Germanicis non comminarentur modo, sed re ipsa inferrent, ac Rex Hungariæ Parentis destinatis insistens, Nos in Polonia aggressus easdem velut suæ absolutæ Dominationi concessas, aliis præmature divideret, posthabita fidei pacisque publicæ atque adeo Sacri Romani Imperii ejusdemque Electorum, Principum & Statuum reverentia, non aliud remedii genus reperimus, quam ut ordine expositis in aulis passim Electorum & Principum primum per Consiliarium nostrum & Residentem Georgium Snoilsky, postea

etiam Francofurti per nostrum extraordinarium
legatum Matthiam Biorenklau, quæ Nobis illa-
fuerunt injuriæ, ordinarium deputationis con-
ıtum de præstanda Nobis, virtute & vi Instru-
:nti pacis, debita gvarantia compellaremus, ut-
te qui repræsentans universum Imperii corpus,
eum finem olim institutus fuit, & superioribus
mitiis Ratisbonensibus confirmatus est, ut subitis
urgentibus Imperii periculis obviam iret, reme-
que venientibus malis proportionata compara-
. Ex eo tempore intelligimus quidem nostrum
legatum diversis suis memorialibus, Dilectioni-
; Vestris & Vobis tam in universum omnibus Sa-
Romani Imperii Electoribus, Principibus & Sta-
us, quam in specie Reverendissimo & illustrissi-
ı Domino Electori Moguntino, ac postremo,
n consultationes deputationis per oppositionem
[illegible]iacam frustra requirerentur, Collegio etiam E-
:orali occultas & manifestas Domus Austriacæ in-
ias Nobis factas, & pericula, quibus Imperium
manum per licentiam & vim Austriacam facile
olvi posset, pluribus exposuisse; non tamen hac-
us comperimus quicquam responsi redditum,
lum contra publicam communemque violen-
n opem aut gvarantiam ullam præstitam esse, id
ɔd etiam atque etiam miramur, incerti, causæ
ısentire & connivere quibusdam an libeat, ad
secutionem & ruinam Nostri & provinciarum
ıstrarum, propositamque in animo inimicorum
ıstrorum e Germania exterminationem; an ve-
ita formident potentiam Domus Austriacæ, ut
ısæ Nostræ justitiam, fidei religionem, pacis pu-

blicæ obſervantiam & communis tranquillitatis amorem & ſtudium, illius unius Domus avaræ dominationi & privatis rationibus anteferre non audeant? Interea bellis a Rege Hungariæ & Bohemiæ vel ſuſcitatis vel ſuſceptis, continua ſerie vexamur, non modo extra Imperium in Polonia, ſed nectuntur etiam fœdera cum quibusdam præcipuis Imperii Statibus defenſiva & offenſiva, imo vindicativa etiam, uti quidam Miniſtrorum Auſtriacorum jactitant, ſocietatesque bellicæ conduntur cum externis Regibus, adeoque mandata Imperio vacante eduntur, ad invadendum denuo provincias Noſtras in Germania ſitas tantoque ſanguine & impenſis Regno Noſtro acquiſitis primo quoque tempore nos exuendum; Atque in hoc propoſito adeo fixa & exaſperata eſt Domus Auſtriaca, ut non ſolum eliminato noſtro Reſidente ex Aula Viennenſi & provinciis hæreditariis omnem commerciorum communionem ſublatam velit, ſed nec conditionem deinde ullam reconciliationis ad aures vel animum admittere ſuſtinuerit. Quæ ſingula immenſum odium Domus iſtius adverſus Nos haud obſcure oſtentant, nec dubium eſt, quin Rex Hungariæ ſimul ac Corona Imperiali potitus fuerit, animo decreta, ſicut in Polonia, ita in Germania quoque viribus omnibus ſit executurus. Cum igitur injuriis nec modus ſtatuatur, nec remedii & compoſitionis locus relinquatur ullus, nec adhortatio Reverendiſſimi & illuſtriſſimi Domini Electoris Moguntini, qui tam indefeſſa opera pro conſervatione pacis non absque ſingulari ſuo gloriæ & laudis merito defungitur, quicquam valere & efficere poſſit, nec ad

toties

ies propositas a Nobis pacis redintegrandæ ob-
ones, nec ad memorialia Ablegati Nostri Extra-
linarii respondeatur quidem, in animum no-
im aliud inducere non possumus, quam quod de-
iandi imminentis periculi perquam exigua spes
bis supersit, nisi quatenus eadem necessarium
quod defensionis præsidium forte elicuerit.
iam graves vero rationes Nos moverint, ut hanc
licitam curam Dilectionibus Vestris & Vobis
quenter significaremus, atque nunc etiam repe-
nus, nemo ignoraverit, qui & seriem injuriarum
mnorumque Nobis illatorum sensu saltem com-
uni perpendere insuper non habuerit. Satis jam
u cum ingenti Nostro & Christianæ quoque rei
trimento experti sumus internecina odia & ma-
iinationes apud alios per Domum Austriacam
uctas; plus etiam quam integro anno sub peri-
ilis & hostilibus incursionibus, oneribusque per
ndem Domum accelerates Provinciæ Nostræ Ger-
ianicæ ingemiscunt: tempus nunc monet, ut No-
is prospiciamus, eaque media apprehendamus,
uæ necessitas ipsa dictaverit, nisi eidem succum-
ereNobis omnino constituendum sit. Hæc con-
deratio quamquam Nobis videri possit propria,
angit tamen Dilectiones quoque Vestras & Vos-
ietipsos. Judicamus enim tanquam pars prin-
ipalis quondam paciscens & nunc Sacri Romani
mperii Constatus, quanti intersit pericula hæc pu-
lica in tempore convenienter antevertere, quan-
æque consequentiæ & indaginis sit, si Domui Au-
triacæ licebit, etiam Imperiali dignitate nondum
lecoratæ, sub tempore quoque Interregni, pro lu-

bitu & impune absque Statuum Imperii consilio & consensu, aliorum exterorum Regum Principumque bella pro suis commodis metiri & moderari iisque inconsultis Imperii Ordinibus, præsertim cum eorum causa eadem bella gerere præ se ferat, se se immiscere, remque publicam tempestatibus committere, adeoque ea incendia in Sacri Romani Imperii campum temere trajicere, quæ semel accensa haud fuerint absque multorum etiam innocentium incommodis extingvenda. Nos prævidentes discrimina ex talibus profectura actionibus, quamquam satis nunc monitum esse, atque Dilectionibus Vestris Vobisque insinuatum non dubitemus, quo in articulo pacis publicæ integritas & certitudo jam collocata est; pro certiori tamen rei providentia, & si possibile est evitando compositione prævia & quidem tempestiva, malo, quod in Imperii viscera serpere videtur, superfluum non duximus, gravissimæ rei causa denuo ad Dilectiones Vestras Vosque mittere Legatos nostros Plenipotentiarios, utpote supremum Cubicularium nostrum & militiæ pedestris Chiliarchum illustrem nobis sincere fidelem & dilectum Dominum Nicolaum Brahe, Comitem in Visingsborg Liberum Dominum in Cyana, Dn. in Rydboholm & Seswagen, ut & nostrum in Ducatibus Bremensi & Verdensi Præsidem, Consiliarium Nostrum Aulicum & hactenus ad Dilectiones Vestras & Vos Ablegatum Extraordinarium generosum Nobis sincere fidelem Matthiam Biorenklow, Hereditarium in Elmenhoff, Wannestad & Teslingen, qui eadem rursus memorabunt ac periculi magnitudinem Dilectionibus

ɔus Veſtris Vobisque exhibebunt. Intelligent lectiones Veſtræ Vosque comperietis ab iisdem gatis Noſtris, quomodo non ſolum detrimenta, urias & ſine fine contemptum pasſi ſimus, ſed am quomodo jam perpetrata non adeo iniquo implacabili animo feramus, dummodo a parte ıſtriaca, revocato e Polonia exercitu, rejectisque deribus in perniciem Noſtri provinciarumque ɔſtrarum pactis, aliqua reconciliationis propenne, tranquillitati publicæ conſulatur, pacisque nabrugis & Monaſterii tanta ſanctitate animon ſtabilitæ articuli de novo redintegrentur & rroborentur, atque certa & ſolida Nos inter & cri Romani Imperii Ordines conſtituatur gvaıtia, qua ſub certis conditionibus & modo caatur de non amplius vel Nos vel publicas pacis ;es lædendo vel offendendo. Quemadmodum ɾo non dubitamus, Dilectiones Veſtras Vosque hac legationis noſtræ adornatione, perſpicere ſſe, quam ſollicitam & neceſſariam curam pro ınquillitate publica geramus, ita in ſaluberrimi ıctatus proſperiorem ſucceſſum Legatos Noſtros ła plenipotentia & cum Rege Hungariæ & Bomiæ, Dilectionibusque Veſtris & Vobis agendi concludendi communivimus, ne quidquam a ɔbis deſiderari posſit, quod paci reſtabiliendæ ervire videatur. Veſtrarum Dilectionum Veumque nunc eſt deſtinatis ſalutariter Noſtris ſucrrere conſilio, ope, autoritate veſtra; non enim ſtra ſolum res agitur, veſtra etiam haud ita prol eſt. Atque ſi dimisſis manibus Dilectiones ſtræ Vosque curaverint negotium, credimus Di-

lectiones Vestras Vosque posse ex memoria superioris temporis faciem & habitum Germaniæ futurum animo facile complecti. Vix enim sincera cicatrix iis vulneribus adhuc obducta est, utpote quæ post deposita Sveciæ arma vehementer refricaverat Domus Austriaca, ubicunque sibi commodum judicavit. Non indiget ergo Germania externis pro Magistro exemplis, domi exactum habuit monitorem, qui etiamnum cum vigore quodam eandem hortari possit, ad conspicandum arma Austriaca sanguine olim Germaniæ madentia, & feros intutosque pacis fructus inde subnatos, atque per hoc animari ad declinandum denuo, quod intentatur, naufragium. Est res adhuc fere in portu, quamvis unius temerario conatu pelagi tempestatibus destinata. Habent Dilectiones Vestræ Vosque Nostros ad manum legatos; non ad amplectendum modo, sed etiam offerenda justa, tranquillitatique publicæ conducentia media promptissimos. Habent reliquos pacis consortes in eundem scopum Nobiscum strenue contendentes. Tempus etiam aliud, vel labori ipsi opportunius, vel sperando effectui subnasci nullum potest optatius hoc ipso, quo & omnes Ordines simul & Principales paciscentes partes in unum sunt congregatæ, omnes identitate voluntatis ad vulnera sananda & animorum divortia componenda. Sacri quoque Romani Imperii Collegio Electorali liberum adhuc est, uti speramus & optamus, caput Constitutionibus Imperii publicisque pacis legibus alligandum constituere, sub quo florentissimi membra Imperii dehinc conquiescere possint. Huic saluberri-

errimo operi promptissimos Nos Dilectiones Veræ Vosque experiemini, sive Ducem sive fidum upiatis socium, utpote qui pacis Germanicæ beneficia belli prærogativis in gratiam Dilectionum 'estrarum Vestrumque quondam antetulimus, & ujus integerrima conservatione nihil Nobis est uitque semper vel antiquius vel prius. Quod si peras & mascula consilia adhuc contulerimus, ion speramus inutiliter Nos laboraturos. Sin veo Domus Austriaca supina obstinatione a reconiliationis nomine abhorreat, nec pacis voces pati mnino sustineat, sed per ejusdem ambitionem & niquitatem inevitabilia pericula necessario suffeenda sint, a Dilectionibus Vestris Vobisque amice & benevole contendimus, velitis Nos aliquo reponso dignari, consiliaque Vestra Nobis communicare, quid circa talem rerum statum facto opus esse judicaverint, quæq; auxilia a Dilectionibus Vestris Vobisque vigore Instrumenti pacis pro ejusdem conservatione & Provinciarum Nostrarum securitate Nobis promitttenda sint. Quamquam enim hac Legatione effectum velimus, ut neglectæ a Nostra parte curæ studiique pacis culpam præstemus, si consilia Nostra audita non fuerint, plurimum tamen & Nostra & Vestrarum referre arbitramur Dilectionum, ne in incerto simus, quatenus & Imperii pax a temerariis quorundam molitionibus custodiatur, ac præterea non ignoremus, in quantum quisque juxta conservationem ejusdem in amicitiam dehinc Nobiscum excolendam propendeat. Hæ causæ potissimæ sunt, cur novis Legatis, pluribus harum momenta rerum expositturis,

turis, Dilectiones Vestras Vosque invisere necessarium duximus; Requirimus autem a Dilectionibus Vestris & Vobis amice & benevole, ut eosdem admissos, non solum libenter audire & verbis eorum plenariam fidem habere, sed etiam sinceram & bono publico salutarem intentionem Nostram eo promovere connitantur, ut gravitati negotiorum conformis, & desideriis pacificorum animorum optatus respondeat eventus, quo sub constanti Imperii securitate & tranquillitate unicuique, beneficio pacis, tanto sanguine pretioque ante paucos annos reductæ, sibi acquisitis ditionibus absque impeditione frui & gaudere liceat. Deum animitus rogamus, velit operi benedictionem & successum cælitus reddere, atque Dilectionibus Vestris Vobisque eam largiri mentem, animumque, quo paria Nobiscum studia conjungere, atque pacificas & salutares cogitationes ad communem securitatis scopum fortiter dirigere queant. Quo fido voto Dilectiones Vestras Vosque divinæ protectioni commendamus. Dedimus Gotheburgi, die 24. Maji, 1658.

Dilectionum Vestrarum

*Bonus Consanguineus & amicus, & Vobis singulari benevolentia affectus*

CAROLUS GUSTAVUS.

Eduard. Ehrensteyn.

CCXCIX.

## CCXCIX.

*tera CAROLI GUSTAVI, Suecorum Regis, ad JOHANNEM GEORGIUM II. Saxonum Electorem, quibus ipsi internecina in Regnum Sueciæ odia Domui Austriacæ ita volupe esse, ut classicum contra istud canendo ab omnibus æquæ pacis conditionibus abhorreat, exponit, ac eum, ut adæquata malis hisce, quæ jam valeret per Sacrum Rom. Imp. Vicarii autoritate, adhibere remedia haud gravetur, blande compellat, 1658.*

;elsissime Princeps, Consanguinee, Affinis & Amice Charissime.

QUandoquidem divino quodam munere post exantlatos belli labores & pericula, quæ ab : regni Nostri parte aliquandiu sustinuimus, deeratam & quod optavimus semper, securam pan adepti videmur, intermittere non possumus, in lætitiæ exinde Nobis subnatæ Dilectionem oque Vestram participem faciamus, utpote am nobis hoc proprium sibi quoque commune idium facturam speremus. Deus velit inspi: cordibus eorum, quorum in manu est, pa1 Nobiscum colere, mentem tranquillam atque lia eo collimantia finesque ac terras Dilectionis træ diutissime custodire, quo pace, qua gavisa tenus est, perpetua absque interruptione frui at. Votum præterea Nostrum est, ut cum nibus Nostris hostibus reconciliari queamus, ous & pacem prolixe obtulimus jam diu, & ab :m honestam acceptare parati sumus. Dolemus

lemus autem nonnullis Noſtris malevolis, atque inter eos præcipue Domui Auſtriacæ, internecina ſua odia adverſus Nos exercere, ita volupe eſſe, ut non modo injurias & damna Nobis & Noſtro Regno Provinciisque inferat, primum occultis & ſubdolis machinationibus, cuniculis, artibus & ſupplantationibus, poſtremo ququе manifeſto bello vi & armis, adeoque has injurias per ſe & alios ſine fine nociturisque Sacro Romano Imperio vinculis accumulet, plane contra vigorem legum publicarum & Imperii Romani reverentiam, etiam ſub orbitate ejusdem, ſed etiam (quod magnopere nos afficit) omnes noſtras amicabiliter oblatas aperturas ad reconciliationem adeo contemptui habeat, ut non ſolum pacis voces, ſed nec magnorum in Imperio Principum autoritatem aut adhortationem admittere in animum, ſuſtineat. Exiſtimavimus fore, ut, cum Imperator Ferdinandus III. ex hac vita evocaretur, pernicioſa in ſalutem Chriſtianæ rei conſilia mutarentur, aut bellum, quod pro totius Imperii commodo, ſi Diis placet, cœptum videri voluit, nec ſine Comitiali liberoque omnium Imperii Statuum ſuffragio & conſenſu ſuſcipi debeat, gradum ſiſteret, ſaltem quamdiu electionis actus in incerto eſſet. Verum conſtat, eum eſſe atque fuiſſe Domus Auſtriacæ in Nos & Regnum Noſtrum ſive ſupinam animi averſionem & odium, ſive proprii Intereſſe ſtudium atque fundamenta jacta rationum illuc facientium, quæ nullo mortis caſu mutari poterant, quamvis Interregnum & Vacantia Imperii evidentiſſimis periculis eo ipſo objiceretur. Diſſimulare equidem ſtatuit

Domus Austriaca animo destinata, dum de
ona Imperii agitaretur, intra Poloniam coer-
; sua arma, dum alienis ad Provincias Nostras
iermania desolandas uteretur, pacem tamen
'is supplantans; sed cum certior esset facta de
tro adipiscendo, non dubitavit fœderibus of-
ivis, imo vindicativis etiam, ut ministri ejus
itant, cum externis Regibus & Electore Bran-
burgico, submissis etiam ad Suos Generales
datis, ea propositi sui indicia proferre, quæ
dubitare prohibent, quin simul ac Corona
eriali potita fuerit, sicut antea in Polonia; ita
Germania omnibus viribus sit executura. In
im tamque periculosarum machinationum
tinuatione non alia nobis remedia suppete-
t, quam ut explicato per Ministros Nostros
issime imminente periculo, S. R. Imp. Electo-
, Principum & Statuum guarantiam in Instru-
ito pacis comprehensam compellaremus, atque
rea nullas omnino occasiones omitteremus,
bus divortia animorum componerentur, & In-
menti pacis leges sartæ tectæ conservarentur.
nit autem, ut sub tanto tempore, quo hoc
tinuo insinuamus, responsum nullum reddatur
mperio, ne dum guarantia ullibi appareat, nec
ditio reconciliationis ulla a Domo Austriaca
eptetur, quin illa exasperata magis oblationes
stras aspernetur, & vaga in Polonia belli incen-
conatu omni in Germaniam trajicere amplius
vereatur. Cum vero hoc ipso integritas pa-
rum Osnabrugensium fidesque publica vehe-
iter deterioretur, Nobis vero periculi magnitu-
do

do in dies succrescat, adeo ut conservationem Nostri & Provinciarum Nostrarum non nisi in extremis necessitatis terminis collocatam videamus, solenni ad Collegium Electorale & Universos Sacri Romani Imperii Ordines Legatione, denuo pacis restabiliendæ conditiones non modo acceptare, sed etiam offerre decrevimus, dummodo Sacrum Romanum Imperium de non amplius pacem Germanicam turbando nec Nos & Provincias Nostras, ullo deinceps modo violando caveat. Utinam Status & Ordines Imperii hanc intentionem Nostram sic cordi sibi habere vellent, quo & Nos voti Nostri damnemur, & proposita tam salutaria condignus comitetur effectus. Cæteros vero inter pacis cultores haud dubitamus vel imprimis numerare DilectionemVestram, quæ ut præcipuum Imperii præsertim eodem vacante fulcrum, plurimum momenti curandæ publicæ tranquillitati allatura est, si manum operi admovere non detrectet; Ac proinde eandem hisce amice requirimus, velit auxiliarem manum addere, ac operi omnium saluberrimo, succurrere, quo pace tuto & absque impeditione frui liceat. Arbitramur autem expedire, cum universo Imperio, tum Dilectionis Vestræ Statui & Terris, non permittere aut Nos perpetua violentia Austriaca supra modum aggravari, vel ejus causa periculum aliquod in viciniam suam attrahi. Unde in animo tanto certior spes Nobis subjicitur, fore, ut Dilectio Vestra, cum ob æquitatem causæ Nostræ, tum etiam communis periculi avertendi rationes, eam adhibeat operam, qua tempestates, quibus Rempubl, committere

tere Domus Auftriaca tentat, in tempore fedari & refrænari poffint. Dedit Deus Dilectioni Veftræ autoritatem non exiguam inter Imperii Conftatus, nec inutilem fore fanorum confiliorum operam confidimus, fi quod æquitas & ratio fuadet, jufto animi vigore actum & tractatum fuerit, a Nobis quamquam nihil defideratum hactenus fit, quod fanandis vulneribus non adhibuimus, nihil tamen deinceps omittemus, dummodo oblationibus & confiliis bonus locus aliquis relinqui poffit. Quibus Dilectionem Veftram divinæ protectioni ex animo commendamus. Dedimus Gothebur-gi, die 28. Maji, Anno 1658.

Dilectionis Veftræ

*Bonus Confanguineus, Affinis & Amicus*

CAROLUS GUSTAVUS.

Eduard. Ehrenftein.

CCC.

*Litera* OLIVERII CROMWELLII, *Anglicanæ Reipublicæ Protectoris, ad* FERDINANDUM II. *Magnum Hetruriæ Ducem, quibus Classem Anglicam in confpectu Portus Liburnenfis hoftilem in modum habitam effe, graviter conqueritur, utque fupplicio Præfecti Liburnenfis id juffu & voluntate fua haud factum effe oftendat, aut facti vindictam expectet, monet & minatur, 1658.*

OLIVERIUS, Protector Reipublicæ Angliæ &c. Serenissimo Principi FERDINANDO, Duci Magno Hetruriæ.

*Serenissime Dux Magne.*

CUm Celsitudo Vestra in omnibus quidem literis suis summam erga Nos benevolentiam suam Nobis semper significaverit, dolemus id Præfectis Vestris ac ministris aut tam obscure significatum, aut tam male intellectum, ut in Portu Liburnensi, ubi maxime, quæ Vestra sit erga Nos benevolentia, intelligi oporteret, Nos nullum ejus fructum aut indicium percipere queamus; imo alienum potius, & hostilem Vestrorum in Nos animum indies experiamur. Quam enim non amicis Nostra classis Liburniensibus usa nuperrime sit, quam nullis adjuta rebus, quam hostiliter denique accepta bis ab illo oppido discedere coacta sit, cum ex eo ipso loco multis testibus fide dignis, tum ex ipso Navarcho Nostro, cui cum classem credamus, narrandi fidem derogare non possumus, satis videmur Nobis nimisque certo cognovisse. Priore ejus adventu Cal. Jan. post redditas Celsitudini Vestræ literas Nostras, vestraque omnia humanitatis officia Nostris hominibus ultro delata, petentibus ut portus Ferrarii commoditate uti liceret, responsum est, id concedi non posse, ne Rex Hispaniæ, scilicet Noster hostis, offenderetur. Et tamen quid est, quod Princeps Amicus amico præbere communius possit, quam littoris ac

c portus aditum? quid est, quod Nos expectare
b hujusmodi amicitia possimus, quæ hostium No-
strorum animum ne offendat, incommodare No-
bis quam commodare, aut vel minimis rebus sub-
venire paratior sit? Et primo quidem ex singulis
navibus duobus vel tribus nautis duntaxat excen-
sus in terram, sive commercium (quam Vos pra-
cticam vocatis) est datum: mox ut auditum est in
oppido navem quandam Belgicam, quæ frumen-
tum in Hispaniam portabat, a Nostris esse inter-
ceptam, quod erat antea commercii, statim adimi-
tur; Longlandius, qui Nostris illic mercatoribus
præsidet, classem adire non permittitur; aquatio,
quæ omnibus non plane hostibus libera est, non-
nisi sub armatis custodibus, iniquo pretio, & qui-
dem ægerrime, præbetur: tot Nostris mercatori-
bus, qui non sine maximo Vestrorum emolu-
mento illic versantur, suos ne invisant populares,
aut ulla re adjuvent, interdicitur. Posteriore
ejus adventu sub exitum Mensis Martii, egressus ex
navibus nemini datur: quinto post die, cum na-
viculam quandam Neapolitanam prætoria navis
Nostra, in Nos forte incidentem, excepisset, du-
centa plus minus tormenta ab oppido classem ver-
sus disploduntur, quorum nullum ictu Nos læsit,
neattigit quidem: quod argumento esse potest,
quam longe hæc a portu atque castelli ditione in
alto gererentur, quæ Vestros quasi portu violato sic
sine causa irritarunt: confestim aquatorum No-
strorum scaphæ intra portum oppugnantur, una
capitur, detinetur, reposcentibus neque scapham

neque homines redditum iri respondetur, nisi capta illa navis Neapolitana reddatur, quam constat libero mari captam, ubi capi licuit. Ita Nostri multis modis incommodati sine illo commeatu, quem numerata pecunia coemerant, abire denuo coguntur. Hæc si Celsitudinis Vestræ voluntate ac jussu, quod speramus, non fiunt, petimus id ostendat Præfecti illius supplicio, qui amicitias Domini sui violare tam facile in animum induxit: sin est, ut sciente ac volente Vestra Celsitudine commissa hæc sint, cogitet Nos, ut benevolentiam Vestram plurimi semper fecimus, ita apertas injurias a benevolentia dignoscere didicisse.

Vester,

*Westmonasterio ex Aula Nostra, die — Maji, Anno Domini 1658.*

*quoad licet, bonus amicus*

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c.

## CCCI.

*Litera OLIVERII CROMWELLII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, cui pro illustri ad se missa legatione & victoria nuper obtenta communicatione gratias agit maximas, ejusque rationes sibi constanter curæ fore, promittit, 1658.*

OLI-

OLIVERIUS, Protector Reipublicæ Angliæ, Serenissimo, Potentissimoque Principi LUDOVICO, Galliæ Regi.

*Serenissime Potentissimeque Rex, Amice ac Fœderate Augustissime.*

QUod tam celeriter illustri missa legatione Majestas Vestra meum officium cumulo rependit, cum singularem benignitatem animique magnitudinem testata est suam, tum meo etiam honori ac dignitati quantopere faveat, non mihi solum declaravit, verum etiam universo populo Anglicano: quo nomine Majestati Vestræ pro eo, ac de me merita est, gratias & ago & habeo maximas. De victoria, quam conjunctis Nostris copiis Deus contra hostes felicissimam dedit, Vobiscum una lætor; Nostrosque in eo prælio neque subsidiis Vestris, neque majorum suorum bellicæ gloriæ neque suæ denique virtuti pristinæ defuisse, perquam etiam gratum est. De Dunkirka, quam deditioni proximam Majestas Vestra sperare se scribit, eam nunc deditam tam cito posse me rescribere, insuper gaudeo: neque unius urbis jactura duplicem perfidiam Hispanum propediem esse luiturum spero; quod capta urbe altera effectum esse, velim Majestas etiam Vestra tam cito possit rescribere. Quod reliquum, pollicetur meas rationes curæ sibi fore, de eo Regi optimo atque amicissimo pollicenti, ejusque legato Excellentissimo atque Ornatissimo Viro Duci Crequiensi idem confirmanti, non diffido; Deumque Optimum Maximum

mum Majeſtati Veſtræ Reique Gallicæ domi belli-que propitium exopto.

Majeſtatis Veſtræ

*Weſtmonaſterio die —*
*Jun. Anno Domini*
*1658.*

*Studioſiſſimus*

Oliverius, Protector Reipubl.
Angliæ &c.

CCCII.

*Literæ OLIVERII CROMWELLII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad CARDINALEM MAZARINUM, cui, quod Nepotem ſuum una cum illuſtri Regis legatione ad ſe miſerit, cumulatiſſimas gratias agit, quantique eum faciat teſtatur, 1658.*

OLIVERIUS, Protector Reipublicæ Angliæ &c. Eminentisſimo Domino CARDINALI MAZARINO.

*Eminentiſſime Domine.*

CUm Regi Serenisſimo per literas gratias agam, qui honoris & gratulationis reddendæ cauſa, ſuæque lætitiæ de nobilisſima recenti victoria mecum communicandæ Legationem ſplendidisſimam miſit, ingratus tamen ſim, niſi Eminentiæ quoque Veſtræ debitas ſimul gratias per literas perſolvam; quæ ad teſtandam ſuam erga me benevolentiam, meique rebus omnibus, quibus pot-

eſt

est ornandi studium, Nepotem suum præstantissimum atque ornatissimum adolescentem una misit, & si quem haberet apud se propinquiorem, aut quem pluris faceret, eum potissimum fuisse missurum scribit: addita etiam ratione, quæ ab judicio tanti Viri profecta ad meam haud mediocrem laudem atque ornamentum pertinere existimo; nempe ut, qui sanguine conjunctissimi sibi sunt, in me honorando atque colendo Eminentiam suam imitarentur. Et humanitatis quidem, candoris, amicitiæ Vestrum in me diligendo exemplum haud postremum fortasse habuerint; summæ Virtutis summæque prudentiæ alia in Vobis longe clariora; quibus regna resque maximas summa cum gloria administrare discant. Quas res uti possit Eminentia Vestra quam diutissime quamque felicissime gerere ad totius Regni Gallici, imo totius Reipublicæ Christianæ commune bonum, Vestrumque proprium decus, non defutura mea vota polliceor.

Eminentiæ Vestræ

*Westmonasterio, ex Aula Nostra, die — Junii, An. Domini 1658.*

*Studiosissimus*

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c.

## CCCIII.

*Litera* OLIVERII CROMWELLII, *Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad* CAROLUM

*GUSTAVUM, Suecorum Regem, quibus ipsi sibi per improborum Civium suorum perfidiam fœdus cum eo inire non licere, se tamen omnibus, quibus posset, officiis illius rationibus non defuturum nuntiat, 1658.*

OLIVERIUS, Protector Reipublicæ Angliæ &c. Serenissimo, Potentissimoque Principi, CAROLO GUSTAVO, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi &c.

*Serenissime Potentissimeque Rex, Amice ac Fœderate Charissime.*

QUoties communium Religionis hostium importuna consilia, variasque artes intuemur, toties Nobiscum reputamus, quam necessarium Orbi Christiano, quamque salutare sit futurum, quo facilius adversariorum conatibus iri obviam possit, Protestantium Principes inter se & potissimum Majestatem Vestram cum Republica Nostra arctissimo fœdere conjungi. Id a Nobis quantopere sit, quantoque studio expetitum, quam denique gratum Nobis accidisset, si Suecorum Nostræque res ea conditione ac loco fuissent, ut fœdus illud ex utriusque animi sententia sanciri, alterque alteri opportunissimo auxilio esse potuisset, Oratoribus Vestris, ex quo primum illi hoc apud Nos egerunt, testatum reddidimus: Neque vero illi suo muneri defuerunt; sed quam cæteris in rebus consueverunt, eandem hac quoque in parte pru-

prudentiam ac diligentiam adhibuerunt. Verum ea Nos domi improborum Civium perfidia exercuit, qui in fidem sæpius recepti, res novas tamen moliri, & cum exulibus, etiam cum hostibus Hispanis discussa jam sæpe & profligata consilia repetere non desinunt, ut in propulsandis periculis propriis occupati, neque curam omnem, neque integras opes, quod in votis erat, ad communem Religionis causam tuendam convertere hactenus potuerimus. Quod licuit tamen, quantumque in Nobis situm erat, & antea studiose præstitimus, & si quid in posterum Majestatis Vestræ rationibus conducere videbitur, id non velle solum, verum etiam summa ope Vobiscum una agere per occasiones non desistemus. Interea Majestatis Vestræ rebus prudentissime fortissimeque gestis gratulamur atque ex animo lætamur: Eundemque uti velit Deus felicitatis atque victoriæ cursum esse quam diuturnum ad sui nominis gloriam assiduis precibus exoptamus.

Majestatis Vestræ

*Westmonasterio, ex Aula Nostra,*
*die — Jun. Anno Domini*
*1658.*

*Studiosissimus*

Oliverius, Protector Reipubl.
Angliæ &c.

## CCCIV.

*Litera DEPUTATORUM CAROLI GUSTAVI, Regis Suecorum, nomine ad pacis tractatus in Oris borealibus reassumendos missorum, ad DEPUTATOS FRIDERICI WILHELMI, Electoris Brandenburgici, de quorum discessu, pacis conventioni remoram injiciente, graviter conqueruntur, 1658.*

### Illuſtriſſimi, Generoſi & Magnifici Domini Legati.

INopinato nobis accidit audire præfeſtinatum Excellentiarum & Dominationum Veſtrarum diſceſſum, & ex iſto ereptam occaſionem proponendi mandata Regia, quæ alio non tendunt, quam ut ad tractatus pro amicitia & pace præparetur via, ad iſtud negotium facilius ductura, ſi non effugitur. Relatum cum eſſet heſterno die per illuſtrisſimam Legationem Brunſvico-Luneburgicam & Haſſiacam Excellentias & Dominationes Veſtras non a congreſſu & perceptione propoſitionis faciendæ, ſaltem ab illorum præſentia fuiſſe alienas, iſtorum deſiderio, jam id ſacra Regia Majeſtas Dominus noſter Clementiſſimus indulſerat, ut abesſent, ideo iis remotis ad Excellentias & Dominationes Veſtras hoc ipſo mane venire nobis decretum erat. Quare autem ſublato jam eo prætextu nihilominus recuſare & deſtinatum colloquium evadere voluerunt, non liquet. Ut autem Sacra Regia Majeſtas nihilominus inſiſtit propoſito non abjiciendi curam pro pace & quiete publica; ita nec noſtro deeſſe debuimus officio, transmittentes, quod

quod coram proponere & inſcriptis adhibere juſſi fuimus. Unde intelligent, quam nihil fiat, niſi quod neceſſarium & pro præſentibus rerum circumſtantiis conſuetum, quamque non ſalutaris intentionis turbatio, ſed proſecutio deſtinata ſit, ut non niſi per Excellentias & Dominationes Veſtras ſteterit, ſi quid ſecus eveniet. Relinquitur ipſis adhuc integrum redire, aut alium tractandi locum eligere, ſi placuerit. Quemadmodum autem Sacra Regia Majeſtas ea ſignificatione ſe ad tractatus adduci paſſa eſt, ſic poſt exhibita, quæ huic rei convenient mandata, intelligetur, penes Sacram Regiam Majeſt. nihil deſiderari poſſe, ut redintegretur, quæ adverſis Suæ Elect. Serenitatis actibus ad hoſtilitatem usque turbata & interrupta eſt amicitia. Quibus cum Excellentias & Dominationes Veſtras Divinæ protectioni committimus. Dedimus Flensburgi die 24. Junii 1658.

Excellentiis & Dominationibus
Veſtris

*ad officia paratiſſimi*

David Mevius Schweder.
Dietrich Kley.
Eduart Ehrenſtein.

CCCV.

*Reſponſoria* DEPUTATORUM BRANDENBURGICORUM *ad proxime præcedentes* SVECICORUM *literas*, 1658.

Gene-

*Generosissimi, Magnifici ac Nobilissimi Domini.*

ACcepimus literas a Dominationibus Vestris ad nos die 24. Junii Flensburgi exaratas, & ut fateamur, quod res est, obstupuimus fere: Nempe post abitum in itinere compellari, præfestinati discessus argui, ac denique tot malorum culpam in nos demum rejici. Qui, si non rogati, saltem non contra vota Suæ Regiæ Majestatis ab Electore Consanguineo ac Principe Imperii & vicino missi, admissi etiam sub initio a Regis Ministris usque ad Curiam ipsam; Post tanti tamen temporis moram, ne viso quidem Rege, tandem ut Domini sui honori ac securitati suæ consulerent, se quasi vi compelli, ad discessum non obscura argumenta ex eo colligebant, quod Suam Serenitatem Electoralem hostem publicum indigitari viderent, ac id non solum ab inani plebis murmure, sed apertissimis literis Domini Comitis de Schlippenbach ad nos, prout adjectæ demonstrant, missis, perspectum haberent. Id demum est, quod nobis perquam grave accidit; Docebunt id literæ nostræ responsoriæ ad Dominum Comitem de Schlippenbach, quas cum ferme sub abitu adeoque tardiuscule redditas & cum Dominationes Vestræ suas scriberent, ne visas quidem certo statuamus, illud solum addimus, Nos, ex mente Suæ Serenitatis Electoralis jussa ulteriora consecuti, non intermissuros, quin Generosis Dominationibus Vestris amplius & prout res expostulabit respondeamus. De cætero

tero Generosis Dominationibus Vestris nulla non prospera apprecantes divinæ tutelæ easdem recommendamus. Dab. Rensburgi 25. Julii 1658.

Generosis Dominationibus Vestris

*ad officia paratissimi*

Otto, Liber Baro à Schwerin.
D. Weimann.

CCCVI.

*Literæ recredentiales, a JOHANNE GEORGIO II. Electore Saxoniæ, & tunc temporis S. R. Imperii Vicario, Domino de Maseroles, ad LUDOVICUM II. Principem Condeum redditæ, 1658.*

P. P.

EXhibuit Nobis Dilectionis Vestræ Ablegatus, Dominus de Maseroles literas, quas ad Nos dedit credentiales, simulque largissimum, quo se Nobis addictam profitetur, affectum laudabili dexteritate explicavit. Nos uti ad quævis Amicitiæ genera erga Dilectionem Vestram semper propensi fuimus; ita ampliorem eorum Domino Ablegato de hoc reddere voluimus contestationem, qui eo singulari desiderio ferimur, ut grata quæque Dilectioni Vestræ ipso facto demonstrare poterimus, de quibus plura prædictus Dominus Legatus fideliter referet; Nos vero Dilectionem Vestram hisce divinæ protectioni commendamus. Dabantur Francofurti ad Mœnum die 30. Julii 1658.

CCCVII.

CCCVII.

*Litera OLIVERII CROMWELLII, Reipublica Anglia Protectoris, ad ALPHONSUM VI. Lusitania Regem, quibus eum, ut Joanni Buffield, mercatori Londinensi, a Tamirensibus mercatoribus, debitoribus suis, variis artibus eluso, de jure melius administrando prospicere, aut totam actionem, ad judicium, Conservatoris, judicandis Anglorum causis in Lusitania constituti, rejicere dignetur, amice compellat, 1658.*

OLIVERIUS, Protector Reipublicæ Angliæ &c. Serenissimo Principi, Lusitaniæ Regi. S. P. D.

*Serenissime Rex, Amice ac Fœderate,*

OStendit Nobis per libellum supplicem Joannes Buffield mercator Londinensis, se anno 1649. merces quasdam Antonio Joanni & Manueli Ferdinando, Castaneo Tamirensibus tradidisse, uti iis divenditis earum rationem mercatorum more sibi redderent: tum in Angliam dum navigaret, in piratas incidisse spoliatumque ab iis damnum haud mediocre accepisse: hoc audito, Antonium & Manuelem, eo quod hunc interfectum credebant, traditas sibi merces statim pro suis habuisse, adhuc etiam retinere, rationemque omnem de iis recusare, atque huic fraudi subsecutam paulo post anglicarum mercium proscriptionem obtendere; coactum se demum superiore anno hyeme media in Lusitaniam redire, sua repetere, sed frustra; hos enim neque bona, neque rationem ut red-

reddant, adduci posse; & quod mirum sane videatur, privatam illarum mercium possessionem proscriptione publica defendere: cum videret, se hominem longinquum deteriore conditione cum Tamirensibus in sua patria contendere, ad Majestatem Vestram se confugisse; Conservatoris judicium, qui judicandis Anglorum causis constitutus est, supplicem poposcisse, a Majestate Vestra rursus ad forensem illam cognitionem, unde confugerat, rejectum esse. Quod etsi per se iniquum non est, tamen cum perspicuum sit, Tamirenses istos Vestro edicto publico ad suam privatam fraudem abuti, a Majestate Vestra majorem in modum petimus, ut causam hujus multis casibus afflicti, ad inopiamque redacti ad Conservatorem potius Judicem proprium velit pro sua clementia integrum remittere: quo possit inops fortunarum suarum quod superest, ab illorum hominum infida societate recuperare: id re cognita, quin Majestati Vestræ Nobiscum una maxime placeat, non dubitamus.

Majestatis Vestræ

*Westmonasterio ex Aula Nostra,*
*die — Augusti, Anno*
*Domini 1658.*

*Studiosissimus*

Oliverius, Protector
Reipubl. Angliæ &c.

CCCVIII.

*Literæ Intercessionales ab* OLIVERIO CROMWELLIO, *Anglicanæ Reipublicæ Protectore,*

*ad*

*ad LEOPOLDUM, Austriæ Archiducem, & sub Philippo IV. Hispaniarum Rege, Provinciarum in Belgio Præsidem, pro Carolo Harbordo, Equite Anglicano, exarata, 1658.*

Serenissimo Principi LEOPOLDO, Austriæ Archiduci, Provinciarum in Belgio, sub Philippo Hispaniarum Rege Præsidi.

*Serenissime Domine,*

CArolus Harbordus, Vir equestris apud Nos Ordinis, per libellum supplicem ad Nos detulit, se bona quædam & supellectilem cum ex Hollandia Brugas in ditionem Vestram asportasset, de iis, ne sibi per vim atque injuriam eripiantur, inopinato periclitari. Ea nempe cum a Comite Suffolchiensi, pro quo se grandi ære alieno obstrinxerat, ex Anglia Anno 1643. missa ad se idcirco fuissent, ut haberet, quo sibi satisfaceret, si quid pro illo dissolvere cogeretur, a Richardo Grenvillo, qui & ipse Equestris Ordinis esse fertur, occupari, & quo in loco custodiebantur, effractis foribus atque articulis possideri: hoc solo titulo, deberi sibi nescio quid a Theophilo Suffolchiensi Comite defuncto, ex quodam Nostræ Curiæ Cancellariæ decreto, eaque proinde bona quasi Theophili Comitis essent, eique decreto obnoxia, se referenda in Tabulas curasse: cum ex Nostris Legibus, neque ipse Comes, qui nunc est, & cujus hæc bona ejus sunt, eo decreto teneatur, neque bona ejus occupari aut retineri debeant: id quod ex sententia ejusdem Curiæ, una cum hisce literis ad Vos missa, declaratur, quas quidem literas supradictas Carolus

Har-

Harbordus a Nobis petiit, uti per eas Celsitudinem Vestram rogatam vellemus, ut bona illa & retentione omni, & iniqua ista Richardi Grenvilli actione, primo quoque tempore liberentur: cum hoc contra morem jusque gentium plane sit, ut cuiquam in aliena ditione ea de re actio detur, quæ in ea regione, ubi causa actionis orta est, legitime dari non possit. Hanc causam, ut Celsitudini Vestræ commendaremus, & ipsa Justitiæ ratio, & prædicata passim Vestra æquanimitas permovit. Quod si quo tempore usus venerit, ut de jure aut commodis Vestrorum apud Nos agatur, haud remissa profecto Nostra studia, imo omni tempore propensissima experturos Vos esse polliceor.

Celsitudinis Vestræ

*Westmonasterio die — Aug.*
*Anno 1658.*

*Studiosissimus*
Oliverius Protector Reipubl.
Angliæ &c.

## CCCIX.

*Litera CAROLI GUSTAVI, Suecorum Regis, ad GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, quibus ipsis causas belli denuo contra Danos moti breviter exponit, ac ab iis, num in constanti & proficuis tot annorum fœderibus communita amicitia secum perstare, aut hostium suorum partes consilio & ope sua roborare velint, categorice sibi responderi cupit. 1658.*

 Non

NOn dubitamus mirum Vobis videri, quod arma denuo in Daniam ſtringamus, ex quo non ita pridem pacem adepti forſan dixeritis. Sed cum de juſtitia inſtituti Noſtri certiores facti fueritis, intelligetis, nec ſuperiori bello adhuc finem fuiſſe impoſitum, nec rebus ſic conſtitutis potuiſſe Nos de pace ſecuros eſſe. Bellum enim terminatum dici nequit, niſi adimpletis legibus, quarum prævia conditione pax intelligi debet reducta; quibus ſi Dani ea animi alacritate fuiſſent obſecuti, qua promptitudine eas polliceri non detrectarunt, novo in his oris ſtrepitu haud fuiſſet opus; Sed cum experiremur præteritum tractatus apparatum alium in finem non fuiſſe expeditum, quam ut tunc curſui armorum noſtrorum obice velut poſito, injectiſque verbalibus delinimentis tempus aucuparentur, ac poſtea probata animi noſtri moderatione in temperandis pacis conditionibus, egreſſoque e Selandia exercitu Noſtro, executionis perpetua in hunc diem tergiverſatione, remora & contradictione nos regni Noſtri ſecuritate privarent, rejectos in ſuperiorum temporum diſcrimen, ſi arma ad alios Noſtros hoſtes, re hic infecta, convertiſſemus, utique neceſſitas Nobis eſt impoſita ab iis Nobis cavendi, quibus facile ſemper ac promptum eſt, in nuda Imperii noſtri viſcera, eique adnexas provincias penetrandi. Cujusmodi quidem facinori ſæpe obnoxii fuimus, verum tunc conſpicuo plane exemplo, cum e Polonia ſuperiori anno divertere cogeremur, non absque inſigni periculi & damni noſtri ſenſu. Longum foret ea omnia literis recenſere, quæ Nobis

hanc

hanc expeditionem causata sunt, alias animo constituentibus cæteris Nostris hostibus in tempore obviam ire, qui ex tanta Danorum tergiversatione occasionem arripuerunt, potiores prærogativas prensare, & irreparabilia Nobis damna inferre. Exponet Vobis Minister noster apud Vos Residens Nobilis sincere nobis fidelis Haraldus Appelboom fusius, quæ in hanc rem sunt, ut, intellecto, quanta & tarditate & astutia Dani Nobiscum in omnibus fere punctis conservationem & securitatem Regni Nostri concernentibus egerint, alienum non judicetis, si Nobis consulere nitamur, ne ad eundem plane scopulum rursus impingamus. Reputantibus vero Nobis, quæ res Danos tantopere moraretur, quo minus pacta conventa juste exequerentur, cum viderent Nos & Copiarum Nostrarum in provincias nostras Germanicas eductione, partim nostro proprio versus fines cum robore exercitus abitu, non alia occurrit causa, nisi quod haud quaquam eo animo Danos animadverterimus, ut promissis stare cuperent, existimantes vel invitis necessitatem inevitabilem nobis imponi, negotio neutiquam confecto, hinc excedendi, tot scilicet aliis hostibus nos provocantibus. Quanto enim magis abitum paravimus, sperantes eo rem perductum iri, ut ultima manus executioni imponeretur, tanto minus negotium curæ cordive iis fuit, ad tres septimanas omnem cum Legatis nostris conferentiam abscindentes, & quidem, quæ semel tractata videri debebant, scripto reddere in hunc usque diem, quamquam instanter nostris & sæpe flagitantibus, differebant, nonnulla etiam revocare ten-

 tabant,

tabant, apertam ſibi ubivis ad controverſias & actionem tenentes viam & cum opportunum videretur, pacem rurſus rumperent. Cæterum militem externum alere, eundemque novis ſupplementis locupletare pergebant, quod ſicuti Daniæ hoc tempore nonniſi grave eſſe poteſt, ita de nihilo fuiſſe haud quisquam facile judicaverit, qui anteacta cum præſentibus componere didicit. Et quamvis eo redactam Daniam arbitraremur, ut omiſſis alienis ſui rationem ſtatus in conſilio potiſſimum haberet, compertum tamen eſt aures inimicorum Noſtrorum Miniſtris tam in Dania quam extra eandem frequenter aperuiſſe, id quod haud minimam tergiverſationis rationem nobis ſubjicit. Non tamen adeo miramur, ſi aperti & jurati Noſtri hoſtes Daniam contra Nos inſtigent, id vero Nos magis afficit, quod vehementer jactet, brevi a Vobis contra nos conſpicua auxilia ſubminiſtratum iri: imo vero affirment, Legatum veſtrum Beuningium prolixiſſime hocpromiſiſſe & id egiſſe, ne tractatus Nos inter & Daniam omnibus numeris abſolvatur. Novimus equidem aliunde, etiam dictum Legatum ea negotiatum eſſe, quæ amicitiæ & fœderationi noſtræ aliorumque Veſtrorum Legatorum apud nos degentium conteſtationibus haudquaquam reſpondent, non tamen eo excurrere & prævalere animi ejus intemperantiam putavimus, ut ipſi integrum ſit, tempeſtates magis exaſperare quam ſedare. Cum vero hactenus ea egerit dixeritque, quæ nec fœderis Noſtri legibus conſona ſunt, nec conſervatio noſtri patitur, dicendumque ſit, eundem haud poſtremam cauſam eſſe turbatæ

in

in ſeptentrione tranquillitatis, verendum ſane eſt, ne ad Vos jam reverſus ſiniſtre omnia interpretetur, diſſidiaque potius, ut diu conſuevit, excitare & alere, quam paci & bonæ inter amicos correſpondentiæ operari conetur, Nos vero cum nihil antiquius aut potius ducamus, quam ſinceram vobiscum colere amicitiam, valde abhorremus ab iis, qui diſcordiæ faces ſubmittere quærunt, atque proinde non ea modo contribuimus ſemper animo & factis, quæ Vobis & Reipublicæ Veſtræ grata, fœderibus vero mutuis commoda judicamus, ſed etiam cum veſtrorum quorumdam Miniſtrorum operas eo collimare videremus, quomodo rebus hoſtium Noſtrorum Vos miſcerent, per miniſtrum noſtrum amice requirendum putavimus, quid nobis omnino de inſtituto Veſtro perſuadendum esſet; victurine ſitis nobiscum, ſicuti optamus & ſperamus, in conſtanti & infucata amicitia, tot annorum fœderibus, non ſine præclaro utriusque partis fructu communita, an, uti dictus Legatus Beuningius ſpem hoſtibus Noſtris ſubjeciſſe fertur, conſilium & mentem, absque ulla a nobis data cauſa mutaturi & hoſtium noſtrorum partes conſilio & ope Veſtra roboraturi ſitis? Nos certe ut talis Legati Veſtri ſtudii nec cauſam legitimam, nec fructum ſatis commodum inde venturum perſpicimus, ita nec in animum inducere poſſumus, ut Veſtro id juſſu egerit, eoque magis fixum nobis eſt perſeverare in illibata Vobiscum amicitia, eandemque ſicuti in omnibus occurrentiis fecimus, comprobare certiſſimis candoris argumentis

 para-

parati ſumus, ſi non diſpliceat Vobis paria Nobiscum,ut veros confœderatos decet, facere. Atque cum Nos non fugiat, poſſe ſubditis Veſtris ex hoc cum Dania reſuſcitato bello ſuboriri aliquam ſuſpicionem, quaſi per illud commercia quidquam damni patientur, ad liberandum eos tali opinione ac pariter conteſtandum certitudinem amicitiæ noſtræ convenire cenſuimus, ut hiſce Vos aſſecuraremus, nihil incommodi, aut impedimenti ad libertatem navigationis aut commerciorum inde manaturum; quin potius conſpicietis atque re ipſa experiemini, promptos nos fore, tam ad ea, quæ ad dictæ navigationis commerciorumque ſolitos ſucceſſus provehendos ſervient, quam ad amicitiam mutuis beneficiis ſtabiliendam pertinere posſit. Qua de re plura dedimus in mandatis ſupradicto Reſidenti noſtro dicenda, cujus verbis tanquam Nobismet ipſis ut fidem habere ac talem Nobis reddere declarationem velitis, quæ fœderum noſtrorum tenori conformis ſit, & Nos de Veſtræ conſtantia amicitiæ certos reddere queat, amice requirimus, commendantes Vos divinæ protectioni cum voto proſperi Reipublicæ Veſtræ ſucceſſus. Dedimus in Caſtris ad Hafniam, die 21. Aug. 1658.

*Veſter bonus Amicus & Fœderatus*

Carolus Guſtavus.

Eduard Ehrenſtein.

CCCX.

CCCX.

*Litera CAROLI GUSTAVI, Suecorum Regis, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, cui causas, quæ sibi invito arma in Danos resumendi necessitatem imposuerint, recenset, eumque, ut porro se eo, quo solitus semper fuisset, favore prosequi non intermitteret, blande compellat, 1658.*

P. P.

NOn dubitamus mirari Majestatem Vestram, quid nos moverit ad arma in Daniam denuo stringendum, ex qua benignam pacem interpositione Majestatis Vestræ non ita pridem adepti forsan videmur. Proinde non alienum duximus Majestatem Vestram paucis saltem adductis informare, ut de justitia instituti Nostri certior facta intelligat, non novum Nos suscipere bellum, sed necessitate quadam cogi ad vetus continuandum, cum tot aliis distringamur, ut hocce si licuisset, libenter supersederimus. Bellum enim determinatum dici nequit, nisi adimpletis legibus, quarum prævia conditione pax reducta intelligi debet. Stipulati sunt ea Dani, mediante tractatu, quæ si tanta alacritate executi fuissent, qua sinceritate & facilitate videri voluerunt promisisse, novo in his oris strepitu haud fuisset opus. Sed experti sumus omnem præteriti tractatus apparatum, alium in finem non fuisse institutum, quam ut tunc cursui armorum Nostrorum velut obice posito, injectisque verbalibus delinimentis tempus aucuparentur, ac postea executionis tergiversatione, remora, cunctatione & contradictione, Nos ea regni nostri se-

curitate privarent, ad quam bello & tractatu unice connitebamur. Factum enim est, ut exercitu nostro accincto ad discedendum ex Selandia mox traditio munitorum locorum in Dania dubia redderetur, nec secundum Instrumentum pacis præsidiis Nostris imponendis patefacta fuissent, nisi in eo tunc statu fuissemus, ut arma Nostra vim operi adjecissent, similiter quoque negati milites, qui in potestatem nostri redigi deberent, antequam Selandia excederemus. Ex quo vero Selandiam exercitu & copiis vacuam fecimus, sub prætextu fœderis nobiscum ineundi, libertatisque commerciorum omnem omnino pactorum vim aut elidere prorsus aut fodicare tentabant Dani, totumque negotium in eam lubricitatem redigere, ut in quo securitatis tantopere a Nobis desideratæ spem amplius collocaremus, nihil fere reliqui esset. Ex hisce talibus contraventionibus, nata Nobis est necessitas pertractatorum executionem fidelius urgendi; Atque ut ea Majestatem Vestram prorsus non fugiant, paucis quædam oculis ejusdem subjiciemus, quibus intelligi possit, quantum nobis ab isto tractatu polliceri liceret securitatis. Nam turbata est post confectam pacem non minus quam antea armis vindicata & asserta commerciorum & navigationis omnimoda libertas; Exacta a subditis Nostris vectigalia, causa sæpe inter Regna septentrionalia magnorum motuum, sed qui proximo tractatu finiti omnino videri debuerunt; rescissa a Scania Insula Wenum, ab Nidrosiensi Satrapia Præfectura Romsdalensis; Negata conjun-

ctio

ctio classis ad arcendam secundum pactorum tenorem, violentiam a mari Baltico; impedita nobis per tractatum expresse attributa cum provinciis cessis regalia & jurisdictiones, qualibus usa est ante hac Dania Norwegiaque. Naves & bona ante clarigationem belli sive aperta Danorum vi, sive per suppositam alieni nominis practicam, erepta, & vigore pacis restituenda, partim in immensum protracta, partim adhuc retenta, militia tradi mox debita, nimis diu dilata, quamquam satis externi militis frequenter in Dania alebatur; Damni ex subrepta per piraticam Africa societate promanantis nulla, licet ejusdem restitutio pacta esset, reparatio; Quæque alia plura longum foret literis enumerare, quorum executionis laboribus non modo Nostri Commissarii, sed etiam Majestatis Vestræ Legatus tantum non fatigati sunt. Singula vero ita sunt comparata, ut nisi effectui jungantur, nulla nobis ab hac pace securitas expectanda veniat, ob quam tamen adipiscendam singulari moderatione usi sumus, in temperandis conditionibus pacis cum aliquas accipere nihil opus videretur. Talis quoque est conditio Regni nostri, ut nisi hic tuti fuerimus, haud quaquam integrum nobis sit, implicari longinquioribus bellis. Cognitum enim est, non modo superioris temporis exemplis, sed hoc recenti apprime conspicuo, nulla re magis supplantari successus Suecorum, quam diversionibus qualibuscunque Daniæ, cui facile ac promptum semper est, undiquaque propriis & alienis viribus inferiores Regni nostri recessus, Provinciasque ei-

dem annexas penetrandi, id quod non absque insigni periculi & impensarum sensu experti sumus, cum e Polonia in has oras superiori anno nos convertere coacti sumus: Speravimus equidem fore, ut quamvis Daniam satis pigram ad executionis negotium deprehenderemus, sui tamen Status rationem in consilio haberet, ac levata per executionis successum militia Nostra ex suis Provinciis, arctioris fœderis vinculo nobiscum coalesceret, quod nimium quantum circa tractatus Roskildienses iteratis multoties contestationibus ambivit, verum comprobavit postea verbis exiguam fidem, maluitque non solum pacis leges susque deque habere, sed etiam antiquis insistere consiliis, quibus Nobis periculum perpetuum creatur, ac eorum præferre amicitiam, qui jam diu faces aliorum quieti & concordiæ submittere consueverunt, ac illam ipsam Daniam tempestatibus hoc modo commiserunt. Hinc nihil impetratum, nisi tanquam ab invitis, ut reperta olim occasione rumpendi, prætextus velut coactis non deesset. Unde maximum Nobis oriturum discrimen conspicabamur, foreque vidimus, ut si in eo statu relicto negotio, exercitum moveremus, in eundem rursus scopulum impingeremus, ac par rursus periculum cum superioribus subiremus. Nam ex quo inimici Nostri cœperunt alibi prominere, tempus quoque agendi videretur Nos eo vocare, irritus fuit omnis, quamquam instantissimus, Commissariorum Nostrorum pro absolvendo & subscribendo tractatu conatus, admonitiones quoq; & literæ Nostræ pro-

priæ in vanum fuere, judicantibus ſcilicet Danis neceſſitatem inevitabilem Nobis vel invitis injici tunc excedendi, re plane infecta: id quod maxime comprobarunt, cum copias noſtras aut plane migrare juſſimus, aut ipſimet cum exercitus robore verſus fines properavimus, quanto enim magis abitum paravimus expectantes ultimam operi manum impoſitum iri, tanto minus ad perficiendum negotium inclinabant; imo ſemel tractata ſcripto reddere, partim in hunc diem differebant, partim revocare tentabant, interea frequenter miſcere conſilia cum inimicorum Noſtrorum miniſtris Hafniæ & alibi exiſtentibus, militemque externum non absque gravibus impenſis alere, eundemque novis ſupplementis locupletare pergebat; quod certe de nihilo eſſe non potuit. Inſigniter vero apparuit Danorum tergiverſatio & cunctatio, cum Rex Hungariæ ad Imperiale faſtigium ſurrexiſſe audiretur. Tunc vero ut intercalaretur tempus, miſſi ſunt ad Nos internuncii exceſſum armorum Noſtrorum, infecta omnino re perſuaſuri, ut interea Noſtri Legati operi manum adhibituri nihil agerent, ac tempus protraheretur, quo alibi pro Danis nonnihil fieret. In tanta ergo rerum lubricitate, animorum mutationibus, tractatus incertitudine, cunctationibus etiam quæ Nobis haud exiguum damnum apud alios noſtros hoſtes accelerarunt, tergiverſationibus & occultis cum inimicorum noſtrorum Miniſtris colliſionibus, utique non immerito Noſtræ tam ſalutis quam ſecuritatis proſpiciendæ admonebamur,

mur, ne procul cum aliis implicati solitas Daniæ insidias experiremur. Testari sane possumus ante paucas septimanas, ne quidem in mentem nobis venisse hanc expeditionem, ac si dicendum quod res est, haud facile aliam invito magis animo inivimus. Ubi vero nihil certi vel stylo consignaretur, nec ad ullum exitum res pervenire posset, quin idem Nos semper maneret periculum, quod obruebat in Polonia constitutos; Majestati Vestræ judicandum relinquimus, an non ea securitas armis quærenda esset, quæ pacis legibus obtineri haudquaquam potuit. Nobis certe invitis huc adductis persuademus, Majestatem Vestram tam hisce literis quam ex Legato suo informatam instituto huic Nostro, utpote quod justitiæ juncta necessitas Nobis eligendum dictavit, pro mutua, quæ nobis cum Majestate Vestra intercedit necessitudine suffragaturam. Digna enim res est benigno favore, quæ sub pactorum religione impie defraudata conservationem & securitatem sui, non nisi justis armis, sortitur. Quibus Majestatem Vestram divinæ protectioni ex animo commendamus. Dedimus in Castris Otterslof, ad Hafniam die 21. Augusti Anno 1658.

Majestatis Vestræ

*Bonus Frater, Consanguineus, Amicus & Fœderatus*

CAROLUS GUSTAVUS.

Eduard Ehrenstein.

CCCXI.

## CCCXI.

*Litera RICHARDI CROMWELLII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad LUDOVICUM XIV. Galliarum Regem, cui Oliverium, Parentem suum, diem extremum confecisse nuntiat, 1658.*

Richardus, Protector Reipubl. Angliæ &c. Serenissimo ac Potentissimo Principi, Ludovico, Galliarum Regi.

*Serenissime ac Potentissime Rex, Amice ac Fœderate.*

CUm Serenissimus Pater meus gloriosæ memoriæ Oliverius Reipublicæ Angliæ Protector, omnipotente Deo sic volente, supremum jam diem tertio Septembris obierit, ego successor ejus in hoc Magistratu legitime declaratus, tametsi in summo mœrore ac luctu, non potui tamen, quin de re tanta primo quoque tempore Majestatem Vestram per literas certiorem facerem, quam & mei patris & hujus Reipublicæ amicissimam hoc Nuntio repentino haud lætaturam esse confido. Meum nunc est a Vestra Majestate petere, de me sic velit existimare, ut qui nihil deliberatius in animo habeam, quam societatem & amicitiam, quæ gloriosissimo meo parenti Vestra cum Majestate fuit, summa fide atque constantia colere; ejusque fœdera, consilia, rationes, Vobiscum institutas eodem studio ac benevolentia observare ratasque habere: legatum proinde apud Vos Nostrum eadem, qua prius voluntate præditum volo: quicquid is Nostro nomine Vobiscum egerit, ita acc i-

per:e

pere velitis rogo, quasi a me ipso actum id esset. Vestræ denique Majestati comprecor fausta omnia. Westmonasterio ex Aula Nostra, die 5. Septembris, Anno Domini 1658.

CCCXII.

*Litera CAROLI GUSTAVI, Suecorum Regis, ad GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, a quibus, ne naves Belgicas brevi mora circa Croneburgum a se retentas fuisse ægre ferant, omnia mutuæ amicitiæ officia in compensationem pollicitus obnixe contendit, 1658.*

Nos Carolus Gustavus, Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex &c. Celsis & Præpotentibus bonis amicis & fœderatis uniti Belgii Ordinibus salutem & prosperos rerum successus.

*Excelsi & Præpotentes boni Amici & Fœderati.*

Redacta feliciter in potestatem Nostram arce Croneburgo, venit ad Nos Vester in Dania Residens nobilis Nobis sincere dilectus Le Mair, significans sibi propositum esse in Belgium ire ad capessendum nova mandata post hanc rerum mutationem, flagitareque a Nobis literas Salvi-Passus, ad tanto securius iter suum ingrediendum. Nos annuentes quidem ipsius petitioni, non inviti tamen vidissemus, si hic suorum Principalium mandata voluisset expectare, ut sub ipsius in his lo-

cis

anſione, ſi forte eveniſſet quicquam commer-
ıbditorum Belgii Uniti a Miniſtris Noſtris, quod
ıa cognitione aut cura vel remedio dignum
, ad manus fuiſſet, qui pro iis loqui & conferre
iiſſet. Spectaret enim hoc ad illibatum ami-
: Noſtræ ſtudium, cui operari, ut in ſuperiori-
literis Noſtris fuſius Vobis expoſuimus, nun-
n deſineremus, modo actionibus Danicis aut
'um Noſtrorum hoſtium nulla re in præjudi-
ı Noſtri immixti, tales nobis vices reddideri-
ıuales & vetus, & fructuoſa inter Noſtros an-
ſſores & Rempublicam Veſtram conjunctio
ıre nos jubet; quod vero nonnullas naves Bel-
s aliquantiſper absque damno hic detinueri-
, id non judicabitis aut interpretabimini ſe-
ıs. Solitum hoc eſt non modo omnibus gen-
s, ſed Vobis maxime circa tales actiones, atque
c moram non Veſtræ ſolum naves, ſed aliorum
que populorum adeoque Noſtræmet ipſæ ſub-
nt, dum caluit, oppugnatio: quæ omnes oc-
ata jam arce, ſuæ libertati redditæ ipſæ facile
oræ excuſationem adferent. Nobis itaque
poſitum & fixum eſt eritque, ſinceram cum
tra Republica colere amicitiam, ſi Vos quoque
ua bona correſpondentia eandem fovere in-
:r non habueritis, & quemadmodum Nobis
conſtat, cordi maxime ac curæ Vobis eſſe na-
tionis, & commerciorum libertatem, dabi-
certatim Vobiscum operam, ut perſpicue in-
gatis, nec Vobis in provehendis eorundem ſuc-
ibus, nec aliis, quibuscunque in teſtificanda
ſubditos Belgicos Regia benevolentia Nos
ſecun-

ſecundos eſſe velle, quibus Vos divinæ protectioni ex animo commendamus. Dedimus in Helſingör, 8. die Sept. 1658.

*Veſter bonus Amicus & Fœderatus*

*Signatum*

CAROLUS GUSTAVUS.

*Subſignatum*

Eduard Ehrenſtein.

## CCCXIII.

*Literæ* FRIDERICI WILHELMI, *Electoris Brandenburgici, ad* LUDOVICUM XIV. *Galliæ Regem, cui cauſas, quibus coactus ad arma contra Sueciæ Regem deſcenderit, explicat, 1658.*

P. P.

Quantum pro reducenda inter Sereniſſimos Sueciæ & Daniæ Reges pace & amicitia, Daniciſque etiam in Sacro Romano Imperio ſitis Provinciis, amiſſa quiete iterum reddenda, laboris atque curæ impenſum fuerit, id Majeſtati Veſtræ tanquam Mediatori primo, non poteſt non eſſe quam notiſſimum. Arbitrabantur cum Majeſtate Veſtra, & ii qui præterea Mediatorum partes nunc ſubibant, aliique omnes, facta hac pace, abunde ſatis proviſum Sereniſſimo Regi Regnoque Sueciæ, & magnam non modo potentiæ ejus factam acceſſionem, ſed & ita nunc contractam & in ordinem redactam Daniam eſſe, ut nemo facile, ne-

um Sueci extimescere debeant laceri & a se ipsis
)etuo obsessi regni iram. Præcipue cum Se-
ssimus Rex Daniæ, utut sibi Regnisque & Suc-
oribus suis admodum noxia, ad amussim ta-
ı adimpleverit conclusa pacta, & præterea mul-
x magna alia ad libitum Suecorum & ad præ-
)tam ab iis formulam coactus cesserit, ea spe
ıs, fore a Suecis non minus publice datam, &
is sponsoribus vallatam fidem servatam, sancta-
promissa Regis & Christiani adimpletum iri.
um uti plura alii, ita & optimus Rex populus-
sub fide & pace Suecica passi sunt. Non mi-
enim uti sæpius & nunc conquesti, composito
ı minus quam flagrante bello, exercitus Sueci-
DaniamHolsatiamq; premebat, & ne rumpere
uando videri posset, nunquam servabat pacem
acta. Id vero persuaderi non potuisset futu-
ı, ad quod tamen delapsa Suecorum impietas
& ad quod sine dubio Vestra Majestas & omnes
istianæ Potestates Nobiscum obstupuere: Post-
m nempe a Danicis Ministris relatum est, in
:nissimum Regem Daniæ, ejusque liberos, Re-
& Provincias, etiam in Imperio Romano si-
in libertatem, vitam atque fortunas innocentis-
orum, non audito hactenus inter Christianos
mplo, clancularie contra publicam fidem, con-
modo conclusam & a Danica parte impletam
em, contra decus & gloriam potentissimorum
diatorum, contra omnia denique divina hu-
ıaque jura certa & constituta die conjuratum,
:curi & nihil tale metuentes, sub specie amici-
& fraternitatis, ad unum omnes aut mactaren-

 tur,

tur, aut tantum Rege Regiaque prole Regnis Provinciisque etiam in Imperio Romano sitis, penitus exutis, Rex cum prole in captivitatem, Populus vero in perpetuam servitutem detruderetur. Et quod quoque conjuratio hæc destinata die ex occulto erupit, & non Zelandiam modo & in Regia sede Hafniæ Serenissimum Regem Daniæ, ipse Serenissimus Rex Sueciæ, hostiliter aggressus, sed & Sacri Romani Imperii Provincias & Feuda, Westphalica pace comprehensa, contra hanc & Sueco-Danicam Pacem vi publica ac armata manu per suos invaserit & expugnaverit, eaque & alia omnia plus quam hostilia usque dum continuet & paces publicas publice temeret. Quam perversam rerum faciem, dum penitus adspiciebamus, simulque cum cura rationem adhibebamus, quomodo in tanta fidei publicæ lubricitate, communi & Nostræ securitati consuli possit, tanta a Nobis observabantur momenta & pondera rerum, ut præsentissima perpetuaque pericula omnibus vicinis & nobis imprimis imminere deprehenderemus, nisi eadem in tempore, justis consiliis, bono cum Deo averti, ambitioni, quæ hactenus libere & absque ulla fere oppositione vicinorum capitibus ac fortunis, pro animi libidine insultavit, termini poni, ante omnia vero Regnum Daniæ ab justissima hac oppressione vindicari, eique & vicinis tandem pax & quies restitui possit. Cumque hactenus tantum abfuerit, ut apud Serenissimum Regem Sueciæ, pais consilia, licet omnibus modis & viis tentata locum invenerint, ut potius semper & tum maxime, cum aliis studium quietis persuadere conatus,

ea-

eadem elusa sint; Præterea Nos indigne admodum & hostiliter præter meritum tractaverit, & nunc pacem quoque Danicam tam sancte, tamque solenniter modo factam ruperit, adeoque nulla compositionis & sinceræ pacis ordinaria superfit spes. Non potuimus diutius deesse causæ communi & Nostræ & quasi Nos ipsos in culpa constituere, ut superatis subjugatisque vicinis, denique & Nos gratis devoremur. Ideoque ad alias non minus præclaras & justas actiones Dei omniumque gentium jure Nos accingere coacti fuimus. Et quoniam Vestræ quoque Majestatis gloriæ & Regiæ dignitatis maximopere interest, sanctæ & inviolabiliter servari, quæ quasi fidejussore publice acta & conclusa sunt, interque Vestram Majestatem & Nos infucata hactenus amicitia culta sit, & fœdere insuper mutuo juncti adhuc teneamur. Nostrarum partium existimavimus, Vestræ Majestati paucis, & in summa tantum, quatenus epistolæ lex permittit, exponere causas, quæ expresserint Nobis susceptæ defensionis expeditionem. Desertos & derelictos Nos in Borussia & Polonia a Serenissimo Rege Sueciæ, contra pacta, fœdera & promissa hostium tunc temporis arbitrio expositos, uti orbis ita & Vestra Majestas novit; Novit præterea, Nos nihilominus amicitia & pacis studia coluisse, hostilitates sitisse, pacis negotium cum Polonia ursisse, conditiones æquas obtulisse, denique Legatos Nostros pro pace promovenda misisse, sed omnia frustra: Legatos Nostros Regio quidem nomine exceptos, sed in Nostri opprobrium, more novo & insolito cum iis actum, audientiam denega-

tam, Nosque hostes absque ulla exceptione adeoque indefinite declaratos & proclamatos. Cum Serenissimo Rege Daniæ Serenissimus Rex Sueciæ pacem fecit, satisfactionem conventam accepit, acquisitarum Provinciarum titulos acquisivit, iis denique usus, publicumque se ejus amicum & fœderatum professus. Eandem satisfactionem retinuit, pacta non implevit, & facta prius conjuratione, pacem rupit, fregitque, præter spem vero, maxime sub specie amicitiæ nihil tale cogitantes trucidari, captivosque duci fecit. Quemadmodum itaque commune societatis & Christianitatis vinculum, ad juste oppressorum vindicandam & defendendam salutem omnes & singulos incitat cogitque; Nec dubitemus, quin hoc tam solenniter conjuratum pacifragium excitaturum sit optimos quosque Reges & Principes & imprimis Vestram quoque Majestatem; Ita Nos plures majoresque ad præsens negotium, citant urgentque causæ. Præterquam enim quod constans & sincera amicitia inter Serenissimos Reges Daniæ & nostram Domum Electoralem continua serie intercesserit, & utraque Domus arctiori Consanguinitatis & conjunctionis jure cohæreat, Serenissimus Rex Daniæ, ut & Status Provinciales Terræ Holsatiæ insuper per omnia jura & sacræ defensionis auxilia, in hisce suis angustiis & injustissima oppressione a Nobis petierunt & flagitaverunt. Denique quod Holsatiam spectat, etiam non rogatos & monitos paratos esse jubet, Westphalica Sacri Romani Imperii Pax, & aliæ Germaniæ Constitutiones, contra quas Holsatia, Imperii Provincia turbatur, premitur, vastatur

tur

& conjurata injustissimaque vi oppugnatur.
iique magnæ harum terrarum partis succesſio,
Majoribus ita Nobis, Posterisque Nostris de-
ıta & quæsita. Quam, si quantum in Nobis
vel Nobis ipsis vel etiam Sacro Romano Impe-
cujus non postremum membrum sumus, in-
erti, & ab eo abscindi pateremur, nec omnes
ras vires contra intenderemus, in Nos & po-
ɔs Nostros essemus injurii, a Sacro Romano
ıerio vero neglecti officii accusaremur, nec fa-
:mus,quod Electorem & Principem Germanum
patria sua deceret. Itaque cum nulla nisi in
ıis spes, defensionem adornavimus contra eum,
se sponte sua hostem Nobis declaravit, Nobis
Provinciis Nostris oblata occasione inhiat, qui
era & pacta sancte iniit, sed fœderatos & socios
tra omne fas deseruit, hostibusque exposuit,
pacem solenniter fecit, & maximum ex ea lu-
m cepit, sed retento lucro, pacem temere fre-
, qui fidem dedit, sed & publice temeravit, &
nos Christianos Reges & Principes injustissi-
opprimit, qui nullo modo pacem vult, qui o-
ium bellorum & turbarum inter Christianos fax
uba, omniumque Christianorum ideo indigna-
ıem promeruit. Hæc arma itaque uti a Nobis
usta & necessaria causa, nec in eum finem, ut
lem manumque promovere & aliena apprehen-
e velimus, suscepta sint, sed eo directa, ut tan-
ı injuste oppressi liberentur, turbata vero, amis-
ue pax & tranquillitas pristino suo nitori red-
ur & restituatur: Adeoque Serenissimus Rex
:ciæ ad eandem promovendam & accelerandam

eo magis magisque diſponatur, ita pietati, amori, fidei & juſtitiæ huic faventem Deum Ter Optimum Maximum, faventes omnes & ſingulos Chriſtianos Reges, Princpies & Respublicas, faventem denique quoque Veſtram imprimis Majeſtatem, quæ hæreditario & proprio jure Chriſtianisſima non minus quam juſta audit, ſperamus & certo ſerioque credimus, imo confidimus Veſtram Majeſtatem eo ſimul laboraturam, ne totus negotiantium orbis, occupato Baltici maris abſoluto dominio, Suecorum Vectigalis & Tributarius perpetuo omnium Regnorum damno & periculo efficiatur. Hisce Veſtram Majeſtatem Divinæ protectioni commendantes, eidem proſperrimos ſucceſſus apprecamur. Dedimus in Arce Noſtra Coloniæ ad Spream, die 17. Sept. Anno 1658.

## CCCXIV.

*Litera RICHARDI CROMWELLII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad CARDINALEM JULIUM MAZARINUM, cui Oliverium, Parentem ſuum, vita defunctum eſſe ſignificat, 1658.*

### Eminentisſimo Domino, Cardinali Mazarino.

*Eminentisſime Domine.*

Quanquam nihil mihi acerbius accidere potuit, quam de Serenisſimi & præclarisſimi patris mei obitu ſcribere, tamen cum ſciam, quanti ille fecerit Eminentiam Veſtram, quanti Vos illum, neque

neque dubitem, quin Eminentia Vestra, cui summa rei Gallicæ commissa est, amici ac fœderati tam constantis tamque conjuncti mortem molestissime latura sit, permagni referre arbitratus sum, ut eam quoque simul cum Rege, de hoc casu gravissimo per literas monerem, Vobisque etiam, quoniam id æquum est, confirmarem, me ea omnia sanctissime præstiturum, ad quæ præstanda Vobis, rataque habenda serenissimæ memoriæ pater meus fœdere tenebatur: perficiamque, ut illum, utpote Vobis amicissimum omnique laude florentem, cum amissum meritoque doletis, quem minime tamen, quod ad servandam societatis fidem attinet, desideratis: cui etiam ad utriusque gentis commune bonum Vestra quoque ex parte servandæ Deus, Eminentiam Vestram quam diutissime conservet. Westmonasterio, die — Septemb. 1658.

## CCCXV.

*Literæ RICHARDI CROMWELLII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad CAROLUM GUSTAVUM, Suecorum Regem, quibus ipsi, se omnia, quæ tam e Suecia quam Angliæ rebus fore judicaret, omni, qua per temporum injurias liceret, promptitudine effecturum spondet, 1658.*

Richardus, Protector Reipubl. Angliæ &c.
Serenissimo ac Potentissimo Principi, Carolo Gustavo, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi.

*Serenissime Potentissimeque Rex, Amice ac Fœderate.*

CUm videar mihi paternam virtutem vix satis posse imitari, nisi easdem quoque amicitias colam & retinere cupiam, quas ipse & virtute sibi quæsivit, & sibi esse maxime colendas ac retinendas judicio singulari duxit, non est quod dubitet Majestas Vestra, quin eodem se prosequi studio ac benevolentia debeam, qua pater meus memoriæ Serenissimæ est prosecutus. Tametsi igitur in hoc Magistratus ac dignitatis initio non eo loco res Nostras reperiam, ut in præsentia possim ad quædam capita respondere, quæ Oratores Vestri in medium protulerunt, tamen & institutum a patre fœdus cum Majestate Vestra continuare & arctius etiam conjungere mihi quidem magnopere placet: rerumque utrinque statum, simul ac plenius intellexero, ad ea transigenda, quæ cum utriusque Reipubl. commodis potissimum conjuncta esse videbuntur, ero equidem semper, ad me quod attinet, promptissimus. Deus interim Majestatem Vestram ad gloriam suam & Orthodoxæ Ecclesiæ tutelam atque præsidium quam diutissime conservet. Westmonasterio ex Aula Nostra, die — Octobr. 1658.

## CCCXVI.

*Litera RICHARDI CROMWELLII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad CAROLUM GUSTAVUM, Sueciæ Regem, cui se nunquam fœderi paterno cum ipso percusso, quantum in se esset,*

*esset, defuturum promittit, classemque Anglicanam, mare Balticum versus vela dedisse refert, 1658.*

Richardus, Protector Reipubl. Angliæ &c. Serenissimo, Potentissimoque Principi, Carolo Gustavo, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi, Magno Principi Finlandiæ, Duci Scaniæ, Esthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandaliæ, Principi Rugiæ, Domino Ingriæ, & Wismariæ; nec non Comiti Palatino Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Duci.

*Serenissime, Potentissime Rex, Amice ac Fœderate.*

BInas accepi a Majestate Vestra literas; alteras per Nuntium suum, alteras a Legato Nostro Domino Philippo Meadow ad me transmissas. Ex quibus non solum dolorem suum de obitu Patris mei Serenissimi veris animi sensibus expressum, deque ipso Majestas Vestra quam præclare senserit, verum etiam de me quoque in ejus locum suffecto quantam spem ceperit, cognovi. Et ad paternæ laudis cumulum nihil posthac amplius aut illustrius tanto autore accedere potest, meis certe in capessenda Republica auspiciis nihil felicius tanto gratulatore, ad virtutes denique patrias tanquam hæreditatem optimam adeundas nihil quod accendat vehementius tanto hortatore potuit accidere. Ad rationes Majestatis Vestræ de communi Protestantium causa Nobiscum initas quod spectat, sic velim existimet,

ſtimet, me quidem ex quo ad hæc gubernacula acceſſi, quanquam eo loco res Noſtræ ſunt, ut ſummam diligentiam, curam, vigilantiam domi potiſſimum requirant, nihil tamen antiquius aut deliberatius habuiſſe aut habere, quam paterno fœderi cum Majeſtate Veſtra percuſſo, quantum in me erit non deeſſe. Claſſem itaque in mare Balticum mittendam cum iis mandatis curavi, quæ Internuncius Noſter, quem ad hoc totum negotium ampliſſime inſtruximus, Majeſtati Veſtræ communicabit. Quam Deus Opt. Max. incolumem proſperiſque rerum ſucceſſibus fortunatisſimam ad orthodoxam fidem tutandam diutisſime conſervet. Weſtmonaſterio ex Aula Noſtra, die 13. Octob. 1658.

CCCXVII.

*Litera RICHARDI CROMWELLII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad CAROLUM GUSTAVUM, Suecorum Regem, quibus ipſi Georgium Aiſcoum, Equitem auratum, Suecicæ militiæ auſpicia ſequi flagrantem, ſtudioſe commendat, & illi fidem habere cupit, 1658.*

Richardus, Protector Reipublicæ Angliæ, Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi, Carolo Guſtavo, Suecorum, Gothorum Vandalorumque Regi &c.

*Serenisſime Potentisſimeque Rex, Amice ac Fœderate Auguſtisſime.*

MItto ad Majeſtatem Veſtram, quo nihil dignius aut præſtantius poſſum mittere, virum vere egre-

egregium, vereque nobilem Georgium Aiscoum, Equitem auratum, non solum belli & navalis præsertim scientia multis ex rebus fortiter gestis cognitum jam sæpe atque spectatum, verum etiam probitate, modestia, ingenio, doctrina præditum, moribus suavissimis nemini non charum, & quod nunc caput rei est, sub signis Majestatis Vestræ virtute bellica toto orbe terrarum florentissimæ jam diu mereri cupientem. Velimque sic habeat Majestas Vestra, quicquid huic Viro muneris commiserit, in quo fides, fortitudo, experientia constare, vel etiam prælucere possit, neque fideliori neque fortiori, nec facile peritiori posse se quicquam committere. Quæ autem ego illi negotia dedero communicanda Vestræ Majestati, in iis expeditum aditum, aurem benignam velit rogo præbere, eamque fidem, quam Nobismet ipsis coram fuisset habitura, eum denique honorem, quem tali Viro & suis meritis & Nostra commendatione ornatissimo convenire judicaverit. Deus res Vestras ad gloriam suam & Orthodoxæ Ecclesiæ præsidium felici exitu fortunet. Westmonasterio ex Aula Nostra, die — Octobr. 1658.

## CCCXVIII.

*Litera FRIDERICI WILHELMI, Electoris Brandenburgici, ad RICHARDUM CROMWELLIUM, Reipublicæ Anglicanæ Protectorem, quibus vehementer in Suecos invectus, ipsum, ne destinatas Sueciæ Regi suppetias submittat, sollicite hortatur, 1658.*

P. P.

P. P.

POstquam in ea incidimus tempora, quibus Evangelicorum res in his oris & ſacræ & profanæ omnes nonniſi per Evangelicos turbentur, & tantum non evertantur, de tantorum malorum remediis cogitantes non potuimus non oculos in Celſitudinem Veſtram conjicere. Quo animo erga Evangelium profeſſos atque inter eos & nos eſſet, per Ablegatum ſuum (Waveſon) Dominus Oliverius, Angliæ, Scotiæ & Hyberniæ Protector Celſitud. Veſtr. parens nunc pie defunctus Nobis expoſuit, & eandem quoque mentem, eidem eſſe non dubitamus. Hoc confidentius ergo in his publicis malis tam per Ablegatum noſtrum, quem ad Celſitudinem Veſtram deſtinavimus, tum per haſce noſtras, ne aliqua ejusdem mora Reipublicæ nocumento ſit, cum Celſitud. Veſtr. agendum, mentemque noſtram exponendum cenſuimus. Novit autem Celſitud. Veſtra Regem Sueciæ hodiernum, ante tres annos inchoatum bellum Poloniæ, interque alios prætextus hoc objecto, ut rem Evangelii inibi promoveret, hoc autem revera ſucceſſu, ut aliquot centena templa in cineres redacta, infinitæ Proteſtantium familiæ internecioni datæ, cœtusque quamplurimi diſperſi deletique, divinam vero & Catholicam veritatem profeſſi, omnium odio expoſiti fuerint, ita ut poſt hominum memoriam in terris iſtis nunquam majori clade res Evangelicæ affectæ, nunquam pejore loco, nunquam Evangelici ſub Catholicorum regimine tam dura paſſi fuerint, quam ſub iſto Evangelicorum ſcili-

ſcilicet Patrono experti ſunt. Nec intra fines Poloniæ hoc malum ſtetit, involvit eidem idem Rex (præter alios) & Transſilvaniæ Ducem atque in eam conjecit fortunam Principem pro Evangelica veritate patientem, ut ipſe de terris ampliſſimis, & ſubditi de bonorum maximo, conſcientiæ videlicet libertate, etiamnum periclitentur, ſed ut eo clarius pateſceret, non cœlum, ſed mundum & per maris dominium terras quoque hic peti, prædictus Rex contra fidem datam & pacem autoritate, ſtudio & officiis Celſitudinis Veſtræ parentis procuratam initamque, nulla clarigatione prævia, alias etiam ethnicis ſolenni, Regem Daniæ denuo adortus eſt, Princeps (ſcilicet) Evangelicus Evangelicum, alieniſſimo tempore, omnibus ſpoliatum præſidiis ex improviſo, ac nihil tale (pace tam recenter, tanto amicorum ſtudio, tot damnis procurata) vel ſomniantem. Dedit quoque ejus rei illuſtre, ſed triſte omnibus bonis, documentum Curlandiæ Dux, eſt ille Lutheranus, ejus ſcilicet confeſſionis, quam Rex Sueciæ præfert, & quam unicam in Regno ſuo ſe toleraturum in ſolemni ſacro juravit, & tamen per inſidias poſt tot beneficia in Suecos collata, ut inde Domino ſuo Regi Poloniæ ſuſpectus eſſet, poſt pactam medii ſeu neutralis conditionem, cum Sereniſſima uxore liberisque ſeptem, inaudito exemplo, domo ejicitur, atque Rigam captivus abducitur. Cæterum quemadmodum in ſacris conſenſus efficere non poteſt, ut ſuis parcat, quando terras & emolumenta ipſorum, ſibi opportuna autumat; ita & Evangelicis, reformatisque, etiam in credendis & cœleſtibus legem

gem præscribit vimque conscientiæ ipsorum ille, quo adversus eos utitur, zelus animusque impellunt: perhibet hujus rei testimonium Elbinga locupletissimum, quo eo libentius utimur, quo magis id in Anglia notum esse potest: Gaudebant inibi reformati, sub Rege Catholico (Polono) communi cum aliis Evangelicis & concordi religionis exercitio. Nam inspector Lutheranus Tortor scilicet conscientiarum ibi constitutus, cui qui ministri verbi divini deinceps esse voluerint confessionem suam probare & in sacris parere, plane novo exemplo necesse habent, erepto pariter Magistratui politico uti maximam partem reformatorum jure, quod ipsi in talibus & præcipue in constituendis verbi divini ministris competebat. Communia sacra ad ritum reformatorum non nisi inclytæ Anglicæ Nationi ad preces Legati Anglici tantum in ædibus privatis indulta est, & de cætero tantus est adversus reliquos Reformatos fervor, ut Psalmi Davidici per multos annos in Ecclesiis inibi cantati, quique omnibus Christianis communes esse, eisque commendari debebant, e templis plane eliminati, ut cum injuria hominum, illa quoque Dei conjuncta sit. His itaque probe consideratis, non possumus animum inducere, ut credamus fore, quod Celsitudo Vestra, quemadmodum Sueci jactant, iis suppetias ferat, eorumque juvet conatus, qui ubique vi, tantaque injustitia grassantur, atque suas alienasque opes in Ecclesiæ opprobrium damnumque irreparabile, tum ad turbandam ubique pacem publicam convertunt. Utuntur equidem illi, uti accepimus, infensissimi Religio-

ligio-

ligionis hostes, adhuc Religionis obtutu, & cum Catholicis iisque Austriacis rem Nobis esse, illosque portubus ad mare Balticum inhiare, invidiose spargunt; Nos vero traducunt, quod contra Evangelicos utrosque stemus; Et si Cæs. Majest. non admittit, sed missis copiis prohibet, ne Sueci Holsatiam Imperii Romani Germanici indubiam partem, Regi Daniæ & sibi, uti supremo Domino, eripiant, an non in eo facit, quod pio, quod Christiano Principe dignum? quæ si omitteret, ac partes suas desereret, nonne officio a Deo sibi commisso deesset? In eo dum eidem assistimus, membrum scilicet capiti, pro alterius membri defensione, an alia, quam debitam & non (nisi cum desertæ patriæ nota) omittendam præstamus operam? nullæ certe aliæ hic sunt Austriacorum, nullæ unquam nostræ nec partes nec intentiones: Et si forte aliis cum Regnis, Statibus aut Rebuspublicis lis quædam Austriacis intercedit, illa certe cum hoc negotio nihil commune habet, nec Imperium Romanum, ejusve caput spectat, nec ab aliis impedimenta his tam piis tam honestis & necessariis objici conatibus æquum fuerit; Portus autem tantum abest, ut Sacra Cæsarea Majestas cuiquam eripere velit, ut ne latum unguem ex his locis sibi vendicet, misit copias suas, ut veris Dominis sua restituant, non ut detrahant quicquam, nec bonorum vel commodorum argumento est Insula Alsenia, quæ non tam cito erepta fuit Suecis, quam verus ejus Dominus Rex Daniæ ad ejus defensionem invitatus, ut nullis quam Danicis præsidiis, quæ inibi sunt munimenta & portus,

tus, nulli forte ex iis, qui ad mare Balticum sunt, commoditate secundi, custodirentur. Et quid ista verborum opus est extensione! Rem spectemus; Restituat Rex Sueciæ aliis vi & injuria extorta, sarciat Nobis aliisque, quæ fecit damna, caveat, neminem se deinceps invasurum, quomodo Polonos, Danos, Curlandum nuper invasit, & cavebimus vicissim, nusquam nec in alieno sive patenti campo sive portu alienum compariturum militem, sive Cæsareus is, sive sociorum fuerit: Nec commerciorum difficultas aut jactura metuenda est a partibus hisce; Nostra cumprimis interest, ut libera ista sint, & incrementa capiant, nec videmus, qua via id obtineri possit expeditiori, nisi omnia in eum reducantur statum, quo ante omnes fuerunt Danicas turbas, id quod unice elaborabimus. Nobis vero fœdera cum Catholicis, qua fronte objecerint Sueci, qui una cum Gallia sæpius pepigerunt, nisi nos hæreticæ pravitatis (quam aversantur) reos proclamare velint; Et quid quæso Evangelii habent isti, qui dum Catholicorum purgatorium (quod nemini non durum per Dei gratiam novimus) impugnant, in ipsam interim Ecclesiam non nisi Ecclesiæ membris exitiabilem invehunt injustitiæ immanis & cyclopicæ feritatis sentinam, quid quæso Evangelii habent, qui ferro, igneque Poloniam, Daniam & non contemnendam Germaniæ partem devastarunt ac everterunt? qui dum Catholicos bona opera in via salutis requirentes condemnant, ita vivunt, ita agunt, quasi non nisi peccatis vitiisque horrendis, cœlum parari possit & æterna gloria? quid dignum habent Christiano

ſtiano nomine iſti, qui efficiunt, ut gentiles fidei tam retinentes & nunc & olim non absque magno Chriſtiani nominis dedecore & opprobrio perfidiam nonniſi Chriſtianorum eſſe jactent? igitur quod reſtat Celſitudinem Veſtram per Dei gloriam, Eccleſiæ ſalutem, Juſtitiæ amorem & communia rogamus atque obteſtamur ſacra, ut ſi a Rege Sueciæ ad ſuppetias ſollicitetur ferendas, actiones ipſius introſpicere & ſanctiſſimorum illorum, quæ diximus, nominum rationem habere & oppreſſis potius quam oppreſſoribus adeſſe velit: quo quemadmodum divino Numini nihil gratius fieri poteſt, ita nulla re magis Celſitudo Veſtra nos, omnesque & Eccleſiam & publica decora amantes obſtringet, quam de cætero divinæ protectioni commendamus. Dabantur Ripis Cymbrorum 28. Dec. 1658.

Fridericus Wilhelmus Elector.

## CCCXIX.

*Literæ tuti & ſalvi commeatus a JOHANNE CASIMIRO, Poloniæ Rege, SVECICIS CONSILIARIIS, ad Pacis tractatus in Boruſſia inchoandos deputatis, transmiſſæ, 1659.*

NOs Johannes Caſimirus, Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, &c. &c. &c. ſignificamus univerſis & ſingulis, quorum intereſt, & qui noſtras has literas viſuri vel audituri ſunt. Quod cum ad tractatus inſtituendos de præſenti hoc bello convenienter ſopiendo, deque pace perpetua facienda inter Nos & Regnum Poloniæ & Magnum Ducatum Lithuaniæ, nec non Confœderatos Noſtros ab una, & Sereniſſimum Princi-

pem, Fratrem, Consanguineum & vicinum Nostrum, Dominum Carolum Gustavum, Suecorum, Gothorum Vandalorumque Regem, Magnum Principem Finlandiæ &c. &c. &c. Ejusque Confœderatos ab altera parte, modus atque via iniri cœperit, & in eum finem utrinque convenerit, ut dicti tractatus pacis primo quoque tempore in Borussia per utriusque partis Commissarios inchoarentur; Nos vero intelleximus, ad hosce tractatus deputatos esse prætacti Regis atque Regni Sueciæ Commissarios, illustrissimos, illustres, magnificos & Generosos, Magnum Gabrielem de la Gardie, Comitem in Leckoo & Arensburg, Liberum Baronem in Eckholmen, Dominum in Absaal, Magnushoff & Hogendorp, Suæ Serenitatis Regnique Sueciæ Senatorem & Thesaurarium & Locumtenentem per Esthoniam, Livoniam & Ingriam militiæ Generalem, Judicem Provincialem, Vestro-Gothiæ & Daliæ, nec non Academiæ Upsaliensis Cancellarium. Et Benedictum Oxenstirna, Comitem in Korsholm & Wasa, lib. Baronem in Morebii & Lindholmen, Dominum in Coporio & Rosersborg, Suæ Serenitatis, Regnique Sueciæ Senatorem, Cancellariæ Consiliarium & Christophorum Carolum Schlippenbach, Comitem in Schovede, Lib. Baronem in Liusaba, Dominum in Salinga, Suæ Serenitatis Regnique Sueciæ Senatorem, & Consilii bellici Præsidem. Nec non Andream Gyldenklau Regiminis & Consilii Status, ac supremæ curiæ justitiæ in Pomerania Præsidem, hæreditarium in Schonela, Ekebi, Hilinga & Huldestadt. Idcirco ut dicti hi Commissarii, cum omni

suo

ſuo comitatu, miniſtris, famulis, ſcripturis, ſcriniis, equis, curribus, omnique eorum ſupellectili, quo nomine veniat, in Pruſſiam tuto eant ac veniant, ſecure ibi degant ac ſubſiſtant, & ſuo tempore inde, etiamſi tractatus proſpero eventu caruerint, ſine ullo impedimento & infeſtatione redeant. Nos proinde verbo veritatis, honore Noſtro Regio & fide Chriſtiana promittimus, nihil illis, eorumque Comitatui, vel quoad perſonas, vel quoad res, ad eos ſpectantes, hoſtilitatis, periculi & diſcriminis, aut in itinere terreſtri vel maritimo, ſive e Pomerania ſive e Livonia in Boruſſiam aut in ſubſiſtentia inibi, aut abitu inde, illatum iri, quin potius præſentibus literis Noſtris cavemus, ut ab omni Noſtratium inſultu hoſtili atque inſidiis undequaque liberi atque tuti præſtentur, proſpecturi illis ad terreſtre in Boruſſiam, vel inde iter, cum poſtulatum fuerit, pro majori eorum ſecuritate, præſidiario noſtro milite & cohortibus illuc atque inde eos deducturis. Præterea quod loca tractatuum & commorationum in Boruſſia Brunsbergam & Frauenburgum, vel alia pro his, ex mutuo conſenſu præſentium deſignanda, quæ præſidio partium evacuanda, atque adjacentes hisce terræ & loca intra diſtantiam in tractatu præliminari decernenda, vel ſpatia extra hoſtilitatem omnem ponenda ac conſtituenda ſunt, concernit; cavemus & promittimus hisce literis noſtris, quod toto illo tempore, quo duraverint Tractatus, vel in locis manſionum & congreſſuum, vel in itu ad congreſſus, ſi qui inſtituentur, vel in reditu inde ad hoſpitium & ſtativa ſua nihil hoſtilitatis, periculi

atque molestiæ Commissariis Suedicis eorumque comitatui, tum aulico, tum militari, rebusque ad eos pertinentibus accelerabitur aut inferetur; sed hisce pariter assecuramus nostram hanc cautionem toto tractatus tempore, & in omnibus congressibus ac commorationibus locisve intermediis eandem vim habituram esse: spondemus etiam hisce literis salvi passus præfatorum Commissariorum Suecicorum cursoribus, tabellariis, Postis & Veredariis plenam securitatem in omnibus viis & itineribus sive a Prussia in Germaniam, Livoniam vel Sueciam, sive inde in Prussiam contenderint. Literæ quoque & literarum fasciculi, a Commissariis ad alios scripti vel transmissi, vel ad alios directi plena ubique securitate potientur, nec sub ullo prætextu a Nostratibus intercipientur, reserabuntur vel detinebuntur, sive illæ per Postas & Veredarios ordinarios, sive extra ordinem per expressum missos, eo afferantur, vel inde deportentur. Mandamus igitur omnibus & singulis nostris, Regnique Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ Proceribus, cujuscunque dignitatis, status & conditionis, ordinibus & subditis nec non bellorum Ducibus, Generalibus, Colonellis, Castrorum, Civitatum ac portuum præfectis & custodibus, cæterisque officialibus, & ipsi adeo militiæ Nostræ, nec non Civitatibus ac præcipue Gedanensi omnibusque aliis, nullis penitus exceptis, ut omnimode huic voluntati Nostræ tabulisve hisce salvorum Conductuum se exacte conforment, & obedientiam præstent, nec iisdem Regia & publica fide datis ullo modo contraveniant. Incursuri in gravem nostram indigna-

dignationem & pœnam transgreſſorum mandatorum indubie ſubituri, ſi ſecus fecerint. In quorum fidem ac certitudinem majorem, præſentes noſtras tuti itineris literas manu propria ſubſcripſimus & ſigillo Noſtro Regio firmari juſſimus. Datum Thorunii die 18. menſis Januar. Anno 1659.

Johannes Caſimirus Rex.

Johannes Jocus Bakinski Succ. Culmenſ. C. R. S. Regiæ Majeſtatis.

CCCXX.

*Literæ Domini LUMBRANI, Legati Gallici, ad ANDREAM GYLDENKLAVIUM, Regni Sueciæ Deputatum, apud quem, ut ſalvi conductus tabulas quantocyus mutari cum Polonis efficiat, vehementer inſtat, 1659.*

Illuſtriſſime atque Excellentiſſime Domine.

SErius omnino quam optaſſem poſtremis Excellentiæ Veſtræ literis prodit hoc reſponſum. Etſi enim ab eo tempore, quo mihi redditæ ſunt, non deſtiterim maximo ſtudio, ſi unquam, urgere Salvi-Conductus Polonici extraditionem, nihilominus eam niſi nudius tertius obtinere non potui. Tantæ moræ cauſæ fuerunt, tum ſpes armiſtitii injecta, quæ per tres hebdomadas animos omnium ſuſpenſos habuit, tum pervetus illa ſuper titulorum & ſigillorum forma, contentio. Tandem ſed nonniſi multis rationibus & precibus paſſus eſt ſe perſuaderi Sereniſſimus Poloniæ Rex, ut muta-

tionem, quam ex parte Sueciæ proponebam, bono pacis concederet; ſimul atque id obtinui, exemplar iſtius Salvi-Conductus miſi Illuſtriſſimo Domino Comiti Oxenſtiernio, quem non dubito Excellentiæ Veſtræ communicaturum. Supereſt itaque ad congreſſum formandum ſalvorum conductuum hinc inde requiſitorum permutatio, quam fieri poſſe Stetini aliquando arbitratus ſum: ſed cum Illuſtrisſimus Dominus Comes Oxenſternius, qui tunc Thorunii obſidebatur, jam ſit Marienburgi, ibi facilius & commodius commutationem futuram, communis eſt hujus Curiæ ſententia. Cum itaque in hoc nihil aliud ſpectetur, quam partium commoditas, & ipſius permutationis facilitas, non poſſum non ſperare Excellentiam Veſtram & illuſtrisſimos Dominos ſuos Collegas libenter aſſenſuros, & quantocius transmiſſuros Marienburgum diplomata, quæ penes ſe habent ſalvorum Conductuum pro Dominis Commiſſariis tum Poloniæ, tum Imperatoris, Domini Electoris Brandenburgici & Magni Ducis Moſcoviæ, ut 15. Martii ſtyl. nov. tractatum, favente Deo, posſimus auſpicari, in quem finem Polonia ſuos confœderatos invitavit Thorunium ad primam ejusdem menſis, qua die ſperat Excellentiam Veſtram cum Illuſtrisſimis Dominis ſuis Collegiis Mariæburgi futuram, ut ſi quæ circa præliminaria ſuperſint difficultates, ante diem 15. complanari valeant. Nequeo ire inficias, ſolum Poloniæ diploma mihi eſſe præ manibus: ſed expecto indies Electorale, & Cæſareani Miniſtri ſe Imperatorium habere prædicant. Sed etſi aliqui ex Confœderatis parum

pacis

pacis cupidi ſalvorum conductuum extraditionem ſubterfugerent, non putarem e re Sueciæ eſſe, ob eum defectum commutationem differre ſuorum Diplomatum cum Polonico, cùm iſtud & præſidium, quod Polonia offert, ſat ſecuritatis præſtare queant, & inde poſſit enaſci occaſio componendi cum ſola Polonia: Ubi enim confœderatis ſuis ſubminiſtrarit diplomata, quæ pro ipſis a ſereniſſimo Rege Sueciæ impetrant, ſi ipſi iis uti, nec ſua dare velint, non poterint de illa conqueri, ſi ſola ad optatum belli finem pervenire conetur. Deinde cum iſta titulorum ſigillationumque reformatione propenſionem ſuam ad pacem, oſtenderit Sereniſſimus Rex Poloniæ, minore ſtudio illam expetere Suecia videtur, ſi nihil rependere & tantillum de ſummo jure decedere non conſentiret. Præſtolabor Excellentiæ Veſtræ mentem eo animo eoque affectu, quo debet

Excellentiæ Veſtræ

*Lovicii d. 22. Januar. 1659.*

*Addictiſſimus & obſervantisſimus Servitor*

De L'Ombres.

## CCCXXI.

*Reſponſoria ANDREÆ GYLDENKLAVII, Suecici ad pacis negotia Deputati, ad Domini LUMBRANI, Gallici Legati, proxime præcedentes literas, 1659.*

ACcepi hisce primum diebus Excellentiæ Veſtræ die 22. (12.) proxime præteriti menſis Lovi-

cii ad me perſcriptas literas, in quibus Excellentia Veſtra memorat, tum ſerotini ſui reſponſi, tum non niſi maximo ſtudio extracti ſalvi conductus Polonici cauſas. Injectam nimirum armiſtitii ſpem, & perveterem contentionem ſuper titulorum & ſigillorum forma; Cujus memorationem ex parte Sueciæ ab Excellentia Veſtra propoſitam, tandem idque non niſi multis rationibus & precibus perſuaſus Sereniſſimus Rex Poloniæ admiſerit. Judicat autem Excellentia Veſtra peropportunum, ut diplomata, quæ penes Nos habemus, Salvorum Conductuum pro Dominis Commiſſariis tum Poloniæ, tum Imperatoris, Electoris Brandenburgici & Magni Ducis Moſcoviæ, Marieburgum, ubi commutatio e communi aulæ Polonicæ ſententia facilior, & partium major commoditas futura ſit, transmittamus; Quo evenire poſſe exiſtimat, ut invitatis Thorunium ad diem 1. Martii ſt. n. a Polonia ſuis Fœderatis, die 15. (5.) ejuſdem tractatus inchoari, & interea temporis, ſi quæ ſuperſunt, circa præliminaria difficultates, complanari poſſint. Suadet inſuper Excellentia Veſtra commutationem Noſtrorum Diplomatum cum ſolo Polono, tum quod oblatum Poloniæ præſidium ſat ſecuritatis præſtare, & occaſio enaſci queat componendi cum ſola Polonia; prout hoc ipſum in literis plenius deducitur. Excellentiæ Veſtræ imprimis teſtari debeo, gratiſſimum Sac. Reg. Majeſtati Domino meo clementiſſimo eſſe Excellentiæ Veſtræ officium & indefeſſam operam in promovendis tractatibus pacis inter ejus Majeſtatem & Sereniſſimum Regem Remque publicam Poloniæ, atque

vel

vel eo maxime nomine Regio eandem favore & adfectu complecti. Appulerunt sub initium hujus anni ab aula Regia Wismariam atque inde huc illustrisſimi & Excellentisſimi Regni Senatores, Dominus Comes de la Gardie, Regni Thesaurarius, & Dominus Comes a Schlippenbach, qui singularem Excellentiæ Vestræ prudentiam & præclarum studium adornandæ pacis æstimant: Et lectis mecum literis, libenter ex iis percipiunt, diploma Salvi Conductus Polonici Excellentiam Vestram in manus suas tandem accepisse; idque sperant, ut absque sequioribus reservatis & gravi immutatione placitorum ante annum amplius locorum tractandi factum sit. Æquanimitatem Serenisſimi Regis Poloniæ, & quod rationibus passus sit ad reformationem titulorum & sigillationum se persuaderi, qua par est animi observantia agnoscimus. Si precibus & bono pacis concessum sit, quod ipsius rei causæque æquitati, pactis conventis atque sueto mori est consentaneum, majus inde tam salutari negotio pondus accesſit. Sed de forma ac constitutione præfati diplomatis atque in eo maxime sigilli & insignium cupimus a Generoso Domino Akakia fusius hic loci edoceri. Cum enim duo sint, quorum certior a me Excellentia Vestra reddi desiderat; Inprimis conjicere non possum, quæ tam urgentes causæ Poloniam pariter ac Excellentiam Vestram moverint, ut a Stetino, ceu condicto hactenus commutationum salvorum Conductuum loco, ad determinationem alterius huc usque non nominati loci transiſirent? Neque enim vel partium commoditati plus officit, vel facultati

H 5 per-

permutationis magis conducit, Marienburgum præoptare isti rei locum; quam cum per Dn. Akakia, cui officium hoc utrinque concreditur ac demandatur, negotium permutationis salvorum Conductuum rite, etsi non sine ejus incommodo & difficultate (ad quam subeundam se nuper hic declaravit) Stetini peragatur. Sed & commutare omnia diplomata, quæ penes Nos habemus, salvorum Conductuum, cum solo Polonico, res esset parum fida; quando in hodiernum usque diem Nos latet, an Imperator vel Elector Brandenburgicus ulla ducantur propensione in pacem cum Sacra Regia Majestate ineundam, vel Magnus Moscoviæ Dux, post conclusa in certos annos induciarum pacta suos Commissarios ad tractatus Polonicos deputare constituat? Neque enim Poloniæ Confœderatis causa erit de illa conquerendi, quod renitentibus cæteris sola ad tractatus pacis nobiscum condescenderet, si Suedici Salvi Conductus Marienburgum haud transmittantur, nec inibi cum Polonico commutentur; Cum & Poloniæ & ejus Fœderatis singulis non potest non constare, tum de prona Sacræ Regiæ Majestatis voluntate in pacem, tum de salvis conductibus pro eorum plenipotentiariis jam dudum expeditis, & in hac urbe ultra semestre asservatis. Præterea non satis assequi Excell. Vestræ mentem possum, cum scribit illud præsidium, quod Polonia offert, sat securitatis præstare posse; Nam si terrestri itinere contendendum hinc nobis in Prussiam & ditiones Electoris ad triginta amplius milliaria pertranseundæ sint, videtur haud satis securitatis a Polonia in terris Im-

Imperio Romano subjectis posse expectari, hærentibus pariter in vicinia copiis Cæsareanis. Igitur, cum alieni sint Poloniæ fœderati a tractanda pace, tum fortasse ab impertiendis salvis conductibus pro Regiis Suedicis Plenipotentiariis; Poloniæ vero & ipsius nomine Excell. Vestr. prudentiæ ac providæ ejus curæ committimus, quid in re tam ancipiti & terrestri itinere minus tuto, facto opus esse judicet? Sane in nobis nulla erit mora, aut commutandi hic præfata diplomata, aut hinc abeundi in Borussiam, si per rationes securitatis fieri unquam poterit, ibique sine ulla jactura temporis auspicandi, & ad optatum finem promovendi negotium tractatuum. Dies quo prior est, eo nobis gratior ad instituendum congressum. Precamur interea Poloniæ ejusque Confœderatis Thorunii jam brevi comparituris pacificam mentem, ne sepositis consiliis pacis, unice in exitium gentis nostræ conspirent. Innotuit jam Christiano orbi omnia a Serenissimo Rege nostro tentata media esse perveniendi ad honestam & tutam pacem. Quandoquidem superiori æstate, Regia ejus Majestas ipsas pacis conditiones a sua parte Excellentiæ Vestræ detegi, & sua salvorum conductuum diplomata pro Dominis Commissariis Poloniæ, ejusque Fœderatorum, ut commutatio cum cæteris quantocyus fieret, huc transmitti fecit; Nec jam nec quicquam ipsi D. Commissarii, proni in pacem, sed moræ longioris pertæsi, aliud, quam iter in Prussiam & congressus meditantur. Hæc ad literas Excellentiæ Vestræ in præsens respondere, & e re & usu tractatuum visum fuit. De cætero eandem divinæ tuitio-

tuitioni, me vero solitæ Excellentiæ Vestræ benevolentiæ sedulo commendo. Dabam Stetini, die 15. Febr. Anno 1659.

Excellentiæ Vestræ

*Obsequentissimus & ad officia paratissimus Servitor.*

A. Guldenklau.

## CCCXXII.

*Breve ALEXANDRI, P. P. VII. ad JOHANNEM PHILIPPUM, Moguntinum, & MAXIMILIANUM HENRICUM, Coloniensem Electores, quo eos, ut paci universali inter Catholicos Principes reducendæ omnem porro dent operam, serio hortatur, 1659.*

Alexander Papa VII.

*Venerabiles Fratres: Salutem & Apostolicam Benedictionem.*

LUctuosas inter Principes Catholicos discordias auferri, & rerum omnium prosperitatem fidelium populis cum pace universali restitui, summis votis jam dudum exoptamus. Idcirco ab initio usque ad hæc tempora Pontificatus nostri curas & cogitationes omnes huc potissimum contulimus, nec ulla officia paterna pro rerum ac temporum opportunitate nunquam prætermisimus. Cum igitur introducendæ tractationis de pace spes & opportunitas aliqua nunc affulgere videatur, nunciis Nostris tam in partibus istis penes Cæsarem & Colo-

Coloniæ, quam apud utrumq; Regem residentibus mandata renovare voluimus, pro interponendis officiis & adhibenda diligentia in omnibus, quibus tam salutare opus incitari & provehi poterit: Nec dubitamus, quin partes suas omni studio & zelo impleturi sint, communicatis invicem, uti jussimus, eorum quæ indies acciderint, nunciis & consiliis, ita misericordiarum pater successus expediti felicitatem nobis & universis Christianorum nationibus diuturna cladium calamitate perculsis & afflictis tribuere pro infinita clementia sua velit. Porro Fraternitatum Vestrarum in hac re pia studia ex literis Vestris die 15. Decembris, datis libenter cognoscimus, & valde commendamus, quamque nobis diuturnam incolumitatem initio recurrentis anni benevole precati estis, vobis eam ab autore bonorum omnium exposcimus, Apostolicam benedictionem Fraternitatibus Vestris peramanter impertientes. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 24. Januarii, 1659. Pontificatus nostri anno quarto.

J. Florentius.

## CCCXXIII.

*Literæ Intercessionales a* RICHARDO CROMWELLIO, *Anglicanæ Reipublicæ Protectore, ad* POTESTATES ORIENTALIS FRISIÆ *pro Maria Grinderia vidua data, 1659.*

Richar-

Richardus, Protector Reipubl. Angliæ &c.
Celsis & Potentibus Dominis, occidentalis Frisiæ Potestatibus
S. D.

*Celsi & Potentes Domini, Amici ac Fœderati Charissimi.*

GRavem ad me detulit querelam per libellum supplicem Maria Grinderia vidua, cum sibi a Thomæ Killegræo Vestro milite pecunia bene magna ante annos octodecim debeatur, se eum nec ullo modo adducere per procuratorem posse, neq; ut debitum solvat, neque ut de jure suo, si quid sit, velit lege experiri, id ne a procuratore viduæ cogi possit, petiisse eum a Celsitudinibus Vestris per libellum supplicem, ne cui liceat eum lege persequi ullius pecuniæ ab se in Anglia debitæ. Ego vero si Celsitudinibus hoc tantum significavero, viduam esse, egenam esse, multorum matrem parvulorum, cujus iste omnes prope fortunas avertere conatur, non committam, ut apud Vos, quibus divina præcepta atque adeo de viduis pupillisque non opprimendis notissima esse confido, graviore ulla utendum cohortatione putem, ne hoc fraudandi Privilegium petitioni istius concedere velitis: id quod nunquam concessuros Vos esse mihi persuadeo. Westmonasterio ex Aula Nostra, die 27. Januarii, 1659.

CCCXXIV.

*Literæ RICHARDI CROMWELLII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad CAROLUM GUSTA-*

*STAVUM, Suecorum Regem, quibus naves Samuelis Piggoti, Mercatoris Londinensis, in mari Baltico a copiis quibusdam Suecicis detentas, ut quam primum liberas dimitti curet, obnixe ab eo contendit, 1659.*

Richardus Protector Reipubl. Angliæ &c. Sereniſſimo Potentisſimoque Principi, Carolo Guſtavo, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi &c.

*Serenisſime, Potentisſime Rex, Amice ac Fœderate Charisſime.*

DEtulit ad Nos per libellum ſupplicem Samuel Piggotus, Londinenſis mercator, ſe nuper naves duas (quarum alteri nomen Poſtæ, Magiſter, Tiddæus Jacobus, alteri The Water Dog, Magiſter Garbrand Peters) Londino in Galliam negotiandi cauſa miſiſſe; eas inde ſale onuſtas Amſterodamum petiiſſe; Amſterodamo alteram ſaburra tantum, alteram halece impoſita, cujus Patrono cum Petro quodam Heinsbergo ſocietas erat, in mare Balticum Stetinum usque Pomeraniæ, quæ in Veſtra ditione eſt, ad exponendam illic halecem navigaſſe, verum utrasque hasce naves accepiſſe ſe alicubi maris Baltici a copiis quibusdam Veſtris detineri; tametſi, ut huic malo occurreret, cum utraque nave ſyngrapham ſigillo curiæ maritimæ obſignatam una curaverit mittendam, qua &-navium harum & mercium, excepta halecis parte ſupra dicta, unum ſe eſſe ac legitimum dominum demonſtraret. Cujus rei cum fidem apud Nos ple-

plenam fecerit, peto magnopere a Majeſtate Veſtra (quandoquidem duarum navium jactura ſine ſummo hominis detrimento fortunarumq; omnium naufragio vix poſſe accidere videtur) uti mandet ſuis atque imperet illarum navium liberam primo quoque tempore dimisſionem. Deus Majeſtatem Veſtram ad gloriam ſuam Eccleſiæque orthodoxæ præſidium quam diutisſime ſervet incolumem. Weſtmonaſterio ex Aula Noſtra, die 27. Januarii, Anno Domini 1659.

## CCCXXV.

*Litera FRIDERICI III. Daniæ Regis, ad RICHARDUM CROMWELLIUM, Anglicanæ Reipublicæ Protectorem, quibus ipſi ingentes pro denuo oblato mediationis ſtudio grates refert, eumque, ut ſe fractæ cum tot ſummarum Poteſtatum opprobrio fidei juſtum vindicem præſtet, amice monet, 1659.*

Fridericus III. Dei Gratia Daniæ &c. Rex
Sereniſſimo ac Celſiſſimo Domino Richardo, Angliæ, Scotiæ ac Hiberniæ Protectori.

ANnus jam agitur, ex quo hoc menſe Februario Celſitudinis Veſtræ Domini Parentis glorioſæ memoriæ tum temporis Angliæ, Scotiæ ac Hyberniæ Protectoris interpoſitione pax æterna inter Nos & Regem Sueciæ Rohtſchildiæ ſtabilita ac utrinque confirmata. Non poſſumus non providam ſuæ Celſitudinis in hoc pacis negotio tunc temporis adhibitam diligentiam, inter hæc Regna ſepten-

ſeptentrionalia ſibi invicem Religionis communione, amicitia & vicinitatis vinculo antiquitus colligata deprædicare. Ceſſimus multum de jure Noſtro, amore pacis, cum non minima jactura provinciarum ac fortalitiorum, indubia ſpe ducti, fore hanc pacem perennem ac tranquillitatem Nobis Noſtrisque Regnis inde renaſcituram. Præcipue cum Rex Sueciæ in mutuo Nobiscum inſtituto colloquio, veram & infucatam amicitiam verbis affectu plenis prolixe conteſtando, fraternum amorem obtulerit. Cum vero pacto pacis ſolennis ſecure viveremus, ſtipendiariis militibus maxima ex parte prædicto Regi ceſſis & dimiſſis, nihil mali metuentes, nulla denuntiatione prævia, absque ulla vel in ſpeciem producta cauſa, Nos contra datam fidem denuo ante ſemeſtre hoſtiliter invaſit, ac tanto fervore adortus, ut Regnum Noſtrum Ducatus & Provincias maxima ex parte cæde, cineribus ac ruinis devaſtaverit, locis Deo ſacris pollutis, omnia etiamnum ad perniciem Noſtram ac interitum totius Regiæ familiæ Noſtræ ex mera dominandi prurigine magno conatu dirigit. Videt Celſitudo Veſtra, qua fide Nobiscum actum ſit, ab illo ipſo, qui Veſtram approbationem, Veſtrum patrocinium imo auxilium, in hac injuſtiſſima cauſa ſibi conciliare ſtudet, ſentit ex his, quantum per Noſtrum latus exiſtimatio Dominorum Mediatorum, vulnerata ac læſa ſit. Gratiſſimum Nobis interea eſt, quod Celſitudo Veſtra paternis veſtigiis inſiſtendo, ad hoc incendium denuo reſtinguendum, priusquam ſe latius diffundat in literis ſuis die 16. Novembris anni proxime ela-

psi, datis, Nobis vero pridie a Celsitudinis Vestræ apud Nos Residente Ministro, Isaaco Evere exhibitis, reconciliandæ pacis officia ultro obtulerit; & quantum curæ ipsi cordique sit tranquillitatem inter hæc Regna Borealia & Confœderatos Evangelicos hoc bello implicitos restabilire contestari voluerit. Nos uti nunquam a pace secura, fida ac honesta alieni fuimus, ita mediationem hanc a Celsitudine Vestra Nobis oblatam grata mente accipimus. Inde enim tanto certior Nobis spes subjicitur, Celsitudinem Vestram cum ob æquitatem causæ Nostræ, tum ad commune periculum, quod ex hoc bello Religioni Evangelicæ attrahitur, avertendum eam adhibituram curam, ut Nobis Nostrisque ob damna infinita perpessa, satisfiat, major securitas, quam antea, de non amplius turbanda pace, præstetur, & Nos tum a manifesto bello, vi ac armis, quam subdolis Suecorum machinationibus, tuti posthac esse possimus, Tractatum vero pacis separatum cum Corona Sueciæ exclusis Confœderatis Nostris seorsim inire, uti Legatus Celsitudinis Vestræ apud Regem Sueciæ Dominus Philippus a Meadowe, Eques Nostri Ordinis, Nobis in scriptis proposuit summa foret ingratitudinis nota, cum illorum auxilio a totali eversione liberati, & uti hoc ob pacta cum ipsis inita non est in Nostra potestate, ita minus securitatis, ex istiusmodi particulari pace sperandum foret. Pollet Celsitudo Vestra ea autoritate apud hostes Nostros, ut magnum momentum publicæ tranquillitati, ac commerciorum libertati præcipue in mari Baltico adferre posit, si fractæ hujus fidei se justum vindicem

præ-

præſtare, Noſque in perpetua violentia Suecorum qua indies adhuc aggravamur, ſi non armis, tamen rationibus ac conſiliis liberare, & in hoc communi reconciliationis officio, indefeſſam operam ſuam denuo adhibere voluerit. Interea Celſitudinem Veſtram divinæ protectionis præſidio ad proſpera quævis animitus commendamus. Dabantur ex arce Noſtra Regia Haffniæ, die XI. Februarii, 1659.

## CCCXXVI.

*Literæ, quibus JOHANNES GEORGIUS II. Saxoniæ Elector, CAROLO GUSTAVO, Suecorum Regi, Magdalenam Sibyllam, matrem ſuam, mortem cum vita commutaſſe nuntiat, 1659.*

### Sereniſſime & Potentiſſime Rex.

QUo plures atque propiores cauſas habere Nos exiſtimamus, quamobrem indefeſſæ Utriusque Domus amicitiæ nexum exiſtimemus quam plurimi, eo prolixiore majorique fiducia in Regiæ Serenitatis Veſtræ ſinum effundimus acerbisſimum dolorem, quem ex divinæ voluntatis perſentiſcimus arbitrio, dum omnipotenti ſuæ Majeſtati viſum fuit Sereniſſimam Principem, Dominam Magdalenam Sibyllam, Juliæ, Cliviæ & Montium Ducem ac Electoriſſam, natam Marchioniſſam Brandenburgenſem & Boruſſiæ Ducem, Landgraviam Thuringiæ, (tot. tit.) Dominam & Matrem Noſtram honoratiſſimam ſimul ac deſideratiſſimam heri, nocturno circa mediam duodecimam tempore, ex his terrenis ad cœleſtes evocare ſedes,

I 2 unde

unde Suæ Serenitati æterna quidem felicitas, Nobis autem Nostræque Domui Electorali pergravis luctus enatus est. Cumque nulli dubitemus, quin Regia Vestra Serenitas ex sanguinis propinquitate præclaroque erga Nos affectu doloris Nostri nonnullas suscipere partes non dedignetur; Nobis imprimis convenire existimavimus, de hoc flebili casu maturam Ei reddere notitiam, calidissima Nostra eo intendentes vota, quo divina Clementia omnia a Regia Vestra Serenitate similia atq; alia avertet luctuosa, Nosque saluberrimo relevare velit solatio, & aliunde largissima benedictione & gratia recreare. Quibus Regiam Serenitatem Vestram salvam semper & incolumem cum tota familia desideramus, & Regiam felicitatem sedulo apprecamur. Dabantur Dresdæ in Nostra Electorali, die 13. Februarii, Anno 1659.

Johannes Georgius II.
Elector.

## CCCXXVII.

*Litera PHILIPPI MEADOWII, Legati in Sueciam Anglicani, ad MARESCHALLUM Danicum, cui Interpositionis officia nomine Richardi Cromwellii, Protectoris Angliæ, Domini sui offert, Regnoque Daniæ peculiares cum Suecis tractatus suadet, 1659.*

Illustrissime & Excellentissime Domine.

NIhil ingratius aut magis inexpectatum nuperæ suæ Celsitudini Protectori Angliæ &c. Glo-

Gloriosæ memoriæ accidere potuit, quam amicissima sua interposita officia pro pace & concordia, inter hæc duo vicina Regna stabilienda, de funesto hoc bello iterum accenso rescivisse, atque huic restinguendo jam dudum omni ope & studio, qua pientissimum Principem decuit, adlaborasset, nisi mors immatura tam laudabile institutum interrupisset. Verum Serenissima Sua Celsitudo in Patris locum suffecta, paternis insistens vestigiis, mihi provinciam hanc demandavit, ut negotium pacis apud utrosque Reges summa cum instantia promoverem. Virtute igitur potestatis mihi hac in parte datæ mediationem præfatæ Suæ Celsitudinis, Domini mei Clementissimi, Serenissimæ Majestati Daniæ pro componendo hoc bello inter eam & Majestatem Sueciæ infeliciter renato, omni cum sincero affectu defero. Hunc in finem ad vos regreditur Dominus Residens, qui has ad Excellentiam Vestram perferet, quique honorem habiturus est, tradendi Majestati Celsitudinis Suæ literas, hac de re scriptas. Quocirca rogo Excellentiam Vestram, ut huic tam pio & salutari proposito gratiam & autoritatem, qua pollet, libens & ultro contribuere velit; & quandoquidem in præsenti hac rerum crisi, omnis mora periculosissima futura sit, eandem pariter rogatam habeo, ut responsum Majestatis Suæ per dictum Residentem quamprimum ad me maturandum curet, & quo distinctius & sine ambagibus in re tanti momenti & ponderis procedatur, de tribus his sigillatim atque in scriptis informari cupio: 1.) Utrum hæc oblata Serenissimæ Suæ Celsitudinis mediatio suæ Maje-

stati grata & accepta sit? 2.) Utrum Majestas Sua immediate & posthabita qualicunque dilatione, in tractatum pacis cum Majestate Sua Sueciæ consensura sit, eundemque in finem Commissarios suos, sufficienter ad id instructos, nominatura, qui post extraditos utrinque Salvos Conductus in vicino aliquo pago, cum Commissariis Suecicis conveniant? 3.) Si Majestas Sua parata sit, tractatum inire cum Corona Sueciæ separatim & seorsim ab omnibus aliis Confœderatis, quod eo fine proponitur, solummodo, ad evitandas moras, & ne tardiora sint remedia quam mala. Quantum enim ad Ordines Generales uniti Belgii, tantum abest, ut præfata sua Celsitudo eos hoc tractatu vel excludi, vel insuper haberi vellet, ut, si modo fieri potuisset, quod tamen præsens rerum status vix patitur, abnuente præsertim Rege Sueciæ, eos ut Mediatores utrinque admittendos optaret; Sique Minister aliquis ex parte Dominorum Ordinum hic adesset, cum eo libentissime in omnibus super hoc negotio communicarem. Et quod spectat ad Electorem Brandeburgicum, nihil magis alienum ab intentione præfati Domini mei, quam ut separatus hic tractatus ei fraudi vel præjudicio foret, quin imo, restabilita inter has Coronas pace, via facilior præmunietur, ad redintegrandam inter Regem Sueciæ & præfatum Electorem amicitiam, pro quorum dissidiis componendis, nec non pro bello Polonico sedando præfata Sua Celsitudo efficacissima sua officia interpositura est. Miserrimum certe & maxime calamitosum, si quod aliud, est præsens hoc bellum, ubi vobis nec victoribus nec victis

victis bene erit, dum Vestra Dania commune Theatrum redditur, in quo cæteri Principes tragœdias suas agunt; Interea & quod conservatis pariter & quod amittitis, vestrum haud appellari queat, dum in alienam potestatem transit, unicum tot malorum remedium pax secura. Ignoscat mihi hanc amicam libertatem, meque semper firmiter credat sibi addictissimam. Dabantur Croneburgi, die 16. Febr. Anno 1659.

## CCCXXIIX.

*Responsoria* MARESCHALLI DANICI, *ad prainsertas* PHILIPPI MEADOWII, *Anglicani Legati literas, 1659.*

QUemadmodum Serenissimo Regi meo nihil inexpectatius unquam, nihil a fœdere & amicitia, adeo sancte cum Serenissimo Rege Sueciæ inita & tot literis, colloquiis, pignoribus, imo sollicita summorum Principum mediatione declarata, alienius potuerit accidere, quam novis bellorum veluti fluctibus undique improviso superobrui, & inusitato prorsus exemplo cum universa familia ruinæ irreparabili innoxie destinari: Ita ipsi nihil potius antiquiusque, quam Celsissimi Protectoris Angliæ &c. consilia ad pacem, inter Borealia hæc regna reducendam spectantia audire, simulque Excellentiæ Vestræ ob studium & operam ad componenda isthæc Boreæ dissidia tam prompte denuo oblatam, magnum quiddam debere, ultro agnoscit. Verum enim vero Serenissimus Rex meus, Princeps securæ pacis amantissimus, ita Principi-

bus & Rebuspublicis fœdere sibi junctis, & in turbido rerum statu fideles sibi suppetias euntibus, intelligit sese devinctum, ut seclusis iisdem, de pacis conditionibus agitare consilia haud quaquam possit, nisi & regiarum virtutum & honestatis limites sustineat excedere. A quo crimine, ut semper abhorruit; ita nihil magis hodieque habet in votis, quam ut generalis quædam & tuta, inter dissidentes pax coalescat, & tot violentis innoxiorum mortibus, quas ubique parturiunt & ipsi mortales, tandem aliquando optatus finis imponatur; in quo voto & ipse finio, simulque Excellentiam Vestram officiosissime salvere & valere jubeo. Die 18. Februarii, 1659.

## CCCXXIX.

*Literæ JOHANNIS PHILIPPI, Moguntini, & MAXIMILIANI HENRICI, Coloniensis Electorum, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, cui pro summa & laudatissima in pacem universalem propensione gratias agunt maximas, eamque ut quantocyus effectui dare dignetur, modeste rogant, 1659.*

QUamprimum Secretarius Linckerus ex Aula Regiæ Vestræ Majestatis cum optato gratissimoque responso reversus, probatam a Majestate Vestra tractandæ paci liberam Urbem Augustam retulit, spe bona pleni & pacis maturandæ cupidi, jussimus eundem Secretarium Nostrum, qui declarationem Regis Catholici ad Majestatem Vestram pertulerat, ire quoque in Aulam Cæsareæ Majestatis atque

atque referre, quid Vestra Majestas pro summo suo & laudatissimo erga pacem publicam studio constituisset: Quid vero Cæsarea Sua Majestas (cujus autoritati & intercessioni debebamus, quod Rex Catholicus Germaniæ hunc honorem habuit, ut in ea de orbis Christiani quiete tractandum esse censeret) ad Nostras literas responderit, Vestra Majestas ex ipsis Cæsareæ Majest. literis cognoscet; Etsi autem non est, quod dubitemus, Regem quoque Catholicum eam urbem paci tractandæ acceptaturum esse, quæ ideo a Nobis Vestræ Majestati commendata fuit, quod eam Cæsari gratam, Regi Catholico commodam & acceptam, atque mediatoribus omnibus opportunam esse perspexissemus, magno tamen dolore afficimur per locorum intervalla fieri, ut sancto huic & salutari negotio, in quo maturando tantum momenti situm est, longæ & molestæ moræ interponantur. Interea Vestræ Majestati magnas debemus gratias, quod in acceptanda urbe Augusta (quod vix sperare ausi fueramus) pro summa sua bonitate & pacandi orbis Christiani desiderio se tam facilem & promptam præbuerit, suoque consensu eam urbem non gravate approbaverit, & suum quoque in fœderatorum approbatione obtinenda, studium efficaciter promiserit, nondum quidem de eo impetrato Nobis constat, qua tamen Regia Vestra Majest. pollet apud suos confœderatos autoritate, speramus eos quoque non fore ea in re difficiles, & Vestram Majestatem rogamus, ut quamprimum de fœderatorum suorum consensu certum acceperit nuncium, Nobis id significare velit, quibus nihil nunc æque curæ est,

quam ut omne illud mature e medio tollatur, quod moram aliquam afferre potest: In Vestræ vero Majest. pietate & propenso ad pacem faciendam studio maximam felicis horum tractatuum successus spem reponimus, & Vestram Majestatem, ut in ea constanter persistat, rogamus. Divinæ denique eam tutelæ & nos suo favori ex animo commendamus. Datum Herbipoli, 17. Februarii, 1659.

## CCCXXX.

*Literæ RICHARDI CROMWELLII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, a quo, ut Edictum, quo Protestantibus in Provincia Sacrorum cultu interdictum, sufferri, eorumque malefi●um turbatorem, pœnas sceleris commissi dare jubeat, obnixe contendit, 1659.*

Richardus, Protector Reipubl. Angliæ &c.
Serenissimo Potentissimoque Principi
LUDOVICO, Galliæ
Regi.

*Serenissime Potentissimeque Rex, Amice ac Fœderate Augustissime.*

ACcepimus, idque non sine dolore, quasdam in Provincia Protestantes Ecclesias ab homine quodam male feriato ita indigne fuisse in sacris concionibus interpellatas, ut ea res Magistratibus, ad quos hujus causæ cognitio Gratianopoli ex lege pertinebat, gravi animadversione digna censeretur: sed Conventum Cleri, qui iis in locis proxime habe-

habebatur, a Majeſtate Veſtra impetraſſe, ut res integra Pariſios ad Concilium Regium revocaretur: a quo dum nihil hactenus decernitur, Eccleſias illas & præſertim Aquarienſem convenire ad colendum Deum prohiberi. Vehementer itaque a Majeſtate Veſtra etiam atque etiam peto primum, ut quorum preces ad Deum pro ſalute ſua rebusque Regni proſperis non interdicit, eorum coitus publicos ad precandum interdicere ne velit: deinde ut in illum hominem rei divinæ interpellatorem ex ſententia illorum judicum, quibus hujusmodi cauſarum legitima atque conſueta cognitio Gratianopoli data eſt, animadvertatur. Deus Majeſtatem Veſtram quam diuturnam atque incolumem conſervet; ut ſi hæc Noſtra vota Vobis accepta ſunt, Deoque grata eſſe exiſtimatis, eadem ab illis etiam Proteſtantibus Eccleſiis, quibus nunc interdicitur, pro Vobis publice fieri, ſublato illo interdicto, quamprimum velitis. Weſtmonaſterio, die —18. Febr. Anno 1659.

## CCCXXXI.

*Litera RICHARDI CROMWELLII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad CARDINALEM MAZARINUM, quibus pro Petro Petto, Navarcho quodam Anglicano, apud eum intercedit, 1659.*

Richardus, Protector Reipubl. Angliæ &c.
Eminentiſſimo Domino Cardinali
Mazarino.

*Emi-*

*Eminentissime Domine.*

PEr literas ad Eminentiam Vestram octo circiter abhinc mensibus die 13. Jun. datas, causam Petri Petti, viri & singulari probitate præditi & egregiis artibus in re navali Nobis reique publicæ utilissimi commendavimus. Ejus nave Edwardo anno 1646. a quodam Gallo, cui nomen Basconi Thamisis in ostio, ut scripsimus, capta, & in portu Bononiensi vendita, quanquam Rex in Consilio Regio 4. Nov. anno 1647. decreverat, ut quam censuisset consilium pecuniæ summam damni accepti loco dandam, satisfactioni daretur, is tamen ex eo decreto nihil dum se fructus percepisse ostendit: Cum autem dubium mihi non sit, quin Eminentia Vestra meo rogatu id omne mandaverit, quod ad decretum illud primo quoq; tempore exequendum pertineret, denuo nunc majorem in modum peto, ut videre velit, quid impedimento sit, cujusve negligentia aut contumacia factum, ut decreto regio post annos jam decem non obtemperetur; velit pro sua autoritate instare, ut decreta illa pecunia, quam irrogatam jam diu existimamus, & exigatur quamprimum, & petitori Nostro solvatur. Ita rem justitiæ imprimis gratam Eminentia Vestra fecerit, & a me singularem præterea gratiam inierit. Westmonasterio, ex Aula Nostra, die 22. Februarii, 1659.

CCCXXXII.

*Litera RICHARDI CROMWELLII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad ALPHONSUM VI.*

*VI. Lusitaniæ Regem, quibus ipsi insignem e Hispanis reportatam gratulatur victoriam, eumque ut Alexandro Bernico, mercatori Londinensi, duplum navigationis præmium a societate Brasiliensi debitum exsolvi jubeat, amice requirit, 1659.*

Richardus, Protector Reipubl. Angliæ &c.
Serenissimo ac Potentissimo Principi,
Alphonso Portugalliæ
Regi.

*Serenissime Potentissimeque Rex, Amice ac Fœderate.*

TAmetsi multa sunt, quæ ad Regem amicum & Reipublicæ Nostræ conjunctissimum necessario scribam, nihil est tamen, quod faciam libentius quam quod nunc facio, ut Majestati Vestræ Regnoque Portugalliæ insignem hanc proximam de communi hoste Hispano victoriam gratuler: qua non ad Vestram tantummodo, verum etiam ad Europæ totius pacem ac respirationem, permagnum atque in multos fortasse annos, allatum esse momentum nemo est quin intelligat. Alterum est, in quo victoriarum certissimum pignus justitiam Majestatis Vestræ agnoscam, qua ex articulo fœderis XIV. per arbitros Londini datos, mercatoribus Nostris est satisfactum, quorum naves onerarias Brasiliensis societas conduxit. Unus est Alexander Bernicus, mercator Londinensis, cui cum navis ejus, quæ tres fratres vulgo nominatur, Magistro Johanne Wilkio, duas navigationes conducta onerataque navaverit, pactum stipendium persolvere societas recusat:

## CCCXXXIV.

*Literæ commendatitiæ a RICHARDO CROMWELLIO, Anglicanæ Reipublicæ Protectore, ad CARDINALEM MAZARINUM, Viduæ Ducis Richmondiæ in Galliam cum filio iter faciente traditæ, 1659.*

### Eminentissimo Domino, Cardinali Mazarino.

*Eminentissime Domine Cardinalis.*

PRoficiscitur in Galliam, ibique ad tempus commorari cogitat illustrissima Domina defuncti nuper Ducis Richmondiæ uxor cum Duce Filio adolescentulo. Eminentiam itaque Vestram magnopere rogo, ut si quid acciderit, in quo iis Vestra autoritate, favore, patrocinio, utpote peregrinis, usui esse possit, ita eorum dignitatem tueri, Vobisque haud vulgariter commendatam rebus omnibus habere velitis, ut ad Vestram humanitatem erga omnes, præsertim tam illustri genere oriundos eximiam, sentiant Nostris literis, quod accedere potuit, cumuli accessisse: simul & hoc sibi persuadeat Eminentia Vestra, commendationem suam, si quid a me hujusmodi postulabit, apud me non minus valituram. Westmonasterio die 29. Februarii 1659.

## CCCXXXV.

*Literæ PLENIPOTENTIARIORUM SVECICORUM paci cum Polonis componendæ destinatorum, ad HUGONEM TERLONUM, Legatum in Polonia Gallicum, apud quem salvorum Conductuum permutationem denuo urgent, 1659.*

Illu-

## Illuſtriſſime atque Excellentiſſime Domine Legate.

QUemadmodum ſperamus, Excellentiam Veſtram, ante adventum harum, Gedanum feliciter appuliſſe, atque inde in itinere ad aulam Polonicam conſtitutam eſſe, & quicquid eandem ſuper præliminaribus pacis inter Sereniſſ. Regiam Majeſtatem Sueciæ Dominum noſtrum clementiſſimum & Sereniſſimum Regem Poloniæ, dato a Nobis memoriali, ſedulo rogavimus, præſertim, ut expeditio ſalvorum conductuum huc transmittendorum (quibus etiam Procuratoria reſponderent) in debita deſiderataque forma quamprimum procuretur, pro ſingulari ſuo ſtudio, ac probe Nobis cognito in tam ſalutare negotium zelo, jam agere confidimus; ita divinum numen veneramur, quo collata in actione ſperandæ pacis hujus, Excellentiæ Veſt. opera proſpero eventu non careat, ſed ad finem aptatum perducatur. Qua de re quidem non eſt, quod dubitemus, cum non tantum fama innotuerit, & ore omnium feratur, verum etiam ab hominibus fide dignis huc perſcriptum ſit, Rempublicam Polonicam ſummo deſiderio trahi ex bello Suecico eluctandi, & pacem perpetuam nanciſcendi. Cum autem verendum ſit, ne durantibus, quæ modo Warſaviæ celebrantur comitiis, malevoli, iique & pacis deſtructores & belli incentores culpam retardati in Boruſſiam itineris Noſtri, ac nondum cœptorum tractatuum, in prætactam Sacram Regiam Majeſtatem nosve Miniſtros ejus derivaturi, & illiusmodi cogitatio-

nes animis & cordibus hominum imprimere conaturi ſint, quibus facile perſuadere ſibi non bene informati queant, Suecos a pace plane abhorrere, nec ullo ejus provehendæ deſiderio aut propenſione teneri: Ea, qua par eſt, diligentia Excellentiam Veſtram requirimus, ut pro ſingulari prudentia & æquanimitate ſua, id pariter agat, quo talis ſuſpicio, qua nullo ſuo merito gens noſtra gravari poteſt, hominum mentibus dematur, & potius omnibus, cumprimis Regi Reique publicæ Polonæ conſtet, nos mandato Sereniſſimæ Regiæ Majeſtatis Domini noſtri clementiſſimi, nihil in votis habere amplius, quam ut ſalvi conductus in debita forma, quoad omnia requiſita, quantocyus procurentur, huc afferantur, atque hic, ubi octavus nunc menſis peractus eſt, quo ejusdem Sacræ Reg. Maj. tam plenipotentiales, quam ſalvi paſſus literæ, non modo pro Polonicis ſeu etiam Fœderatorum Commiſſariis præſto ſunt, permutentur, nosque ſine ulla mora iter in Pruſſiam ſuſcipere, & tractatus negotium inchoare atque divina ope ad pacem pervenire poſſimus. Cujus quidem rei vel maximum momentum non minus hisce literis iteramus, quam in ſupra allegato memoriali noſtro Excellentiam Veſtram etiam atque etiam rogavimus, ut ſummo, quo poteſt, opere in id allaboret, quo juxta præliminaria tractatuum procuratoria Polonica ad requiſitum modum complanentur & expediantur, nosque de iſta re pariter informemur, ne deinceps, veluti in prioribus tractatibus fieri conſuevit, tempus inutiliter teratur, aut rumpendis tractatibus anſa præbeatur. Teſtes certe & Excellentiſſi-

tisſimum Dominum Legatum de Lumbres, & Generoſum Dominum Akakia, adeoque ipſam Excellentiam Veſtram allegamus, toties, ſumma diligentia, modo in ſcriptis, modo oretenus demonſtratæ ſinceræ intentionis noſtræ,& merito ad memorialia, literas atque informationes partim ipſius Sacræ Regiæ Majeſtatis partim noſtras, nos referimus, orbi inde Chriſtiano monſtraturi, moram protractæ hactenus pacis neutiquam penes nos ſtetiſſe. Condonabit Excellentia Veſtra paulo prolixioribus hisce literis noſtris, in qua ſpem promovendi hujus ſalutaris negotii collocamus, eandemque divinæ protectioni peramice commendamus. Datæ Stetini die 22. Martii ſtylo veteri, Anno 1659.

Excellentiæ Veſtræ

*ad officia paratiſſimi*

Magnus Gabriel de la Gardie.
Chriſtophorus Carolus Schlippenbach.
Andreas Güldenklau.

CCCXXXVI.

*Literæ credentiales a RICHARDO CROMWELLIO, Anglicanæ Reipublicæ Protectore, Eduardo Montagu, Anglicæ claſſis ſummo Præfecto, ad FRIDERICUM III. Daniæ Regem datæ, 1659.*

K 2 Sere-

Serenissime, Potentissimeque Princeps, bone Amice ac Fœderate.

PRædilectum nobis & perquam fidelem Eduardum Montagu a Secretioribus nostris Consiliis & unum e thesauri nostri Custodibus atque supremum classis Nostræ præfectum, ad Fretum Oresundicum mittimus classe non infirma & mandatis necessariis instructum, cujus ergo professionem Majestati Vestræ, uti Regi Amico indicandam esse judicavimus. Hoc autem solum in præsentiarum Majestatem Vestram rogamus, quoniam prædicti classis Nostræ præfecti spectatæ prudentiæ, multa haud parvi ad rem communem momenti credimus, ut Majestas etiam Vestra quidquid ille nostro nomine cum ea per se, vel per alios pro occasione data egerit, ita accipere & interpretari velit, uti proprio Nostro, consilio autoritate & fide subnixum. Majestati interim Vestræ res prosperas & pacatas ex animo comprecamur. Dab. e Palatio Nostro West-Monasterii 27. Martii Anno 1659.

Majestatis Vestræ

*Bonus Amicus*

Richardus, Protector Reipubl. Angliæ &c.

CCCXXXVII.

*Literæ ANTONII LUMBRANI, Plenipotentiarii Gallici, ad PLENIPOTENTIARIOS SVECICOS ad pacem cum Polonis redintegrandam deputatos, quibus eos, ne iter suum Borussiam versus,*

*ſus, ob enatos quosdam circa Salvorum conductu- um Diplomata ſcrupulos diutius differant, ſollicite hortatur, 1659.*

QUod Excellentiæ Veſtræ de me conqueſtæ fuerint, quaſi vitium in diplomate Salvi Conductus Polonici deprehenderim & ſciens reticuerim, mirari ſatis non poſſum. Fateor quidem ſæpe mihi declaratum fuiſſe, tale diploma non poſſe recipi, ſi Sereniſſimus Poloniæ Rex in eo titulum aut inſignia Sueciæ ſibi arrogaret; ſed nihil horum in iſto diplomate agnovi. Verum objicitur, in exteriori circulo inſignium fuiſſe illum titulum, ſed obliteratum & expunctum. At quod obliteratum eſt pro non ſcripto habetur, imo alia ratione magis prodeſt ei, cujus reſpectu fit, quam ſi ſimpliciter omiſſum foret, cum omiſſio ob multas diverſasque cauſas fieri queat, expunctio autem non fiat niſi eorum, quæ ſcribi non debebant. Si deceptus ſum, fefellit me exemplum ratihabitionis tractatus Stumdorfiani, in cujus ſigillatione, cum inter titulos Regis Poloniæ contra ea, quæ placita fuerant, titulus regni Sueciæ reperiretur, expunctione illius contenta fuit Suecia. Quicquid ſit, cum Excellentiis Veſtris aliter viſum fuerit, earum judicio lubens acquievi, illudq; quibus potui rationibus, apud Dominos Plenipotentiarios Polonicos, qui non ſolum ipſum non approbabant, ſed etiam ſiniſtre interpretabantur, confirmavi. Non levis hoc fuit laboris: Non patiebantur ſe perſuaderi poſſe aliquid amplius exigi, quam ut quod Stumdorfii placuerat, etiamſi tractatus ille nullas jam vires habere obſervaretur. Cum viderem eos ob-

firmato animo non posse adduci ad reformationem, quam expetebam, proposui, ut saltem in scriptis declarent expunctionem illam nutu aut consensu Regio esse factam. Id quidem ita factum fuisse declaravit coram suis collegis Dominus Magnus Cancellarius Poloniæ, sed & in scriptis dare recusavit, eo quod, ut ipse & Collegæ arbitrabantur, talis declaratio juribus Regiis magis officere videatur, quam sigilli ipsius reformatio. Ideo tandem eo adducti sunt, ut promiserint se curaturos, ut cudatur novum sigillum, in quo neque titulus, neque insignia Sueciæ ullo modo conspicua sint, nullamque super eo puncto fore difficultatem, modo Excellentiæ Vestræ quantocyus in Borussiam veniant, quibus tunc reformatum diploma dabitur. Itaque obtestor enixe Excellentias Vestras, si tractatum pacis maturare cupiant, quod solum & unicum remedium superest, ad omnia molimina, quibus illum impugnant Confœderati Poloniæ, evertenda, ut iter suum non differant usque ad reformationem illam, quæ aliquantum temporis & forte meum reditum ad curiam Polonicam requiret. Dominus Akakia, qui usque ad illam reformationem primum diploma servabit, & Excellentias Vestras comitabitur, ipsas latius de omnibus informabit, cui ut fidem habeant integram rogo, meque semper & ubique credant.

Excellentiarum Vestrarum

*Studiosissimum & ad obsequia paratissimum Servitorem*

*Gedani die 12. 2. Apr. 1659.*

Antonius de Lombres.

CCCXXXVIII.

CCCXXXVIII.

*Resp*o*nsoria* PLENIPOTENTIARIORUM SVECICORUM, *ad proxime prainsertas* ANTONII LUMBRANI, *Legati Gallici, literas*, *1659.*

P. P.

EXcellentiæ Vestræ literas Gedani die 12. (2.) hujus mensis ad nos perscriptas, Generosus Dominus Akakia nobis hic die 15. 5. ejusdem recte tradidit. Non meminimus, nos Excellentiam Vestram incusasse probri, quod vitiosum diploma Salvi Conductus Polonici nobis transmiserit. ¡Neque enim pro labore culpam, aut pro officio crimen objicimus! Fieri potuit, ut eandem exemplum ratificationis tractatus Stumsdorfiani fefellerit; non quod in ejus sigillatione contenta adeo fuerit Suecia expunctione tituli; sed quod post factam utriusque partis Commissariorum dissolutionem, & Regis Uladislai discessum, amori pacis, & laborantibus in Germania Evangelicorum rebus, nec non hortatibus precibusque Mediatorum, cedere Suedici maluerunt, quam pati, ut cæteris impletis, bellum iis in oris recrudesceret. Quemadmodum autem fatetur Excellentia Vestra sæpe sibi declaratum fuisse, tale diploma non posse a nobis recipi, in quo Serenissimus Rex Poloniæ titulum aut Insignia Regni Sueciæ sibi arrogaret; ita nec memoria eidem excidisse speramus, quod facta a parte Sacræ Regiæ Majestatis, Domini nostri clementissimi, declaratio satis manifeste indigitaverit, eam tituli & sigilli confor-

mitatem poſtulari, qua Rex Poloniæ in diverſis ſuis ad prætactam Regiæ Majeſtatis literis nec non data Legatis ſuis plenipotentia tractandi pacem, ante quadriennium uſus eſt. Quæ quidem declaratio præterquam quod oretenus ſæpe repetita eſt, binis inſuper vicibus partim in libello memoriali Wismaria, partim in literis Stetino ad Excellentias Veſtras perſcripta ac transmiſſa fuit. Et injecta toties hujusce rei mentio fuit, quoties ſermo inſtitutus eſt de iis, quæ ratione tituli & ſigilli in tractatu Stumsdorfiano acta fuerunt. Atque id quidem omne eum in finem; tum, ut conſtaret Excellentiis Veſtris non poſſe placere Sacræ Regiæ Majeſtatis modum corrigendi tituli & ſigilli a Polonis in Tractatu Stumsdorfenſi uſurpatum; ſed rectitudinem ipſam tituli non minus in ſigillo quam diplomate ſcripto, in dicto tractatu fundatam ac receptam, & poſtmodum in obſervantiam deductam. Tum ut inter præliminaria futurorum tractatuum, certa tum titulaturæ in contextu pariter ac ſigillo, tum excluſionis inſignium Regni Sueciæ e ſigillo Polonico, norma conſtitueretur; ad quam diplomata tum Salvorum Conductuum, tum procuratoriorum expediri poſſent; ne circa congreſſus iis expendendis ac definiendis tempus traduceretur. Tum denique, ut anſa præcideretur utrique parti deveniendi ad eas ſubtilitates, quibus disquiri & obtendi poſſet: Obliteratum pro non ſcripto haberi, & expunctionem ejus eſſe rei, quæ ſcribi non debeat, & quæ ſunt hujus generis alia. Quod vero Excellentia Veſtra ſcribit Dominos Plenipotentiarios Polonicos, hæc poſtu-

ſtulata & monita noſtra non ſolum non approbare, ſed etiam ſiniſtre interpretari; ſane de tantis viris longe rectius mitiusve arbitrium nobis promiſisſemus; quando mirari ſatis non poſſumus, Dominos Commiſſarios Polonicos in tractatu Lubecenſi apud Dominum Legatum Gallicum expunctionis ſeu raſuræ ſigilli ignorantiam prætendiſſe; ut productum licet inſtrumentum deprehenderint & agnoverint non tantum reformatum, ſed multis inciſionibus & raſuris adeo deformatum, ut exiſtimarint falſitatis pene damnari poſſe, fidem tamen ſigilli ſeſe aſſequi non poſſe profiterentur. Conqueſti alias de nimia in tractatibus Stumsdorfenſibus Commiſſariorum Polonicorum licentia in commiſſa infami ſigilli raſura, prout hæc verbotenus in actis publicis tractatus Lubecenſis continentur. Nemo ideo jure merito ſuccenſere nobis poterit, quod non placeant nobis, quæ pridem Dominis Polonis ea in re diſplicuerunt, & ab ipſis quadam falſitatis & quaſi infamiæ nota damnata ſunt. Jam quod non levi Excellentiæ Veſtræ labore eo adducti ſint moderni Domini Plenipotentiarii Polonici, ut promiſerint ſe curaturos, ut cudatur novum ſigillum, in quo neque titulus, neque inſignia Sueciæ ullo modo futura ſint conſpicua, nullamque ſuper eo puncto fore difficultatem; magnopere nobis de hac eorum declaratione, & in promovendo negotio pacis adfectu ac zelo gratulamur; pari conatu atque fervore ad eandem obtinendam cum iis certaturi. Acquieſcimus lubentes præfato ſigillo, quo ad Sacram Regiam Majeſtatem Anno 1655. repetitis vicibus uſus eſt Sereniſſimus Rex Po-

loniæ. Quod si novum cælare e re sua esse existimet, speramus omnino fore, ut nihil in eo mutetur, nec quicquam aut exsculpatur aut omittatur, quod justam causam & occasionem præbere poterit de eo querendi & tractatus pacis in longum tempus protrahendi. Cætera, quæ ad præliminaria tractatus requiri nobis visa sunt, imprimis quæ redimendi temporis causa monuimus ac postulavimus in Procuratoriis Polonicis, ea expressimus in scriptis D. Legato de Terlon hic tunc præsenti exhibitis. Qua possumus autem diligentia Excellentiam Vestram rogamus, velit incepto haud desistere, sed operam suam promovendis tractatibus pacis porro tribuere; idque de nobis persuasissimum sibi habere; quod nullum temporis momentum intermissuri simus, maturandi & ingrediendi itineris, quamprimum Diplomata Salvi Conductus pacta cum desideratis essentialibus requisitis, & absque indignitatibus expedita huc pervenerint, atque hic cum regiis Suedicis invicem commutata fuerint. De cætero eandem bene valere cupimus. Dabantur Stetini die 9. Apr. Anno 1659.

Excellentiæ Vestræ

*ad officia paratissimi*

Magnus Gabriel de la Gardie.
Christophorus Carolus Schlippenbach.
Andreas Güldenklau.

*Inscriptio.*

Ad Dominum Legatum de L'Ombres.

CCCXXXIX.

## CCCXXXIX.

*Litera EDUARDI MONTAGU, Classis Anglicanæ Præfecti primarii, ad FRIDERICUM III. Daniæ Regem, quibus eum, qua de causa in fretum Oresundicum cum classe missus sit, certiorem reddit, 1659.*

### Serenissime & Potentissime Princeps.

SErio consideravit Celsitudo sua, Protector Angliæ, Scotiæ & Hyberniæ, infelicem hanc discordiam præsensque bellum inter Regiam Majestatem Vestram & Regem Sueciæ, una cum incommodis, quæ non tantummodo ipsis earundem Majestatibus, sed & illarum Confœderatis ac vicinis inde enascuntur & proveniunt, ideoque e re fore judicavit, si extremas suas persuasiones, operamque apud Majestates Vestras interponeret ad componendam istiusmodi concordiam. In mandatis ergo mihi dedit, ut cum classe sua ad has appropinquarem oras, meque tanquam Majestatum Vestrarum bonum amicum gererem, & omne id adferrem, quod removendis difficultatibus, quæ impedimento esse possunt, paci tranquillæque transactioni inter Maj. Maj. Vest. Vest. utile putarem. Id cum, auxiliante Deo, post adventum meum ex parte jam præstiterim, Majestati Vestræ porro sicut debebam, id quod a supra dicto meo Domino demandatum mihi est, notum facio, instanter rogans, placeat Majestati Vestræ audire illa desideria, quæ ab eodem tanquam ejus fideli amico proficiscuntur, & haud minus Majestatis Vestræ quam vicinorum & Confœderatorum ejusdem rebus con-

conducibilia existimantur, ut quamprimum finis imponatur isti bello, cujus continuatio non potest non esse damnosa illis, quos jam dixi, imo vero omnibus in Europa Statibus, qui Protestantes appellantur: Audeo Majestatem Vestram assecurare, sicut hoc ipsum quoad me honori mihi duco, quod tam grato admovear officio; ita nihil omissurum me, imo adlaboraturum, ut bellum hoc cum transactione felici commutetur, adeoque ipso facto demonstraturum, quod sim

Majestatis Vestræ

*Ex navi, cui nomen Nazeby, in freto Oresundico, die 7. Apr. 1659.*

*humillimus servus*

Eduardus Montagu.

## CCCXL.

*Literæ PLENIPOTENTIARIORUM SVECICORUM, ad HUGONEM TERLONUM, Legatum in Polonia Gallicum, cui, ut obstacula, quæ iter suum in Borussiam remorarentur, removere quantocyus haud gravetur, sollicite injungunt, 1659.*

SAtis diligenter ad Nos Excellentia Vestra retulit, de iis, quæ iter Nostrum ad Tractatus in Borussiam concernunt, & dolemus, quod jam duo veredarii abierint, ex quo nihil eidem dedimus responsi, sed cum adversa non neminis nostrûm valetudo, ac alia quædam occurrentia hoc impediverint, speramus Excellentiam Vestram pro suo, qui nobis

nobis innotuit, candore & humanitate, quicquid est moræ exiguæ, non ægre laturum. Ad literas Excellentissimi Domini Legati de Lumbres quod attinet, haud sinistre interpretabitur ille confidimus, quod aliquantum prolixius justificare coacti sumus actiones nostras, utpote non a judicio nostro, sed serio Sacræ Regiæ Majestatis, Domini Nostri clementissimi, mandato dependentes. De ipso autem Pacis negotio, Excellentiam Vestram certam esse velimus, præfatam Sac. Reg. Majestatem non unquam ante plus ad desideratos Tractatus, quam nunc intentam fuisse, & ideo nos desiderio inchoandorum eorum languere, fessi spe tot menses facta inani, atque inutiliter labentis temporis tædio capti. Gratias interea Excell. Vestræ agimus, pro suscepto in se hactenus labore, eandemque ea, qua possumus diligentia oramus, velit in illo studio perseverare, & una cum Excellentissimo Domino de Lumbres omni ope in id eniti, quo remotis obstaculis, iter tandem ingredi in Prussiam possimus. Quibus eandem Divinæ Tutelæ commendamus. Dab. Stetini die 12. April Anno 1659.

Excellentiæ Vestræ

*ad officia paratissimi*

Magnus Gabriel de la Guardie.
Christophorus Carolus Schlippenbach.
Andreas Güldenklau.

CCCXLI.

CCCXLI.

*Literæ PARLAMENTI Reipublicæ Angliæ restituti ad CAROLUM GUSTAVUM, Suecorum Regem, quibus ab eo, ut Philippo Meadowio, Legato Anglicano, jam nunc nomine suo fidem amplam & aures benignas præbere velit, amice efflagitant, 1659.*

Parlamentum Reipublicæ Angliæ Serenissimo Potentissimoque Principi Carolo Gustavo, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi.

*Serenissime, Potentissimeque Rex, Amice charissime,*

CUm visum sit Deo optimo atque omnipotenti, penes quem solum conversiones omnes Regnorum, Rerumque publicarum sunt, Nos pristinæ autoritati summæque rerum Anglicarum administrandæ restituere, & Majestatem Vestram ea de re certiorem esse faciendam imprimis duximus, & Vobis porro significandum, Nos cum Majestatis Vestræ utpote Protestantium Principis potentissimi, tum pacis inter Vos Daniæque Regem, & ipsum quoque Protestantium Principem præpotentem non sine opera atque officio benevolentissimo reconciliandæ, quantum in Nobis situm est, esse studiosissimos. Volumus itaque, ut Internuntio Nostro Extraordinario, Philippo Meadowes, quo munere ab hac Republica apud Majestatem Vestram hactenus fungitur, idem omnino munus Nostro nunc nomine prorogetur: eique adeo his Nostris literis potestatem proponendi,

nendi, agendi, transigendi cum Majestate Vestra facimus plane eandem, quæ ei proximis literis commendatitiis facta est: quicquid ab eo transactum nostro nomine atque conclusum erit, id omne ratum Nos esse habituros, Deo bene juvante, Nostra fide spondemus. Deus ille Majestatem Vestram quam diutissime conservet rebus Protestantium columen atque præsidium. Westmonasterio, die 15. Maji, An. 1659.

Guilielmus Lenthal, Prolocutor Parlamenti Reipublicæ Angliæ.

## CCCXLII.

*Litera PLENIPOTENTIARIORUM SUECICORUM, ad HUGONEM TERLONUM, Gallicum in Polonia Legatum, a quo, ut sibi reformatum salvum conductum confestim transmittat, & maculam iniquarum pacis conditionum passim sub Suecorum nomine sparsarum a se haud gravatim diluat, modeste contendunt, 1659.*

Illustrissime atque Excellentissime Domine Legate,

QUanto zelo res conficiendæ pacis Polonicæ, jam longo temporis spatio, a parte Sacræ Regiæ Majestatis Sueciæ, Domini nostri clementissimi, gesta sit, non est quod operose hic repetamus, quin potius ad acta nos referimus, & tam Excellentiam Vestram, quam Excellentissimum Dominum Legatum de Lumbres, ut & Dominum Akakia testes addu-

adducere possumus. Quatuor menses jam elapsi sunt, dum frustra hic expectamus, & octava hæc abit hebdomada, quibus post abitum Excellentiæ Vestræ Stetino Dantiscum hic nihil nisi spes impetrandi & accipiendi salvi conductus reformati nos alit: Atque salubri negotio hoc temporis, licet non sine tædio tantæ moræ libentissime tribuere haud gravati sumus, modo expectatus inde fructus amplius sperari possit. Ast cum infra dignitatem Regiam esse videatur, quasi ex petitorio quodam, inani labore diutius detineri, quid postea partium futurum sit, dubii hæremus. Ne tamen aliqua detur ansa calumniandi malevolis, ecce adhuc prosperum eventum expectamus, & quæ in prioribus nostris tam literis, quam memorialibus petivimus, denuo præstolamur, sed interea Excellentiam Vestram hisce peramice requirentes, quo ingenue fateri dignetur, num de accipiendo (& quidem sine ulteriori dilatione) Salvo Conductu reformato, & dandis in forma petita procuratoriis Polonicis certi esse queamus. Scimus quidem Officium Mediatoris esse, neutri parti favere, sed & hoc nos minime latet ejusdem quoque muneris esse, cum videat alterutram plus justo lacessi & indigne haberi, ut integra mente adversus eam agat, quæ hoc modo præsumitur illudi. Porro nobis innotuit, conditiones pacis quasi a Ministris Sacræ Regiæ Majestatis, Domini nostri Clementissimi transmissas spargi Warsaviæ, & nescimus quam iniquas per Poloniam disseminari: Verum Excellentia Vestra, quæ probe nos cognovit, facile judicabit, nos talia evulgare non suevisse, & ideo quoque

que non agnoſcimus pro noſtris, ſed figmenta eas quales quales ſint, merito ſuo declaramus, eandemque perofficioſe requirimus, ut ſuo id loco agere dignetur, quo commenta fuiſſe ſpargimenta iſta, mundus certus eſſe queat. Quibus Excellentiam Veſtram Divinæ tutelæ commendamus. Stetini, d. 7. 17. Maji, 1659.

Excellentiæ Veſtræ

*Ad officia paratisſimi*

Magnus Gabriel de la Gardie.
Chriſtophorus Carolus Schlippenbach.
Andreas Guldenklau.

## CCCXLIII.

*Literæ* PLENIPOTENTIARIORUM SUECICORUM, *ad* HUGONEM TERLONUM, *Legatum in Polonia Gallicum, cui transmisſi Salvi Conductus apographum variis iterum mendis ſcatere ſignificant, 1659.*

Illuſtrisſime atque Excellentisſime Domine Legate.

QUas die (7.) 17. inſtantis menſis ad Excellentiam Veſtram dedimus, eandem recte accepiſſe non dubitamus. Lætabamur ſane Excellentiæ Veſtræ proxima die Veneris hic accepto de facta expeditione Salvi Conductus deſiderati nuncio, & extemplo hinc movere Wolgaſtum, ubi ſimul atque naves neceſſariæ adveniſſent, absque

adducere possumus. Quatuor menses jam elapsi sunt, dum frustra hic expectamus, & octava hæc abit hebdomada, quibus post abitum Excellentiæ Vestræ Stetino Dantiscum hic nihil nisi spes impetrandi & accipiendi salvi conductus reformati nos alit: Atque salubri negotio hoc temporis, licet non sine tædio tantæ moræ libentissime tribuere haud gravati sumus, modo expectatus inde fructus amplius sperari possit. Ast cum infra dignitatem Regiam esse videatur, quasi ex petitorio quodam, inani labore diutius detineri, quid postea partium futurum sit, dubii hæremus. Ne tamen aliqua detur ansa calumniandi malevolis, ecce adhuc prosperum eventum expectamus, & quæ in prioribus nostris tam literis, quam memorialibus petivimus, denuo præstolamur, sed interea Excellentiam Vestram hisce peramice requirentes, quo ingenue fateri dignetur, num de accipiendo (& quidem sine ulteriori dilatione) Salvo Conductu reformato, & dandis in forma petita procuratoriis Polonicis certi esse queamus. Scimus quidem Officium Mediatoris esse, neutri parti favere, sed & hoc nos minime latet ejusdem quoque muneris esse, cum videat alterutram plus justo lacessi & indigne haberi, ut integra mente adversus eam agat, quæ hoc modo præsumitur illudi. Porro nobis innotuit, conditiones pacis quasi a Ministris Sacræ Regiæ Majestatis, Domini nostri Clementissimi transmissas spargi Warsaviæ, & nescimus quam iniquas per Poloniam disseminari: Verum Excellentia Vestra, quæ probe nos cognovit, facile judicabit, nos talia evulgare non suevisse, & ideo quoque

que non agnoſcimus pro noſtris, ſed figmenta eas quales quales ſint, merito ſuo declaramus, eandemque perofficioſe requirimus, ut ſuo id loco agere dignetur, quo commenta fuiſſe ſpargimenta iſta, mundus certus eſſe queat. Quibus Excellentiam Veſtram Divinæ tutelæ commendamus. Stetini, d. 7. 17. Maji, 1659.

Excellentiæ Veſtræ

*Ad officia paratiſſimi*

Magnus Gabriel de la Gardie.
Chriſtophorus Carolus Schlippenbach.
Andreas Guldenklau.

## CCCXLIII.

*Literæ PLENIPOTENTIARIORUM SUECICORUM, ad HUGONEM TERLONUM, Legatum in Polonia Gallicum, cui transmiſſi Salvi Conductus apographum variis iterum mendis ſcatere ſignificant, 1659.*

Illuſtrisſime atque Excellentisſime Domine Legate.

QUas die (7.) 17. inſtantis menſis ad Excellentiam Veſtram dedimus, eandem recte accepiſſe non dubitamus. Lætabamur ſane Excellentiæ Veſtræ proxima die Veneris hic accepto de facta expeditione Salvi Conductus deſiderati nuncio, & extemplo hinc movere Wolgaſtum, ubi ſimul atque naves neceſſariæ adveniſſent, absque

ulla mora conſcendere decrevimus: At inopinato nobis hodie advolavit illius Salvi Conductus manci copia, in quo non tantum perſona ac titulus nonneminis noſtrum omiſſus, ſed qui etiam dato diei & menſis caret. Cum itaque per illud nos, ſi originale quidem reſpondet apographo, videamus tam indigni haberi Sacram Regiam Majeſtatem, Dominum Noſtrum Clementiſſimum ejusque Miniſtros, munus ac devotio noſtra talia diutius non patientur. Ideo condonabit nobis Excellentia Veſtra ſperamus, quod antequam Regis voluntatem, ſuper novo iſto & neutiquam expectato emergente vitio acceperimus, eidem vel ſcripto vel coram nihil ad ejusmodi reſpondere, noſtramve mentem declarare valeamus. Quam divinæ protectioni hisce commendamus. Datum Sedini, die 14. 24. Maji, 1659.

Excellentiæ Veſtræ

*Ad officia paratiſſimi*

Magnus Gabriel de la Gardie.
Chriſtophorus Carolus Schlippenbach.
Andreas Guldenklau.

## CCCXLIV.

*Literæ* PLENIPOTENTIARIORUM SUECICORUM, *ad Dn.* AKAKIAM, *Gallicæ Legationis Secretarium, a quo, ut in Aula Polonica, ea dexteritate, qua adhuc uſus eſſet, pacis nego-*

*negotium promovere haud intermittat, modeſte contendunt, 1659.*

Generoſe Domine.

POſtquam Illuſtriſſimus atque Excellentiſſimus Dominus Legatus de Terlon hodie Danticum hinc abiturus eſt, facere non potuimus, quin Generoſam Dominationem Veſtram hac de re faceremus certiorem, ſperantes, ſicut præfatus Dominus Legatus cum applauſu noſtro hoc iter ſuſcepit, ita & Dominationem Veſtram haud gravatum iri, ea dexteritate qua hactenus uſa eſt, ubi ad Aulam Poloniæ pervenerit, & cum Excellentiſſimo Domino Legato de Lombres locutus fuerit, negotium pacis promovere. Quid autem, cum quoad Salvum Conductum, tum quoad plenipotentiam Dominis Commiſſariis Polonicis dandam, a nobis deſideretur, ex iis Dominatio Veſtra intelliget, quæ 25. Maji & 1. menſis currentis ſupra nominato Domino de Terlon declaravimus & explicavimus. Quibus eandem divinæ protectioni commendamus. Dab. Stetini, die 1. Jun. 1659.

Dominationis Veſtræ

*Ad officia parati*

Magnus Gabriel de la Gardie.
Chriſtoph. Carolus Schlippenbach.
Andreas Guldenklau.

## CCCXLV.

*Literæ PLENIPOTENTIARIORUM SUECICORUM, ad ANTONIUM LUMBRANUM, Pacis inter Suecos & Polonos restituendæ sequestrum, quibus se valde in pacem pronos testantur, & eum, ut omni cura in id enitatur, quo & Poloni idem aliquando faciant, amice requirunt, 1659.*

### Illustrissime atque Excellentissime Domine Legate.

EA, quæ Vestræ Excellentiæ tam ratione Salvi Conductus Polonici reformati, quam de transmutatione Plenipotentiarum Polonicarum & locorum tractatus nominatione, ad nos perscribere placuit, ex literis ejusdem d. 29 Maji Warsaviæ datis recte percepimus. Cedere in honorem Excellentiæ Vestræ volumus, præcrassos errores illos per incuriam describentis factos esse, sed dolentes tamen ex animo, in tam eximia Aulæ Polonicæ Cancellaria, tum demum errari, quando nobis sive illudere, sive (ne dicamus imponere) molestos esse illis libet. Ad mutationem Plenipotentiarum quod attinet, cum Polonis, quos & quot constituere velint, liberum sit, nobis perinde erit, modo sit Regi & Reipublicæ cordi tractatus non tantum inchoare, verum etiam promovere & ad finem pacis Christianæ ac honestæ perducere. In loca tractatuum autem, quæ in literis Excell. Vestræ exprimuntur, propter nimiam distantiam & alias ob causas, neutiquam consentire possumus, mentem nostram

noſtram ſuper hac re Excellentiæ Veſtræ proxime aperturi. Interea, ut de noſtra, toties quamvis læſa, patientia orbi innoteſcat, noſtro cum applauſu Illuſtrisſimus atque Excell. Dn. Legatus de Terlon hodie Danticum proficiſcitur, acturus ibi cum Domino Akakia, ut Warſaviam ad Excellentiam Veſtram ſe conferat, & cum ea deliberet, qua tandem via & Salvus Conductus & Præliminaria ad metam deſideratam dirigi & pervenire queant. Hisce Excellentiam Veſtram divinæ tuitioni peramice commendantes. Dab. Stetini, die 4. Junii, 1659.

Excellentiæ Veſtræ

*Ad officia paratiſſimi*

Magnus Gabriel de la Gardie.
Chriſtoph. Carolus Schlippenbach.
Andreas Guldenklau.

## CCCXLVI.

*Literæ FRIDERICI III. Daniæ Regis, ad GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, quibus pacti Hagenſis contenta velut ſecuritati Regiæque Dignitati ſuæ minus congrua valde aſpernatus, promiſſas ſibi ſuppetias, ut modo rerum præſentium ſtatui conformi hoſtes adoriri mandent, ab eis ſollicite efflagitat, 1659.*

Fridericus Tertius, Dei Gratia Daniæ ac Norwegiæ, Vandalorum & Gothorum Rex, Dux

 Sle-

Slefwici, Holfteiniæ, Stormariæ ac Dietmarfii, Comes de Oldenburg ac Delmenhorft, Præpotentibus Ordinibus Statuum unitarum Provinciarum fingularibus Noftris amicis & confœderatis vicinis falutem ac vicinæ benignitatis voluntatem.

*Præpotentes Domini Status Generales, amici fingulares.*

SPerabamus quod efficax Noftra Epiftola ad Præpotentes Dominationes Veftras perfcripta fub dato 27. Aprilis proxime elapfi, continens amicam dehortationem illius Tractatus, penes Vos per quosdam exteros Miniftros Hagæ Comitum fuper pace Aquilonari, idque Nobis infciis ac non auditis Noftris juribus in ea forma conclufi, quæ fi mature ponderata eatenus fuiffet, Veftras Dominationes fane permoviffet, ut tales conceptas cogitationes tunc omnino dimififfent: Quod ipfum eo magis confidebamus, poftquam Domini in fuis quinquies repetitis literis die 29. Aprilis cum affecuratione certa declararunt, quod ad factas a Regio Gallico & Angliæ Miniftris ibi refidentibus aperturas folummodo perceperint propofitiones Pacis, fed Tractatus ipfos & conclufionem defuper remiferint iisdem, & in fequelam multoties ab ipfis repetitæ præfentationis talia fe confilia arrepturas, per quæ Regnum ac Provinciæ Noftræ a præfenti oppreffione Hoftium Noftrorum liberatæ ad fecuram & æquam Pacem reftabilirentur: fed proh dolor! non fine mediocri consternatione intelligimus Suecicos Miniftros, quem-

quemadmodum de hoc tractatu jam antea gloriati sunt, eousque rem per sibi affectos deduxisse, ut succursus tantopere a Nobis desideratus, initio diutius, quam par erat, emaneret, ac tandem casu quo separatam inire pacem renueremus, Nobis parum auxilii aut commodi præstaret. Sicuti eadem ex diversis Nostris aliorumque locis Nobis significantur, & quod Domini pro attentata separatione Pacis jam cum Franciæ & Angliæ Ministris certi quid conceperint, Nobisque infra spatium trium hebdomadarum coacte debeat imponi: Nunc vero haud celamus, quomodo id fieri possit, ut Francia & Anglia se pro Mediatoribus intrudant, cum pro parte Franciæ nemo apud Nos insinuaverit, cujus Legatus Terlon in aliis commissionibus cum Rege Poloniæ tractat, Angliæ vero ob mutationes inibi cæptas, sit sine capite, & tam ante quam post sine secura regentium forma: attamen prudentiori Vestræ considerationi hoc relinquimus, quomodo Domini taliter positum assertæ Pacis fundamentum antehac semper improbarint, cum clare viderint id ipsum tendere in ruinam Nostri Regni ac Provinciarum, addendo quod hostes Nostri per hunc tractatum plus temporis, plusque occasionis ad Nos opprimendos lucrentur. Præterquam antehac Dominis perscripsimus, quod cum summis Nostris confœderatis eousque adstricti simus, ut salva conscientia, honore ac respectu nullam Pacem particularem inire valeamus, minus in ullum Tractatum Nos intromittere, iis non adscitis, & vice versa similem, reciprocam & constantem assecurationem ab ipsis tenemus in manibus

 omnia-

omniaque consilia eo dirigimus, ut pro constanti confœderato judicemur, qua re eandem constantiam gerimus in Dominationes Vestras rogantes, ut Nostræ opinioni adhærentes maturos dent Ordines, quatenus succursus huc missus, ac in tanta vicinia constitutus pro commodo Nostro applicetur, & classis nullam negligat occasionem hostem infestandi, quo tandem securitas & commercia reincipiant florere & sic honestam firmamque pacem generalem cum reputatione assequamur, quam nunquam sperare licet, si Dominationes Vestræ in hoc suo principio persistant Nos a confœderatis separandi ac ad particulares Tractatus cogendi: speramus Dominationes Vestras meliores subintraturas cogitationes suumque in hoc versans interesse bene ponderaturas, & Nos ad præveniendum malis consequentiis non deserturas, quas divinæ committimus Protectioni. Hafniæ, $\frac{10}{20}$ Junii, 1659.

Dominationum Vestrarum

*Amicus & Confœderatus*

**Fridericus Rex.**

## CCCXLVII.

*Literæ PARLAMENTI RESTITUTI Reip. Anglicanæ, ad FRIDERICUM III. Daniæ Regem, quibus Eduardo Montagu, Aldernono Sydnejo & Roberto Honywoodo, Plenipotentiariis Anglicanis, plenam suo nomine fidem haberi cupit, 1659.*

**Sere-**

Serenisſimo, Potentisſimoque Principi ac Domino, Domino Friderico III. Dei Gratia Daniæ &c. &c. tot. tit. Regi.

*Serenisſime ac Potentisſime Rex, bone Amice ac Fœderate.*

CUm voluntate ac nutu ſummi rerum omnium moderatoris Dei Optimi Maximi factum ſit, ut Nos demum reſtituti, priſtinam autoritatem atque munus in Republica gerenda obtineamus, placuit imprimis ea de re nec Majeſtatem Veſtram, utpote vicinum Nobis & amicum Regem eſſe celandam, & conſilia huic tempori & communibus rationibus accommodata, cum Majeſtate Veſtra per idoneos Miniſtros ſimul communicanda, adeoque propter dilectisſimos Nobis atque fidelisſimos Eduardum Mountagu, Clasſis Noſtræ Præfectum, Aldernonum Sydney, unum e Parlamento & Conſilio ſtatus autoritate Parlamenti, Robertum Honywood Equitem, & e concilio ſtatus prædicto, Thomam Boone unum e Parlamento Commiſſarios & Plenipotentiarios Noſtros ad Majeſtatem Veſtram mittimus, & multa iis, in mandatis dedimus ad Majeſtatem Veſtram perferenda. Rogamus itaque, ut in iis, quæ prædicti Noſtri Commiſſarii Plenipotentiarii ex Noſtra parte Majeſtati Veſtræ exponent, plenam fidem ipſis velit adhibere, Deus Majeſtati Veſtræ ex omnibus rerum ſuarum difficultatibus, in quibus tamen forti & magno animo verſatur, felicem lætumque

exitum primo quoque tempore concedat. Westmonasterii, 30. Junii, 1659.

Guilielmus Lenthall, Parlamenti Reipublicæ Anglicanæ Prolocutor.

## CCCXLIIX.

*Litera PLENIPOTENTIARIORUM SUECICORUM, ad ANTONIUM LUMBRANUM, Pacis Polonos & Suecos inter restabiliendæ sequestrum, a quo, ut a Polonis cathegoricum responsum poscat, num serio tandem pacis tractatui manus animosque admovere, aut ab eo desistere cupiant, obnixe contendunt, 1659.*

Illustrissime atque Excellentissime Domine Legate.

POstquam a parte Sacræ Regiæ Majestatis, Domini Nostri Clementissimi, tanto tempore, tantoque studio ac desiderio pacis negotium per nos, ejusdem ad tractatum in Borussia instituendum, Commissarios Plenipotentiarios, jam hactenus ursum & actum fuit, speraveramus Polonos tandem ad declarandum in effectu tot promissionibus a Dominis Mediatoribus laudatum hactenus in pacem proclivem animum suum, majori zelo id daturos fuisse operam, quo ad salutarem scopum perveniri potuisset. Non repetemus prolixius, quod prætacta Sacra Regia Majestas pro maturando tractatuum istorum negotio pariter ac pro informatione Excell. Vestræ in præliminaribus, generosum Domi-

Dominum Akakia ante biennium fere ternis vicibus Vismaria in Poloniam cum sufficientissima super singulis declaratione expediri fecit. Neque Excellentiæ Vestræ excidisse potest, quæ ante sesquiannum circiter inter nos & Excellentiam Vestram primum hic Stetini, cum Poloniam Hamburgo repeteret, & deinceps Oldeslaviæ ac Vismariæ, cum illuc e Polonia advolaret, in negotio tum præliminarium, tum conditionum pacis ex mandato Sacræ Regiæ Majestatis sæpius ventilata fuerant. Et ex illo tempore jam integro fere anno literis nostris partim seorsim, partim conjunctim Excellentiam Vestram in Aula Polonica versantem sollicitavimus, ut Diploma Salvorum Conductuum in debita forma, pro securitate nostra procuraret; Nosque sublata omni remora quantocyus in Borussiam iter suscipere & tractatus inibi inchoare, atque ad optatum tandem finem perducere potuissemus. Neque hoc tantum cum Excellentia Vestra egimus, verum etiam Excellentissimum Dominum Legatum Equitem Terlonium satis luculenter mense Martio currentis anni in scripto informavimus & subinde repetitis literarum commerciis de re eadem requisivimus, prout non modo illius Excellentiam & Dominum Akakiam, sed etiam ipsam Excellentiam Vestram taliter gestæ hujusce rei & pariter nostri in Pacem ardoris atque studii testem allegamus. Tantum vero abest, ut æquissimo huic postulato nostro locus relinqui apud Polonos potuerit, ut potius metuamus, ne quod ludificationibus cœptum est, hactenus idem in longius continuetur, & Sacra Regia Majestas

Nos-

Nosque ejus Majeſtatis Legati, ſpe proſperi ſucceſſus omni fruſtremur. Quis enim ſinceram aliquam inclinationem ad ſopiendum funeſtum bellum, tunc deprehendere poſſet, quando diplomata ſecuritatis toties admoniti, novis cumulant erroribus, quorum ſeriem ipſa Sacra Regia Majeſtas edita nuper & hisce adjecta declaratione fuſius exprimi, & ob oculos omnibus poni mandavit? Atque cum ad promiſſas emendationes nihil niſi novos defectus & præjudicia reperire liceat, non poſſumus, non queri eos tractatus pacis in præſens impedimento eſſe, in futurum fraudi. Et quæ ad crebras ante dictas & a nobis factas remonſtrationes excuſationis loco & tantum ad obducendum fucum quendam, ut ſuo nomine rem dicamus, adducuntur, non minus quam ipſi commiſſi errores, qua integritate res agatur, detegunt. Modo enim error ſcribæ, modo tabellarii inopinatus diſceſſus, interdum aliæ ejusdem naturæ languentes & neſcimus quid non redolentes excuſationes in re tam gravi obtenduntur, quibus Excellentiæ Veſtræ refertæ ſunt, quas ad nos hactenus perſcripſit literas. Quæ vero ejusmodi artificiis conſilia & molimina adverſus Sacram Regiam Majeſtatem, ab adverſa parte agitentur, obſcurum nemini poteſt eſſe, qui conſiliorum Polonicorum pariter ac Poloniæ adhærentium in præſens fœderatorum gnarus ſit, atque hactenus uſitatum ab iis procedendi modum conſideraverit. Nobis ſane de illis non naſcitur, ſed augetur juſta ſuſpicio, verius nobis illudendi, quam ſerio rem agendi, ut, cum ad lucrum temporis cuncta ab illis conferri videamus,

mune-

muneris noſtri ſit providere, ne quid committamus Sacra Regia Majeſtate, Domino Noſtro Clementiſſimo, indignum: Igitur ne adverſa pars patientia noſtra diutius abutatur, & de induſtria rem protrahat eventu nullo, Excellentiam Veſtram perofficioſe rogamus, velit a Polonis cathegoricum reſponſum poſcere, utrum animum inducere poſſint nobiscum in tractatus pacis condeſcendendi, vel ſtet ipſis ſententia porro eosdem averſandi? Et cum ante expeditos in acceptabili forma riteque hic commutatos Salvus Conductus quopiam pedem hinc movere integrum nobis non ſit; Idcirco, pro candore Excellentiæ Veſtræ & Mediatoris officio, quod in negotio tam magni momenti ſuſtinet, eandem hisce obteſtamur, ut nos primo quoque tempore reſcire faciat, num aliquam vel nullam nos ſpem brevi obtinendorum ſalvorum conductuum in ea forma & cum iis requiſitis, tam ratione ſigillaturæ, quam cæterorum, quæ jam ſæpius poſtulavimus, concipere & fovere poſſe exiſtimet. Ut ad Sacram Regiam Majeſtatem cuncta indilate perſcribere, & quæ ex uſu ſint, mandata vel manendi hic diutius, vel ludibriis alterius partis nos ſubtrahendi recipere poſſimus. Enim vero id Excellentia Veſtra perſuaſum ſibi habeat, nos hæc jam ultimo requirere, dubium vero aut protractum in longius reſponſum non aliter impoſterum quam pro infallibili documento averſi a pacis atque tractatuum ſtudio animi, interpretaturos eſſe. Neque nobis conſilia deerunt, quibus & Dignitati Sacræ Regiæ Majeſtatis & concreditæ nobis commiſſionis conſulere & orbi cauſæ noſtræ

noſtræ juſtitiam declarare poterimus. Quod & Excellentiam Veſtram pro ſua inſigni prudentia non improbaturam eſſe, certo confidimus, atque hisce eandem divinæ tuitioni peramice commendamus. Stetini, die 2. Julii, Anno 1659.

Excellentiæ Veſtræ

*Ad officia paratiſſimi*

Magnus Gabriel de la Gardie.
Chriſtophorus Carolus Schlippenbach.
Andreas Guldenklau.

## CCCXLIX.

*Literæ PLENIPOTENTIARIORUM SUECICORUM ad ANTONIUM LUMBRANUM, quibus ſe itineri Boruſſiam verſus ſuſcipiendo paratos profitentur, modo deſideriis ſuis ſatisfactum fuerit, 1659.*

EX literis Excellentiæ Veſtræ, die 9. Styl. Vet. in Monaſterio Olivienſi ad nos datis intelleximus, Illuſtrisſimum atque Excellentisſimum Dominum Legatum Equitem de Terlon eandem certam reddidiſſe, quod nos ſeptimana d. 7. Junii ſequente Wolgaſtum profecturi eſſemus, indeque in Pruſſiam iter ſuſcepturi: Et cætera, quæ Excellentiæ Veſtræ in dictis ſuis literis memorare placuit. Non negamus, mentem ac propoſitum noſtrum ſemper fuiſſe, & adhuc ſtare ſententiam, quod ſimul atque Salvi Conductus in forma deſiderata & debita adesſent, nos non ullâ interjecta mora iter in Borusſiam ingre-

ingredi velimus, imo ne quid frustra labatur temporis, promisimus, præfato Domino Legato Equiti de Terlon nos statim Wolgastum moturos, ubi certo sciremus salvum conductum in modo dicta forma extraditum, & quo huc adferatur in via esse. Nunc autem cum neque de peractis ad Plenipotentiam Polonicam desideratis necessariis Vestra Excellentia mentionem aliquam faciat, neque de salvo conductu nobis denuo aliquid constet, nemo prudentum inficias ibit, Nos quod cum conditione promisimus, ei firmiter ut inhæreamus, oportere, nec jam ante de itinere in Prussiam cogitare posse, quam a parte Polonorum præstita sint præstanda. Quoad reliqua, & quod intervenientes difficultates & tractatunm remoræ non nostra de culpa prosiliant, sed penes Polonos ac alios vel neutiquam vel minus serio pacem cupientes hæreant, Excellentiam Vestram ad nostras d. 2. Julii styl. vet. datas remittimus, eandemque tutelæ divinæ amice commendamus. Dat. Stetini die 15. Julii Anno 1659.

Excellentiæ Vestræ

*ad officia paratissimi*

Magnus Gabriel de la Gardie.
Andreas Guldenklau.

CCCL.

*Literæ EORUNDEM PLENIPOTENTIARIORUM, ad ANTONIUM LUMBRANUM, cui se tandem Salvos conductus, tot vicibus desideratos, accepisse nuntiant, & navos quosdam in*

*in Brandenburgico occurrentes, ut emendari curet, sollicite injungunt, 1659.*

## Illustrissime atque Excellentissime Domine Legate.

EX eo, quo Excellentiæ Vestræ d. 16. Julii styl. nov. Dantisco ad nos datas literas accepimus, generosus Dominus Akakia huc advenit secumque salvos conductus una cum Polonico, Cæsareum & Brandenburgicum adduxit. Lætati sane sumus tandem eo rem venisse, ut commutatio prius nominati, sicut Electoris Brandenburgici fieri hodie potuerit, & optassemus tertium quoque Imperatoris nimirum ita comparatum fuisse, quo retradere Dn. Akakia illud ipsum Diploma necesse non habuissemus. Et licet in Polonico etiam nonnulla adhuc desiderari potuissent, ea tamen amore promovendi tanti negotii silentio libenter præterire voluimus; Quæ in Brandenburgico autem notavimus & adhuc pro consistentia in locis tractatuum nostra postulavimus, illa emendari ut curet Excellentia Vestra, eandem obnixe rogamus. Cum etiam plura sint, quæ tam in responso quam notis & desideratis nostris Domino Akakiæ sub dato 16. Julii st. v. datis præstolemur, ab Excellentia Vestra amice petimus, ut suo id loco agere velit, quo Nobis in omnibus cumprimis securitatem & asportationem victualium concernentibus, satisfiat, nec vel inde mora itineri nostro, ad quod jam accingimur & partim hodie, partim crastina & sequentibus ineuntis septimanæ diebus Wolgastum inde naves, quam primum fieri nobis erit possibile, conscensuri, abimus, de novo injiciatur. Qua

de

de re Excellentiæ Veſtræ reſponſum expectamus, ſpe pleni, fore, ut quantocyus præſentes nos videre in Boruſſia poſſimus. Eandem hisce divinæ tutelæ peramice commendamus. Datæ Stetini die 17. Julii 1659.

Excellentiæ Veſtræ

*ad officia paratiſſimi*

Magnus Gabriel de la Gardie.
Andreas Güldenklau.

## CCCLI.

*Literæ DEPUTATORUM ELECTORUM, PRINCIPUM ET STATUUM S. R. IMPERII, ad CAROLUM GUSTAVUM, Svecorum Regem, quibus eum in laudabili, quod profeſſus erat, pacis reducendæ ſtudio confirmare ſatagunt, 1659.*

Sereniſſime & Potentiſſime Rex, Domine Clementiſſime.

CONſtat Regiæ Majeſtati Veſtræ, quanta cura & ſollicitudine hic congregata Ordinaria Deputatio Imperii non ſolum exorto bello Polonico, ſed etiam poſtmodum accreſcentibus motibus Danicis & face belli partim in finitimas Imperii Provincias tranſeunte, eo tempore collimaverit & expetiverit, ut controverſiis inter partes belligerantes amicabili compoſitione ſopitis exoptata pax quamprimum reduceretur & conſequenter Imperium, præcipue vero illis belli motibus viciniores circuli ab imminenti belli periculo liberarentur. Huic curæ ac ſollicitudini, Electorales Deputati, Principes & Status, Domini Noſtri ut inſiſtant pu-

blica Imperii ſalus, & timor, ne pax Germanica ex bello ſibi nimium vicino detrimentum patiatur, & novis periculis novorum motuum involvatur, ab ipſis expoſcit, nec quidem eſt, ut Maj. Veſtræ, utpote Regi ſumme prudenti & omnium rerum experientia inſtructiſſimo, miſerandam Chriſtiani ſanguinis profuſionem, exitioſas Provinciarum devaſtationes, aliasve infinitas calamitates, quæ ipſum bellum præter ejus fortunam multum dubiam concomitari ſolent, repræſentemus. Verum prout Regia Majeſtas Veſtra conteſtationes tam per literas, quam per Legatos de prompta ad pacem inclinatione hoc ipſo in loco factæ ampliſſimæ & nuper adhuc repetitæ præmemoratis noſtris Dominis plurimum cordi ſunt; ita etiam Majeſtatem Veſtram, ut in illo propoſito perſiſtat, nomine & juſſu eorundem Dominorum Noſtrorum decenter & obnixe rogamus & certo confidimus, Regiam Majeſtatem Veſtram pro ſuo glorioſo in pacem zelo eandem eousque promoturam, ut illa pro bono totius Chriſtianitatis mox redacta & abolita offenſarum memoria in Regiam Majeſtatem Veſtram & Principes tam arcto ſanguinis vinculo aliisque multis nominibus ſibi conjunctos, fida, vera & perpetua amicitia reſtituatur, nec quicquam in præjudicium Securitatis Sacri Romani Imperii admittatur, ſed ejusdem Electores, Principes & Status ab omni metu & periculo armorum liberi, poſt cruentiſſimum tricennale bellum, tanto temporis, laborum & expenſarum impendio adepta pace eo ſecius frui poſſint. De cætero ſæpe dicti Domini Noſtri certo ſibi pollicentur, Regiam Majeſta-

tem

tem Veſtram interea militi ſuo ſerio & ſtricte injuncturam, ut omnes & ſingulas Imperii Provincias, ſtatus, eorumque ſubditos ab omnibus militaribus moleſtiis immunes atque intactos relinquant. Quo ipſo Regia Majeſtas Veſtra Imperium ſingulariter ſibi devinciet & ad paria bonæ vicinitatis ſtudia ulterius obligabit. Cui omnem Regiam proſperitatem apprecantes eandem quam diutiſſime incolumem volumus. Dabantur Francofurti ad Mœnum die 11. Auguſti, Anno 1659.

## CCCLII.

*Litera DN. de LIONNE, Legati Gallici, ad JOHANNEM PHILIPPUM, Moguntinum, & MAXIMILIANUM HENRICUM, Colonienſem Electores, quibus argumenta in reſponſo Legati Hiſpanici allata nullius roboris eſſe, exponit, 1659.*

### Illuſtriſſimi Eccleſiæ Principes.

DOmino Mareſcallo de Grandmont, item & mihi viſum eſt, libello Comitis de Pegnaranda, quem communicaſtis Nobiſcum, refellendo, alteram ſuperioris ſcripti Noſtri, cui ille reſpondere conatus eſt, lectionem ſatis eſſe. Cum enim omnia argumenta a Nobis allata aut reſpondendo non infirmaverit aut declinaverit eludendo, aut reticendo ſubterfugerit; quanta vis ipſorum ſit, ex hac ejus refutatione clarius perſpicitur. Verum quandoquidem in novo hoc libello Comes de Pegnaranda me privatim laceſſivit, duobus in locis, in quibus ſuſpectam Regii conſilii fidem reddedere nititur, memoriam provocans meam, ac tertio

nominatim me designans, cum Nostræ objectioni de difficultate commeatuum, quid responderet dubius, id reposuit, quod imbecilli solent, qui nullis rationibus allatis perstringunt, quos nequeunt refellere; meum esse duxi, si quis in animis Vestris de re tam gravi tamque lubrica scrupulus resideat, eum penitus evellere. Eam ob rem quædam in illo libello a me raptim observata Nobiscum placuit communicare, ut magis magisque intelligatis, exploratius nihil esse, quam vehementissimum Christianissimi Regis in pacando Orbe Christiano studium & hostium singulare odium in pacem, quod rejectis conciliandæ concordiæ expeditissimis rationibus assidue præ se tulerunt. Interim sic habetote, me Celsitudinibus Vestris Electoralibus addictissimum semper fore

*Moguntiæ 22. die Augusti*
*1658.*

De Lionne.

## CCCLIII.

*Literæ MATTHIÆ BIÖRENKLAVII, Legati in Germania Suecici, ad JOHANNEM PHILIPPUM, Electorem Moguntinum, a quo, ut scriptum aliquod, Cæsareis Literis de $\frac{18}{28}$. Aug. Posonio scriptis oppositum, Statibus S. R. Imperii per dictaturam communicari curet, submisse efflagitat, 1659.*

Literæ quas Sacra Cæsarea Majestas Posonio de die $\frac{18}{28}$. proxima præcedentis mensis Augusti ad Celsitudinem Vestram scripsit & culpam retardati

tra-

tractatus Sueco-Polonici a se amoliri & in Sacram Regiam Majestatem Sueciæ, Regem & Dominum meum clementissimum conferre conatur, mihi necessitatem imposuerunt concinnandi adjunctam demonstrationem, eaque ipsa ostendere Regiam suam Majestatem Sueciæ, omni plane culpa vacare. Quemadmodum vero dictæ imperiales literæ per dictaturam ad ordinariæ deputationis & aliorum notitiam pervenerunt: ita qua par est reverenti devotione a Celsitudine Vestra Electorali peto, permittat, ut huic demonstrationi idem eveniat, & ut eadem per dictaturam publicata Imperii Electores, Principes & Status cognoscere possint, quid nomine Sueciæ ad tales & tam injustas imputationes repositum sit. Deus conservet Celsitudinem Vestram Electoralem auctorem, statorem, & conservatorem pacis, quam diutissime, Francofurti die $\frac{9}{19}$. Sept. Anno 1659.

Celsitudini Vestræ Electorali

*devotione & obsequio deditissimus*
*Servitor*
Matthias Biörenklau.

## CCCLIV.

*Literæ CAROLI GUSTAVI, Suecorum Regis, ad S.R.IMPERII ELECTORES, PRINCIPES ET STATUS, quibus ipsis modum, quo adhuc secum, auxilia S.R. Imperii vigore Pacis Westphalicæ postulante, præpostera Ordinum ejusdem indulgentia actum sit, exponit, eosq; ut tandem Sveciæ rationes tot hostium infensissimis conatibus fatiga-*

 tiga-

*tigatas, majori æquitatis ratione perpendant, & efficaciori suasionis argumento sublevare contendant, graviter hortatur, 1659.*

## Reverendissimi & Celsissimi.

QUo in statu nunc res Germaniæ, quove cardine pax Westphalica versetur, multis verborum ambagibus exponere opus non est. Id antea abunde ostendimus futurum, quod res nunc ipsa docet, & quantis tempestatibus Imperium Romanum, nisi jamjam caveamus, rursus exponatur. Quod jam diu in sinu portavit bellum Domus Austriaca, sed variis coloribus in Imperio dissimulatum, in nervum nunc erumpit, quæsitas admodum ob causas, quando patientiam nostram omnia superare videt. Etenim si inde a conclusa pace Osnabrugensi consilia & actiones Austriacas pensitaverimus, deprehendemus non nunc primum natas ipsis belli causas, sed jam diu nihil eis adversum magis fuisse, quam pacem in Germania, nihil vero optatius, quam nos aliis bellis implicitos ibi pariter posse adoriri. Hinc ubivis multa contra nos miscere & moliri omnium fuit primum & antiquissimum. Primo enim, ne ordines feriarentur a contentionibus, unde aliquid ambitiosa Domus lucrari se speraret, neve pax Germanica consequeretur suum effectum, Civitas & Capitulum Bremense, ad perficaciam fuit stimulandum: Lubecenses tractatus spe promissi contra Sueciam auxilii, & pro re infecta, dissoluti; Poloni ad transgrediendum pactorum leges instigati, tum vero in bello novis consiliis obfirmati, ut in usum Austriæ fati-

fatigarentur, nos vero ſpe pacis privaremur, interea Moſchus & Danus ad arma contra nos evocati, Elector Brandeburgenſis ab amicitia noſtra ſollicitatus & abſtractus eſt, quocum vindicativa fœdera fuerunt pangenda; Tum vero contra conſenſum Ordinum Imperii, avocatoria mandata adverſus nos edita, atque interea dum hiſce conſiliis detrimenta noſtra fabricantur, propriis nos armis in Polonia, in Dania & ubique premunt Auſtriaci, ſed quo tamen excuſaretur magis & Ordines Imperii ſopirentur, præferebatur bellum extra Imperium & quaſi ratione ſociorum geſtum; quamquam nemo non vidit & hoc e diametro contra Inſtrumentum pacis fieri. Ubi vero hoſtibus, undiquaque ab iis accenſis obrutos nos, ac amore pacis Germaniæ omnia nos perferre viderunt, ita ut ne fundatum quidem prætextum hinc mutuarentur, cujus cauſa diu animo figuratum bellum in viſcera Germaniæ fundere poſſent, tum vero nullo habito reſpectu cauſæ, retentum diu inſtitutum tandem exercitu duplici in provincias noſtras, ruptis jam plane ſanctiorum fœderum vinculis flamma & ferro graſſante erupit. Qui hæc futura ex actionibus, conſiliis & machinationibus Auſtriacis diu prævidimus non tantum, Ipſi enixe cavimus, ne bello in Germania ullam cauſam præberemus, ſed nec diſtulimus ſalutaria in tempore & dum præveniendi occaſio patuit, apud Dilectiones Veſtras, apud reliquos etiam Ordines, partim ſeparatim, partim in deputationis conſilio ſimul omnes monere, miſſis noſtris Ablegatis, literis & tandem ſolenni ad Dilectiones Veſtras Lega-

tione, qui omnes, qua voce, qua ſcriptis, non modo Dilectiones Veſtras de habitu rerum, ſerie omni & periculis ingruentibus jam tertium annum informant, ſed etiam perpetuum noſtrum ſtudium tranquillitati Germaniæ dicatum confirmant, ac una cum Dilectionibus veſtris conſilia ac remedia æquitati & rationi conſentanea indagare juſſi ſunt, quibus tot laboribus & impenſis parta in Germania pax adverſus prævaricatores præſervaretur & communiretur. Ei fini motus illos, qui circa reginimis noſtri primordia in Ducatu Bremenſi orti erant, mox ſedavimus, Imperii Romani tranquillitatem reliquis omnibus anteponentes. Ex quo vero Polonicum bellum exarſit, in id omni cura incubuimus, non modo ut pax quamprimum reſtauraretur, ſed etiam ne durante bello detrimenti aliquid fines Germanici inde caperent. Pariter cum Danus in Provincias noſtras Germanicas ante hos binos, aut quod excedit, annos, irrueret, & ipſo facto pœnam fractæ pacis ceu Princeps Imperii mereretur, non modo ſingularibus ad Electores, Principes & Status literis amice requiſivimus, ut ex præſcripto pactorum Osnabruggenſium in Regem Daniæ tanquam Imperii membrum decerneretur, & ad tuendas noſtras ditiones contra injuſta arma auxilia nobis mitterentur, ſed etiam Ablegatum Noſtrum primum ad nonnullas Germanicas aulas, deinde quia tanti momenti res & ad omnes ſpectans, ab omnibus quoque judicari deberet, eundem ſub vacatione Imperii ad ejusdem Electores, tum etiam ad ordinariam Imperii Deputationem Francofurti congregatam direximus, utpote

quæ

quæ omnes Imperii Ordines repræſentabat, & non modo ex primæva inſtitutione, ſed vigore etiam noviſſimæ Imperialis conſtitutionis Ratisbonenſis ſecuritati publicæ rite conſervandæ invigilare debebat. Hic dictus Ablegatus noſter fuſo ſtylo de periculis paci imminentibus, de injuria nobis facta, de machinationibus ſub incude caleſcentibus, memoratos Imperii Ordines de tempore in tempus certiores fecit, & remedia tempeſtiva ſubinde ſollicitavit. Nos quoque non omiſimus interea proprias noſtras literas tam ad Deputatos univerſos, quam Collegium Electorale interſerere, ut ſtimulum & calcar adderemus. Poſtremo etiam, cum pacis mentio fieret, ac ad ejus cogitationes nos hortaretur primum Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Dominus Elector Moguntinus, dein totum Collegium Electorale, adeo grata nobis fuit jam diu deſiderata ejus operis occaſio, ut nihil distulerimus tempus bono publico anticipando, Ablegato noſtro Matthiæ Biörenklavio tum Francoforti ſubſiſtenti juſta mandata & plenipotentiam impertiri, ſimulque ordinare, ut tractatus cauſa Legatus illuc iret ſupremus noſter Cubicularius, Comes Nicolaus de Brahe, quo tantum & tam optatum pacis conſtituendæ negotium nulla mora interciperet. Atque ut de noſtro candore plenius conſtaret, non modo ad omnes Imperii Ordines ſimul, ſed in ſpecie ad reſpective Reverendisſimos & Celſiſſimos Dominos, Dominos Electores Moguntinum & Saxoniæ ſingulares literas, animi noſtri veros obſides dedimus, quibus omnes Sacri Romani Imperii Ordines obteſtati ſumus, ut tem-

peſtatibus ſurgentibus paci apprime periculoſis, maturo conſilio obviam irent. Et quamvis interea quotidie ea pateremur in conſpectu mundi, quæ a partium ſtudio alienus merito judicaret reſarcienda eſſe, promptitudinem tamen noſtram ad pacem amplectendam eo usque aperuimus, ut ſatis luculenter indicaremus, ab Imperatore Romano pro tot damnis & injuriis acceptis, nihil omnino niſi ſimplicem, cum integris & illibatis pactorum Weſtphalicorum conditionibus, reconciliationem flagitaremus. Dum vero hæcce impenſe ſectamur, quæ nobis alias de jure debentur, in dies arctioribus vinculis, ſpreto Capitulationis XIV. articulo, contra nos itur; Legationis decus & pacis tractatus parvi æſtimatur; Miniſtris ſcilicet Cæſareis poſt reciprocatas cum Ablegato noſtro paucas conteſtationum vices verſus Auſtriam abeuntibus. Non tamen deſtitimus retinere noſtrum Francoforti Legatum, cum omnibus tractandi Inſtrumentis paratisſimum ad acceptandum pacem, ſi indulgeretur, qui ex eo quoque tempore non omiſit repetitis memorialibus hortari Ordines ad proſpiciendum communi & propriæ ſaluti. Tantum vero abeſt, ut immenſæ huic ſollicitudini aut literis noſtris, vel vocibus & ſcriptis Legatorum noſtrorum aliquid tribueretur, aut ſaltem apparatus aliquis fieret, aut ad circulos nobis vicinos quicquam ſcriberetur, quo officii ſui meminiſſent, vel labenti pacis ſecuritati ſuppetiæ aliquæ ferrentur, vel ſaltem pro defenſione noſtra tanquam pro Imperii Conſtatu ſuo & quondam parte principaliter paciſcente ulla deliberatio inſtitueretur,

aut

aut conatus & bonæ voluntatis argumentum appareat, ut ex eo tempore tam multis memorialibus aut propriis noſtris literis, vel nihil omnino hactenus reſponſum ſit, vel ſi aliquid responderetur, nonniſi cunctationes & dilationes continuerit, quaſi ita de induſtria ad ruinam noſtram conniverentur. Etenim, præter talium ſupinum neglectum, toleratum potius eſt, quod admonitionibus noſtris ſalutaribus, periculi publici ſignificationibus Dictaturæ mandandis, Directores Collegii Principum intercederent, ut ne ſeſſiones quidem caperentur, nedum propoſita ſalubria recenſerentur & audirentur. Præter hæc alia quoque obſtacula injecta ſunt, præferendo partim quod durante Imperii vacatione officium Deputationis quieſceret, & cum res tam neceſſaria ad Electorale Collegium deferretur, ibi Electionis negotium omnes tanto ſtudio occupavit, ut tanquam non deeſſent gravioris judicii & patriæ ſalutis amantes viri, qui Electioni tranquillitatis ſecuritatem tantiſper præferre non dubitarent, cenſentes mereri Coronam Imperialem, ut ejus Candidatus cum Imperii vicinis Principibus & Regibus prius reconciliaretur, nihilominus tamen, ferentibus ita velut de induſtria fatis, alia cuncta, quam Imperii ſecuritas agebantur; quaſi nihil magis opportunum tunc eſſet, quam ut poſt tergum relicta incolumitatis cura Rex Romanorum ſubito quærendus ille eſſet, qui jam circa fines Imperii Romani ſuſcitatas flammas ad Imperium ipſum trajiceret, qui bonas egregii publici leges aſpernaretur & ſumma imis confunderet. Cum ergo in eum ſtatum res Germaniæ reda-

redactæ ſint, ut armis contra fidem publicam nobis palam, & ſine conſenſu & conſilio Ordinum, illatis, quisque Statuum Germanicorum pariter incertus reddatur ejus, quod vigore pacis publicæ acquiſiviſſe videatur, requiritur neceſſitas ipſa,ut Dilectiones Veſtræ ſic ſeſe declarare inſuper non habeant, quo quantocyus admonitionibus noſtris reſpondeatur, & quid a fide Nobis tum data, cum nulla noſtra neceſſitate, ſed Germanicæ tranquillitatis & libertatis cauſa pacem conceſſimus, polliceri nobis liceat, absque cunctatione diſcamus. Ad minimum, ut pro tanto beneficio ſciamus, an pacem Germaniæ tantopere & ſtudio quæſitam, cordi ſibi porro habere velint. Non patiuntur amplius hæc tempora moram, eo deventum eſt, ut palam fiat, quid a Dilectionibus Veſtris expectandum ſit. Nec fas eſt aut conſultum, ut vel a conniventia Dilectionum Veſtrarum ruinam vel diſſonantia & tarditate conſulentium inevitabilia belli incommoda patiamur. Nunquam in animum equidem induximus, ut contra pacis Weſtphalicæ leges aliquid committeremus; utpote quarum obſervantia nihil nobis unquam fuit antiquius, id quod ſæpius conteſtati ſumus, literis & legationibus, ac opere ipſo circa Bremenſem tumultum & poſtea circa reliqua enata bella demonſtravimus, utcunque hoſtium eorum quidam aſpernati auctoritatem Veſtram, nos ibi adorti ſunt: Atque nunc rurſus proteſtamur excuſari nos & culpa vacare velle, ſi ex bello nobis injuſte illato quidpiam proficiſcatur, quod incommoda Dilectionibus Veſtris dudum repræſentata, ſecum trahat. Verum enim

enim vero post tot admonitiones nostras in re maximi, & totam Imperii salutem concernentis, momenti, nec assecurationi pacis, nec fidei publicæ, nec communi Imperii Romani saluti quicquam tribuitur, nec avertendo periculo quotidie exundanti & ruinam nobis minitanti providetur, nec Circuli saltem ullum auxilii indicium vel ejusdem spem aliquam subjiciunt, ac ne literis quidem nostris condignæ vices redduntur, nec Legatorum nostrorum memorialibus respondetur aliquid, unde scire queamus, an pacis publicæ custodia & defensio Dilectionibus Vestris cordi & curæ sit? mirari quoque aut ægre ferre Dilectiones Vestræ non debent, si ad conservationem locorum & status nostri id attingatur, quod securitati & defensioni nostrorum inserviat. Habet enim hoc exlex necessitas, ut si spes nostræ & fides publica non nisi magnificis deliberationibus & inconsultis cunctationibus suffulciatur, ea arripere jubeat, quæ Deus, quæ Natura ipsa, quæ etiam impendens periculum ad manus porrigit & subministrat. Et ut revera hæc sunt necessitatis, ita dubitare non possumus, quin eandem rectis consiliis Dilectiones Vestræ perpendant, atque ad ea, quæ tam grave telum extorquere videntur, propensos commodare velint animos; idque ut fiat majori æquitatis ratione efficaciori persuasionis argumento Dilectiones Vestras ad Legati Nostri memorialia, literasque Regiminum Nostrorum in Germania Dilectionibus Vestris antea insinuatas, eaque, quæ Consiliarius noster ac in superioris Germaniæ circulis Residens & ad Ordinarium Francofurti Conventum Depu-

Deputatus Georgius de Snoilsky porro Dilectionibus Vestris nomine nostro communicaturus est, remittimus, amice etiamnum contendentes, ut eadem æqua trutina Dilectiones Vestræ ponderare non intermittant, sed quod Vestra propria incolumitate, quod fide publica & quiete Sacri Romani Imperii dignum judicaverint, promte statuere velint. Quibus Dilectionem Vestram divinæ protectioni commendamus, felicia quævis ex animo apprecati. Dedimus Nycopiæ in Falstria die 23. Octobris Anno 1659.

*Inscriptio.*

Reverendissimis, Celsissimis, Illustrissimis, Reverendis, Illustribus, Magnificis, Generosis & Spectabilibus S. R. Imperii Electoribus, Principibus & Statibus, Consanguineis & Amicis nostris charissimis & nobis sincere grateque dilectis.

## CCCLV.

*Litera LUDOVICI DE HARO, Hispaniarum Regis Plenipotentiarii, ad MAXIMILIANUM HENRICUM Electorem Coloniensem, cujus rationes & Regi suo & sibi maximopere cordi fuisse foreque semper, asseverat, 1659.*

Serenissime Princeps,

Reddidit Nobis Dominus Comes Guilielmus Egon de Furstenberg, Literas Serenissimæ Celsitudinis Vestræ datas 2. & 15. Augusti, adjecitque præsens ipse, quæ a Serenissima Celsitudine Vestra acceperat in mandatis, cum ad hæc confinia venisset a Serenitate Vestra missus, cum propter nego-

tia

tia Tractatus Pacis, tum etiam Ecclesiæ Vestræ & Patriæ Leodiensis. Rem omnem ex voto Serenissimæ Celsitudinis Vestræ ad Regem detuli; cui placuit ea statuere, quæ Serenitatis Vestræ & aliorum relatu didicerit & reipsa fuerit experta, datis illico ad Dominum Marchionem Caracenam mandatis, quæ ipse sine mora ex Regis decreto & voluntate executioni mandarit. Porro discedente a nobis Domino Comite, non potui, quin Serenissimam Celsitudinem Vestram certam facerem, eam fuisse semperque futuram Regis voluntatem, ut omni ratione allaboretur, ne qua illius offensæ Serenitati Vestræ ansa quomodocunque tribuatur, quam longissime avertere amolirique studiose in omnibus velit. Et cum divinæ providentiæ visum fuerit suæ Majestatis studia & vota, quæ ad pacem pertinerent, exaudire, eaque felici exitu complere, cumque ea tantopere ad omnes utrique Coronæ fœderatos Principes pertineat, & ad universæ Ecclesiæ Catholicæ bonum intersit, non possum, quin id Celsitudini Vestræ & mihi vehementer graculer, in spem illam adductus, fore ut non modo Serenitas Vestra, sed etiam universum Imperium, propensissima in se suæ Majestatis studia rebus ipsis experiatur. Cujus Imperii cum Serenissima Celsitudo Vestra sit membrum, & Germanæ fidei Princeps, Tractatui Pacis seu Illius Instrumento Articulus insertus est, quo Catholicus Christianissimusque Reges pollicentur, se conjunctis studiis animisque Serenissimæ Celsitudinis Vestræ tranquillitati vacaturos ac Paci. De me hoc habeo polliceri, futurum, ut meas curas & singularia studia

dia in commune utriusque bonum utilitatemque perpetuo convertam, nihilque magis habeam in votis, quam ut frequentissime occasionem nanciscar Serenissimæ Celsitudini Vestræ serviendi; quod ipsum Domino Comiti significavi Serenitati Vestræ declarandum. Deus Optimus Maximus Serenissimam Celsitudinem Vestram in multos annos salvam incolumemque conservet. Ita opto voveoque. Fontarabiæ 12. Novembris 1659.

## CCCLVI.

*Litera LUDOVICI XIV. Galliæ Regis, ad DEPUTATIONEM S. R. IMPERII ORDINARIAM, Francofurti ad Mœnum existentem, cui pacem inter Galliam Hispaniamve conclusam esse significat, ejusque protectionem pro Corona Suecica Provinciis contraria Paci Westphalicæ belli mole pressis exposcit, aut si ea negligatur, se pacis istius vindictam suscepturum minitatur, 1659.*

### Dilectissimi ac boni Amici.

QUod Nobis erat in Votis primum & maximum, aliquando tandem Divina aspirante gratia consecuti, ut diuturni gravissimique belli, quod jam inde antequam Regni gubernacula susciperemus, Gallos inter & Hispanos exarserat, flammas extingueremus, felici Tractatus Pacis exitu, cui Nos & charissimus dilectissimusque Frater & Avunculus Noster Rex Catholicus septima mensis præteriti subscripsimus; nihil prius antiquiusque duximus, post actas supremæ Bonitati, pro hoc tam insi-

insigni beneficio gratias, quam ut eam Nobis optimisque ac charissimis Nostris Fœderatis Principibus ac Statibus Imperii gratularemur, quorum personas ac munia pro Dignitate sustinetis in Comitiis Francofurti, loco consueto congregatis. Cum præsertim probe sciamus, quantum gaudii eisdem Vobisque allaturus sit ipse ille tanti momenti nuntius, ex quo universæ Christianæ Reipublicæ, & imprimis Germaniæ tam copiosus fructus emerget; Quandoquidem non semel à Vobis nuntiatum Nobis sit, ejus saluti nunquam satis consultum fore, dum utriusque gentis animi bello tam acerbo dissiderent. Id vero hodie singulari Dei beneficio extinctum est, atque hæc tranquillitatis Vestræ ratio non leve fuit argumentum, quod Nos ad tanti moliminis opus suscipiendum ac perficiendum incitavit: sed cum forte nec dum irato numini satisfactum sit satis, ad cumulandum omni ex parte Nostrum gaudium desiderari aliquid Deus voluit, cum eodem tempore, quo & Nos & supradictus frater Noster curas omnes consumimus in extinguendo his in partibus gravissimo incendio, quod tanto annorum intervallo varias provincias ac Status populatum est, & tantum non omnino delevit, novum nec minus exitiale in præcordiis Vestris denuo excitaretur, quo iterum universum Imperium funestius, quam alias possit involvi, nisi tempestive Principes omnes ac Status, quorum interest, auxiliarem operam conferant, ut illius adhuc nascentis flammas extinguant: Verum quidem est, in hac nova publicæ rei calamitate, cujus effecta si manerent longius, non minus angerent Nos quam

olim ipsa subditorum damna, magno id Nobis esse solatio, quod Rex Catholicus iisdem in Vos studiis teneatur ac de calamitatibus Vestris non minus laboret quam Nos ipsi, eandemque Nobiscum mentem induerit ad eas occupandas ac communi nostra autoritate interposita prævertendas, adeo ut etiam inter Nos convenerit, ut Instrumento Pacis hac super re Articulus aliquis insereretur, quo mutua voluntate atque integritate, ad eum scopum, quem Nobis præfiximus, utilitatis Vestræ, hoc est, ad firmam stabilemque in Republica Christiana concordiam & in Regnis Nostris pacem, vires & studia conjungeremus. Certi igitur sumus hanc interponendæ autoritatis Nostræ fidem ad universalem concordiam & fœdus fore Vobis gratissimam, quemadmodum Nobis testatum reliquerunt duo primi Imperii Electores, in quibus indubitatam fidem & merito constituistis, quique non solliciti de communi Germaniæ bono, Legatos suos ad eum locum miserant, ubi de pace Nostra agebatur, ut quæ ad Imperium attinerent, quantum in ipsis foret, promoverent; neque etiam dubitare possimus, quin ipsismet, quibus arma hodie in manibus sunt, hæc studia Nostra vehementer probentur, cum nullus sit, qui quicquid agit ac suscipit, ad firmam ac securam pacem velut in scopum sibi propositum, referre se non protestetur, idque potissimum in Imperio qua latissime se extendit, cui rei Nos & Rex Catholicus merito interponere autoritatem Nostram possumus, nos inquam, velut contrahentium primi & Pacis Monasteriensis Protectores, & præfatus Rex frater Noster, velut circuli

culi Burgundici Possessor aliisque nominibus & causis tantopere ad Regni sui statum pertinentibus; Unde spes eo certiores concipimus, quod adhortationes ac officia Nostra tantum ponderis sint habitura, quantum opus est, ne frustra videantur esse assumpta, cum præsertim ea res agatur, quæ cunctis Electoribus Principibus non minus expetenda sit quam ipsa Pax, in quam unam hic collimamus, & sane si præter vota & voluntatem Nostram eveniret, cernerèmusque labores, quos ad hanc rem conjunctim cum præfato Rege suscipere decrevimus, in irritum recidere, non sine summo animi Nostri mœrore rei æquitas Nos compelleret ad eam causam, alia plane ratione, qua diximus suscipiendam, hoc est, non ut Mediatores sed læsæ justitiæ vindices, quare & hæc attendentes, & ea quæ evenire possunt, silentio reticere non possumus (ut super iis digna prudentiæ ac zeli Vestri consilia concipiatis) a Rege Sueciæ Fratre Nostro & jam diu fœderato missum ad Nos paucis abhinc diebus Legatum Berenklou, Præsidem, qui Nobis exponeret, tres prope jam annos effluxisse, cum per Ministros suos apud Electores, Principes ac Status Imperii graviter conquestus est de damnis ac injuriis sibi per Imperatorem Ferdinandum Tertium ac successorem ejus illatis in omnibus statuta pacis expresse violantibus, quas queremonias Imperii Ordines audierint quidem & acceperint, sed per Domum Austriacam semper stetisse, quominus potuerint possintque hodie supra adeo gravi negotio deliberare; Nec dictum Regem Sueciæ Interregni tempore & post-

ea destitisse, modis omnibus congruis non solum eos hortari, a quibus læsum se sentiebat, ut ab inceptis abstinerent & ad amicam animorum compositionem redirent, sed tantum abfuisse, ut per diuturnum trium annorum intervallum ab iis injuriis ac damnis temperarent, de quibus merito querebatur, ut contra primas injurias ad extremum usque perducens Domus Austriaca ab aliquot mensibus, inita cum Electore Brandenburgico societate aperte conjunctis & animis & viribus Pomeraniam, quæ Regalis dicitur, invaserit, in cujus possessionem, ut ex scriptis militiæ Præfectorum ac ministrorum eorum constat, eundem Electorem reducere præsumat, licet ea juridice & in perpetuum Coronæ Sueciæ cesserit per Imperatorem defunctum pro se ac successoribus stipulantem & per Imperium ipsum, idemque Elector ipse, post receptam æquivalentem compensationem, solenniter quibuscunque suis ad eam juribus renunciaverit, atque ideo ex vi & virtute dictæ pacis Tractatus Nos & coronam Nostram hoc rerum statu Regis Sueciæ causam amplecti ac tueri absque mora debere, contra notos Pacis publicæ violatores. Idem etiam Legatus Nobis exempla geminorum scriptorum communicavit, quæ ad rei memoriam ex mandato Regis sui, præteritis Julii & Augusti mensibus exhibuerit Concilio Imperii Ordinario, quibus illud de ingruentibus Germaniæ malis præmoneret, & de iniquitate illius infringendæ Pacis, quam ipse prævideret & quæ revera subsecuta est, expostularet; eandem quam a Nobis tutelam ac protectionem a cæteris Fœderatis postulans, idq; ex vi

vi prædicti Tractatus Monasteriensis. Quod ad Nos sigillatim & ad Franciam universam ea Sueciæ protegendæ postulatio pertinet, tametsi jam sæpius & scriptis literis & ministrorum nostrorum sermonibus hortati Principes & Status Imperii sumus, ut mature tranquillitati suæ conservandæ operam darent, idque hoc majori contentione, quod Sveciæ Regem ad eam Pacem propendere & optime comparatum esse constaret, nec ignoraremus, quas ipse in eam rem offerret conditiones. Hac nova occasione invasionis Pomeraniæ suborta, monendos denuo eosdem Status judicavimus, eisdemque simul ac semel serio denunciandum & diserte explicandum, quis sit animi nostri super ea re sensus, quæ postrema voluntas; Et quia Deputatio Imperii unica ac legitima illa est, quæ hodie Francofurti ad Mœnum existit, ejusque institutio atque autoritas, non solum nititur statutis ultimorum Comitiorum Ratisbonæ Anno 1654. habitorum, verum etiam Decreto & Institutione Imperiali Anni sequentis 1655. ut ad motus inopinatos & graves excubaret, & Imperii securitati prospiceret, quem in finem a Cancellario ejusdem Imperii Electore Moguntino, Francofurtum coacta est. Idcirco per eandem Deputationem Ordinariam, omnibus & singulis ejusdem Imperii Electoribus, Principibus & Ordinibus notum esse voluimus, Nos a prædicto Sueciæ Legato interpellatos (cum ad Concilium Nostrum rem adeo gravem agitandam matureque excutiendam remisissemus) audito illius judicio non existimasse, posse Nos aut debere ab ea, quam postulat, Regis sui protectione eximi,

ad quam fidei publicæ vinculo & ſtudio honoris Noſtri ab omni nota vindicandi obligari Nos agnoſcimus; Qui quidem honos ipſius Regni Noſtri ſalute & vita Noſtra Nobis eſt antiquior & charior, & hoc nixi fundamento, ex Noſtra parte inconcuſſo, prætacto Legato reſpondimus officia Noſtra nunquam defutura, Nosque cum Rege Catholico pro ea, qua pollemus autoritate, ad præſentium motuum compoſitionem interceſſuros; Si vero ſecus ac volumus ſpes omnis promptæ ac firmæ unionis conciderit, deliberatum eſſe Nobis ac certum, quantum Nobis per poteſtatem & media a Deo conceſſa licuerit, ditiones omnes, quæ in Imperio Regi Sueciæ ceſſerunt, pro ea, quam Monaſterii contraximus, obligatione, eidem Regi, legitimo Domino vindicare, quamvis etiam ex Principibus omnibus ad eam tutelam illi præſtandam adſtrictis ad ſuſtinendum tantum negotii pondus ſoli deſtitueremur; Atque ad hanc opem illi ferendam, ut contractæ per Nos obligationi fiat ſatis, adjecimus in exitum Februarii menſis ad ſummum expectaturos eſſe Nos, quo certius innoteſcat; an Principes, qui contra pacis Monaſterienſis ſtatuta, & ea quæ ſolenniter poſtea Francofurti ad ejus conſervationem ac præteritarum infractionum reparationem decreta ſunt, in Pomeraniam irruperunt, petitionibus Noſtris & Regis Catholici in præſentiarum acquieſcentes, ad concordiam adduci ſe patiantur, & ab inceptis dictum Tractatum adeo manifeſte violantibus deſiſtant, & omnes ſaltem Imperii ditiones, ab ea, qua fruuntur, tranquillitate minime interpellantes,

tes, quibus promiſcua hæc invaſio poſſet aliquando cladem, nullo pacto reparabilem afferre. Interea hoc Noſtrum reſponſum atque poſtremam voluntatem, nunquam a Nobis exuendam Statibus antea ſignificandam duximus, certæ executioni mandandam, ſi Noſtram ac Regis Catholici interpoſitionem irritam eſſe cognoverimus ad ſtabilem ac firmam brevi ſtabiliendam pacem, ne iidem Status (edocti quomodo certum Nobis ac deliberatum ſit, ſive conjunctis, ut ſperamus, propter communem obligationem ac utilitatem, ſive Noſtris duntaxat viribus hujus cauſæ æquitatem tueri ac defendere) ulla ratione dubitent paratam opem ſuam ad id adhibere, ſed ad mature conjunctis armis occurrendum ex malis, quæ Imperio ſingulisque illius Provinciis impendent. Atque id quam poſſumus ſtudioſiſſime tum ex vi Tractatus Pacis, tum pro Veſtro ejusdem tuendi Imperii debito, ac privata Veſtra tranquillitate. Vos hortamur declaramusque duo illa media, quæ ad illam rem ſucceſſive adhibere decrevimus, quorum ſi primum irritum ſit, ad alterum non niſi invitiſſime confugiemus, in unum tamen ac eundem ſcopum collimare, hoc eſt, ad reſtituendam in Imperio Pacem. Interea gratum id Nobis accidet, ſi Vos integritati conſiliorum ac ſenſuum Noſtrorum ad utilitatem communem ſpectantium reſpondentes, Nos eorum participes feceritis, quæ procul dubio jam conſtitueritis ad ſuppetias jure debitas, & quæ negari non poſſunt, Coronæ Sueciæ ferendas, cujus in Imperio ditiones invaduntur, uti ad ſecuram in Germania pacem, quæ tantis

tis ſtetit laboribus ſtabiliendam & quovis modo conſervandam. Interea dum ſuper eo reſponſum præſtolamur, copias Noſtras in Imperium transmittere differemus, ſatis eſſe arbitrati, ſi ad exeuntem Februarium proximum, easdem per vicinas Provincias in hyberna diſtrahamus, donec ſcilicet intelligamus, an curis & officiis cum Rege Catholico junctis, eliminatis diſcordiarum cauſis, Pax univerſalis in Imperio inſtaurari poſſit. In eum finem Deum Ter Optimum Maximum oramus, ut Vos dilectiſſimos fidelesque Amicos ſervet incolumes!

*ſignatum*

*Tholoſæ die 5. Decembr. 1659.*

**LUDOVICUS.**

**de Lomenie.**

## CCCLVII.

*Literæ JULII MAZARINI, S.R.E. Cardinalis, ad JOHANNEM PHILIPPUM, Moguntinum, & MAXIMILIANUM HENRICUM, Colonienſem Electores, quibus pro egregie navata circa pacis Pyrenææ negotium opera gratias reponit maximas, eosque impenſe hortatur, ut cum Rege Chriſtianisſimo ſtrenue pergant etiam cæteros per Germaniam belli motus componere, 1659.*

Domi-

Domini.

AD eas literas, quas sua Majestas publice dedit ad Imperii Ordines, & privatim ad Electorales Celsitudines Vestras, cum super negotio pacis, qua tandem Divinæ Bonitati placuit fortunare suum Regnum, tum super ea voluntate, quam concepit, non minori pietate ac zelo eandem cæteris Regnis & toti Reipublicæ Christianæ tranquillitatem, quoad fieri poterit, conciliandi, maxime vero eam ipsam in Imperio instaurandi ac stabiliendi, quibuscunque demum artibus ac mediis ad eam revocandam necessariis opus fuerit; Ad eas, inquam, literas, nihil habeo quod addam, nisi velim actum agere & alias dicta supervacanee iterare. Nec vero quidquam est quod me ad has lineas exarandas hortetur, nisi ut ne videar (discedente cursore, qui reditum Domini Baronis de Bonnenbergh & Comitis de Fürstenberg, aliquot dierum intervallo antevertet) scribendi oportunitatem neglexisse, mihique cum Vestris Celsitudinibus Electoralibus ex animo gratulandi, magnum illud tanti moliminis opus feliciter tandem ad exitum pervenisse. Cum præsertim Celsitudines Vestræ Electorales tantum laboris industriæque attulerint ad rem illam tam arduam promovendam, ut præter insignem laudem, quam hoc facto suo sibi jure vindicant apud homines & præmium immortale, quod a divina liberalitate polliceri sibi possunt, æternæ laudis famam apud posteros collegerint & nomen suum summa cum gloria in venturas ætates propagarint. Et cum soleant posteri æquio-

res esse viventibus rerum præclare gestarum æstimatores ac præcones, clarissimum illud opus æterna memoria dignisque laudibus prosequentur; præsertim si (quod Vestra mihi virtus persuadet) priori illi alterum non minus illustre, & quod utriusque Vestrum non minus intersit, tanquam complementum aut coronidem adjecerint, hoc est si studia sua cum studiis curisque suæ Majestatis conjungant, & ea ipsa media, quæ illa complectantur, ad salutem Imperii procurandam. Quibus quidem mediis, quem finem sibi sua Majestas proposuit, haud dubie consequetur; ut nasciturі alioquin propediem incendii scintillas opprimat, cujus flammæ facesque vicinas Regiones corripere, & tota Germania rursum grassari possent. Erit, opinor, cur ei malo occurrisse suam Majestatem, universi Imperii Principes Pacis ac tranquillitatis studiosi, gratulentur, eique vel hoc nomine debere se plurimum agnoscant. Interim pergam ego Vestris commodis rationibusque studere, eo affectu quo sum,

Celsitudinum Vestrarum
Electoralium

*Tholosæ die 7. Decembr. 1657.*

*Studiosissimus*

Julius Mazarini, S. R. E.
Cardinalis.

CCCLIIX.

## CCCLIIX.

*Litera* **PLENIPOTENTIARIORUM** *ad Tractatus Olivenses* **SUECICORUM**, *quibus* **ANTONIO LUMBRANO**, *Gallico in iisdem tractatibus Sequestro, ut Secretario suo fidem, fidei ipsius commissis condignam habeat, amice injungunt, 1660.*

### Illustrisſime atque Excellentisſime Domine Legate.

RECordatur Excellentia Veſtra, quid in heſterna conferentia actum ſit, & quod eadem articulos ſeu puncta propoſitionum Regis & Reipublicæ Polonæ Confœderatorumque Domin. Domin. Auſtriacorum nimirum & Electoralium Brandenburgenſium, quæ extractim in charta conſignata erant, Secretario Legationis pro memoria in informatione communicaverit. Quam cum hodie, habita inter nos conferentia ſolita, præfatus Dominus Secretarius decenter protuliſſet, & contenta illius perlecta fuiſſent, apparuit ea, quæ nomine Sereniſſimi Regis Poloniæ poſtulantur, ita comparata eſſe, ut a nobis neutiquam acceptari queant, vel ſuper iis nos tractare poſſimus. Ideoque ea tanquam non expectata, ut Excellentia Veſtra jam retradat, ſæpe dicto jam Secretario in mandatis dedimus, Excellentiam Veſtram officioſe requirimus, quo & ab illo ſcriptum iſtud recipere. & in reliquis, quæ oretenus juſſu noſtro exponet, fidem ipſi plenam tribuere velit. Quam divinæ tuitioni animitus

mitus hisce commendamus. Datæ Sobothi, die $\frac{18}{28}$ Januar. Anno 1660.

Excellentiæ Veſtræ

*Ad officia paratiſſimi*

Magnus Gabriel de la Gardie.
Benedictus Oxenſtierna.
Chriſtophorus Carolus Schlippenbach.
Andreas Guldenklau.

CCCLIX.

*Literæ CAROLI XI. Suecorum Regis, ad GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, quibus Parentem ſuum, Carolum Guſtavum, fato defunctum, ſignificat, ac Petro Julio Coyeto ablegato Suecico impoſterum ſuo nomine fidem haberi cupit, 1660.*

Celſi & Præpotentes Domini Ordines Generales.

PLacuit divinæ voluntati, quæ Regum Poteſtatumque fata & vices diſpenſat, e mortalium conſortio in cœleſtem patriam, & poſt gravem morbum, die 12. hujus menſis evocare parentem noſtrum olim honoratiſſimum & glorioſiſſimæ memoriæ Regem, Sereniſſimum ac Potentiſſimum Dominum, Dn. Carolum Guſtavum, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regem &c. Poſtquam igitur divina gratia & vigore legum Regni Noſtri fundamentalium ſtatutorumque, ſumma

rei

rei ad Nos, ceu legitimum Regni Sueciæ Regem & Principem hæreditarium eſt delata; Nos veteris inſtituti memores, intermittere noluimus, quin præmaturi hujus exceſſus Vos participes redderemus. Et cum inter præcipua & extrema actorum deſideratiſſimi parentis noſtri fuiſſe conſtet, quantopere illi veteri amicitiæ reducendæ, quæ multis abhinc annis ſancte culta, ſubinde vero enatis ſimultatibus labefactata, operam ſollicitam dederit: Itaque nos quoque idem manebit ſtudium, eadem voluntas, ut in eorum, quæ ille meditabatur in rem communem, executione, parentem adhuc ſuperſtitem & ſpirantem conſervemus. Inſuper pollicemur Nobis, Vosque amice & benevole requirimus, ut ea, quæ ad ſtabiliendam a parte Veſtra amicitiam conducere arbitremini, paribus votis & promtitudine, collata in medium induſtria adferatis. De his & ſimilibus Ablegato noſtro Extraordinario generoſo & ſincere nobis dilecto, Domino Petro JulioCoyet &c. in mandatis dedimus: Cui ut eandem fidem, quam antea ſuperſtite parente Noſtro ejusque nomine habuiſtis, eidem quoque de cætero, quæ nomine & mandato Noſtro acturus eſt, habeatis, amice pariter rogamus. Quod ſupereſt Vos divinæ tuitioni commendamus. Dabantur Gotheburgi, die 23. Februarii, Anno 1660.

*Nomine Sacræ Regiæ Majeſtatis, reſpective dilectisſimi Filii Noſtri & Clementisſimi Regis ac Domini*

Hedwig Eleonora.

Senatores Regni.

CCCLV.

## CCCLX.

*Literæ, ab ORDINARIO S. R. IMPERII CONVENTU, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem missæ, cui de pace cum Rege Hispaniæ facta gratulantur, seque omnem lapidem moturos, ut exorti per Imperium belli motus quamprimum sopiantur, promittunt, 1660.*

EX Regiæ Vestræ Majestatis ad hunc Deputationis Ordinariæ Conventum 5. Decembris perscriptis literis Domini Nostri Clementissimi summo cum gaudio intellexerunt, quod nos non solum de pace inter Vestram Majestatem & Hispaniam feliciter confecta, verum etiam de sollicitudine, qua medios inter tractatus quieti & tranquillitati Germaniæ imo totius Christiani orbis prospicere non intermisit, certiores reddere voluerit; Imprimis igitur Regiæ Vestræ Majestati dicti Clementissimi Domini Nostri pro tam exoptato nuncio, quo nihil gratius ipsis accidere poterat, maximas agunt gratias & ei de tanto opere cum æviterni Regii sui nominis gloria fausta profecto animitus gratulantes, Deum unice comprecantur, ut in concordiam amborum Regnorum nunquam intermorituram cum eorundem nec non totius Europæ maximo bono & emolumento indies magis magisque coalescat. Cujus ut Clementissimi Domini Nostri in ipso limine conclusæ pacis effectum aliquem experirentur, Regia Majestas Vestra ad pacanda reliqua inter Principes Christianos dissidia singularis cura, & eum in finem cum Catholica Regia Majestate suscepta interpositio luculentum exemplum præ-

præbuit, pro quo ut Regiæ Veſtræ Majeſtati, Domini Noſtri Clementiſſimi ſe non minus ad gratiarum actionem obſtrictos agnoſcunt, & non dubitant, officia tantorum Regum felici ſucceſſu non caritura, ita etiam e re & munere eorum viſum fuit, Sacræ Cæſareæ Majeſtati ex longiori funeſti belli in Germania proſecutione imminentia pericula in ſcriptis exponere, & ad ſedandos præſentes Germaniæ motus amicabilem tractatum proponere & ſuadere, nec non ad ejusdem accelerationem inſtanter hortari, miſſis in eundem finem a Reverendisſimis & Serenisſimis Electoribus Moguntino & Colonienſi Legatis Viennam, qui Sacræ Cæſareæ Majeſtati ea etiam oretenus repræſentarent. Cum igitur Clementiſſimi Domini Noſtri ſperent, dictas literas & Legationem apud ſuam Sacram Cæſaream Majeſtatem, talem efficaciam habituras, ut propoſitis periculis mature perpenſis, ad reſtituendam quantocyus Germaniæ quietem ſe induci patiatur. Hinc etiam confidunt, Regiam Veſtram Majeſtatem haud ægre láturam, ſi ulterior eorum declaratio tam diu differatur, donec reſponſo a Sacra Cæſarea Majeſtate obtento, ejusdem mentem & ſenſum circa reſtaurationem pacis Germaniæ plane cognoſcant, de cætero pollicentes, ſe pro reducenda dicta pace cum Cæſarea Majeſtate in Germania omne ſtudium & operam impenſuros, ac ſi præter ſpem amicabilia media ſucceſſu carere contingeret, ſe id præſtituros, quod in ejusmodi caſibus inſtrumentum pacis præſcribit, & ad reſtabilimentum tranquillitatis publicæ in Imperio conducere videbitur. Cum Regis Hiſpaniæ Catho-

tholica Majestate initam concordiam etiam nos maxima cum lætitia percepimus, & quia non ignoramus, quietem totius Europæ magna ex parte ab illius firmitate dependere, sic eam a divino numine etiam obnixe efflagitantes Regiæ Vestræ Majestati felicissimos rerum successus cum perenni incolumitate animitus vovemus. Dabantur Francoforti, 24. Februar. Anno 1660.

## CCCLXI.

*Litera CAROLI XI. Suecorum Regis, ad JOHANNEM GEORGIUM II. Saxoniæ Electorem, cui Parentem suum ex hac miseriarum valle ereptum ad beatiores cœli sedes, se vero in thronum ejus evectum esse significat, 1660.*

Nos Carolus, Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex &c. Celsissimo Consanguineo & Amico Nostro Charissimo, Domino Johanni Georgio secundo, Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Duci, Sacri Romani Imperii Archimareschallo & Principi Electori &c. salutem & prosperos rerum successus.

*Celsissime Princeps, Consanguinee & Amice Charissime.*

NOn possumus intermittere, quin Dilectioni Vestræ dolenter significemus, quale Nobis ex improviso nuper vulnus inflictum sit. Eripuit Nobis Deus ter optimus maximus Parentem quondam Nostrum Charissimum, Serenissimum ac Poten-

Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum Carolum Gustavum, Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regem &c. Eumque duodecima hujus mensis die e consortio mortalium separatum ad beatiores sedes evexit; ubi ille quidem, procul hoc mundano strepitu, suo fruitur gaudio, cæterum magnum Nobis Regnoque suo & omnibus ejus Ordinibus reliquit sui desiderium, qui sic vixit, ut iisdem esset & ornamento, & præsidio & solatio, hostibus vero terrori aut admirationi. Augetur vero nimium quantum ejus desiderium, si tempora isthæc, eorumque constitutio considerantur, quandoquidem vel solus tot in se irruentibus hostibus consilio, prudentia, maxime vero animo sufficere videbatur. Tanto vero Parenti Nos atque Principi Ordines quoque Regni seriores annos optasse, dubitare non possumus, quin Dilectio Vestra censuerit. Casum autem tam acerbum, tanquam Naturæ quidem debitum, feremus, sed ut hoc faciamus æquiori animo aliis quoque ac imprimis Dilectioni Vestræ eum communicandum putavimus. Deus tam adversa dehinc a Nobis & Dilectione quoque Vestra avertere dignetur. Cæterum cum in Thronum Magni Principis, vigore Statutorum Regni sufficiamur, Dilectionem Vestram assecurare volumus, obitu ipsius de Amicitiæ Nostræ nexu ac necessitudine nihil derogatum iri, sed id operam Nobis daturos esse, ut in Nobis Domini Parentis effigiem vivere intelligat, nec commissuros, ut dimisso animo manibusque dehinc agere videamur, sed propositis Nobis gloriosissimis Ejus exemplis, sive pacem re-

vocare libuerit, sive bellum continuandi necessitas fuerit imposita, nostro fastigio semper digna exequi pergamus. Deus Dilectionem Vestram diu servet incolumem, cui prospera quævis ex animo optamus. Dabantur Gothoburgi, die 24. Februarii, 1660.

*Nomine Sacræ Regiæ Majestatis respective Filii Nostri Charissimi, & Regis ac Domini Nostri Clementissimi*

HEDWIG ELEONORA.

Petrus Brahe, Comes in Wissingsborg.
Axel Lillie, Comes.
Carolus Mörner.
Carol. Mauritius Löwenhaupt.
Reer de Ribbing.
Severinus Baat.
Gustavus Bondt.
Arfuidus Forbius.
Johann Kornhau.
Eduardus Ehrenstein.

## CCCLXII.

*Litera CAROLI XI. Suecorum Regis, ad PETRUM JULIUM COJETUM, aliosque Regni Suecici Hagæ Comitum subsistentes Ministros, quibus Carolum Gustavum, Parentem suum, vita excessisse refert, eosque ut in muneribus sibi concreditis strenuam debinc suo nomine navent operam, clementer hortatur, 1660.*

Caro-

Carolus, Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Esthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandaliæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Wismariæ, nec non Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux. Dilecto Nostro fideli, Petro Julio Cojet, aliisque Ministris Suecicis in Haga Comitis, gratiam & favorem Nostrum singularem.

*Nobiles Nobis sincere dilecti.*

FAcere non possumus, quin Vobis luctuosum casum & obitum Parentis quondam Nostri, recordationis felicissimæ, Serenissimi ac Potentissimi Principis ac Domini, Caroli Gustavi, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regis &c. clementer significemus, ejus quidem excessu Nobis in thronum ejus assurgentibus non exiguum relictum est desiderium. Etenim si dicendum quod res est, meruisset utique diuturniorem vitam, saltem quoad eos, qui necessitatem belli imposuerunt, condignis mediis pacare potuisset. Cum vero superis aliter visum sit, Nos quoque eorum dispositioni, ut acquiescamus, par est: Ac quod nunc superesse videtur, id agemus, quod orbi palam fiat, nolle Nos demissis animis & manibus agere, sed eam adhibere operam, ut immensæ hostium machinationes Nobis intentatæ, sed tales quæ postea etiam in amicos manare possint, avertantur ac pax honesta reducatur. Cui rei cum Vos etiam sub regimine altissime memorati Domini Parentis Nostri fideliter operatos intelligimus, Vobis equidem singula-

gulares agimus gratias, nulli dubitantes, quin ficuti in eum finem Principalis Veftræ Legationis munere Vos adornavit, ut feptentrioni pacem revocare ftuderetis, in tam falutari opere porro pergatis, certi de Nobis, fore Nos paratos ad eas pacis conditiones, quæ tutæ pariter & honeftæ fuerint: Quibus Vos Divinæ providentiæ commendamus. Dedimus Gotheburgi, die 29. Februarii, 1660.

*Nomine S. R. Majeftatis refpective Filii Noftri Chariffimi, ut Regis ac Domini Noftri Clementisfimi fubfignatum.*

HEDWIG ELEONORA.

Petrus Brahe, Comes in Wisfingeborgh.
Axelius Lilie, Comes.
Gabriel Oxenftiern, Comes in Nabi & Cofa.
Claudius Bielkenftein.
Erik Flemmingh, Thefaurarius.
Thuro Sparre, L. B.
Carolus Mörner.
Carol. Mauritius Löwenhaupt. Comes de Rusbourg & Tuliskeat.
Peer Ribbing.
Johann Rofenhann.
Severin Baat.
Guftav Bonde.
Wilhelm Taube.
Axelius Sparre.
Eduard Ehrenftein.

CCCLXIII.

CCCLXIII.

*Litera PLENIPOTENTIARIORUM SUECICORUM, in conventu Olivensi, ad ANTONIUM LUMBRANUM, Gallicum in eodem Legatum Mediatorem, a quo ut ultimam manum operi ad exoptatum ferme finem perducto imponere haud gravetur, obnixe contendunt, 1660.*

Illuſtrisſime atque Excellentisſime Domine Legate,

POſtquam favente hactenus divino numine, res cum Sereniſſimo Rege Reque publica Poloniæ pertractandæ eo jam transactæ fuerint, ut paucisſima & ea minutisſima ſuperſint, quæ in una vel altera conferentia, ſi ſtudio, quod neutiquam præſumimus, haud nectetur mora, complanari posſint, reſtat, quoad ea, quæ Polonis cum Fœderatis communia ſunt, uti & illa, quæ ſingulos eorum concernunt, progrediamur. Cum autem confœderatorum duo tantum ſint, Sacra Cæſarea Majeſtas & Serenisſimus Elector Brandeburgicus (quippe concluſa in Seelandia pace, negotium Regis Daniæ, non negante ipſo ipſius Gedani degente miniſtro, plane ceſſat) parum erit difficultatis, quia omnia, quæ rationi & æquitati conſentiunt, acceptavimus, atque in reliquis mentem noſtram, per incluſam hic declarationem Excellentiæ Veſtræ peramice notificamus, intra tres quatuorve dies tractatui finem imponendi, ac pacem generalem concludendi. Nam qui maximi momenti eſſe videntur, Guarantiæ & generalis fœderum renunciationis, articuli, tam æque ad iſtos (etiamſi præpoſtere & contra ordinem propoſita illa fuerit, & hæc jam

dudum in primo puncto amicitiæ nimirum pertractari debuiſſet) nos declaravimus, ut quivis actionum noſtrarum non iniquus Cenſor, facile nobis ſit adſtipulatus. Quid enim deſideretur amplius, ſi aut plane nulla fiat in pacis inſtrumento fœderum mentio, aut ad eum modum, qui in pactis Osnabrugenſibus exprimitur, iſte articulus concipiatur, ne logomachia inani tempus inutiliter teratur? Quoad Guarantiam vero, liberum Sueciæ ſit, tum eas in eandem rogare poteſtates, quæ & ipſæ volent, & voluntati Regis Regnique placebunt, neque a Statu & Intereſſe eorum aberunt; tum & eam præſtare iis tantum, cum quibus hac de re convenire e re ſua judicaverit, relicto quoque parti alteri mutuæ Guarantiæ arbitrio. Committendum igitur Excellentiæ Veſtræ Curæ & Autoritati duximus pro ſua dexteritate negotium ad optatum tandem finem promovere, ne gravetur; ſiquidem elapſis tot menſibus, extendere tempus tractatuum ultra octiduum, neque conducit, neque in noſtra conſiſtit poteſtate. Hisce eandem divinæ cuſtodiæ peramice commendantes. Datis Sobothi d. $\frac{8}{18}$. April. Anno 1660.

Excellentiæ Veſtræ

*Ad officia paratisſimi*

Magnus Gabriel de la Gardie.

Benedictus Oxenſtierna.

Chriſtophorus Carolus Schlippenbach.

Andreas Guldenklau.

*Inſcriptio.*

Ad Dominum de L' Ombres.

CCCLXIV.

## CCCLXIV.

*Litera CAROLI XI. Suecorum Regis, ad JOHANNEM CASIMIRUM, Poloniæ Regem, quem de Parentis sui obitu certiorem reddit, 1660.*

Nos Carolus, Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiæ &c. &c. &c.

*Serenissime Princeps &c.*

QUam acerbum & luctuosum vulnus Deus Ter Optimus Maximus superioris Februarii die duodecimo, hora nocturna propemodum secunda inflixerat, divum parentem nostrum, gloriosissimæ memoriæ, Serenissimum & Potentissimum Dominum, Dominum, Carolum Gustavum, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regem, Magnum Principem Finlandiæ &c. &c. ex consortio mortalium ad beatiores sedes amoliretur, Serenitati Vestræ facile est conjicere, quando & ætatem nostram, & tanti Principis virtutes, animo saltem complecti non gravatur. Sed ille quidem procul hoc mundano strepitu nunc agit, suoque perfruitur gaudio. Cæterum magnum Nobis, suoque Regno & omnibus ejus Ordinibus reliquit sui desiderium. Cum vero divina disponente gratia, vigoreque Statutorum Regni, in magni Principis thronum evecti simus, redintegratis prospero Tractatus successu necessitudinis Commerciis, vi-

cissitudinem hanc Serenitati Vestræ significandam arbitrati sumus, Serenitatem Vestram assecurantes, revocata jam inter Nos pace, ac animorum consensu reposito, nihil Nobis fore in hoc solio constitutis quidquam omnino charius aut antiquius, quam eundem omni studio officiique genere roborare, atque id agere, ut Serenitas Vestra intelligat, Nos tum demum voti Nostri Nos reos judicare, quando tranquillitate secura frui & gaudere Nobis tuto licuerit. Deus humano generi tam salutare opus fidei vinculis porro arctioribus communiat, ac amicorum invicem sensuum perpetuitatem semper benigniorem largiatur. In cujus divinam protectionem Serenitatem Vestram commendamus, propitiora incrementa ex animo voventes. Dedimus Holmiæ, 14. Junii, Anno 1660.

*Nomine altissime memoratæ S. R. Maj. respective Filii Nostri Charissimi, ut Regis ac Domini Nostri Clementissimi*

*Subsignatum.*

HEDWIG ELEONORA.

Senatores Regni Sueciæ.

## CCCLXV.

*Literæ* SENATORUM REGNI SUECIÆ, *ad* SENATORES REGNI POLONIÆ MAGNIQUE DUCATUS LITHUANIÆ, *quibus pacem inter utraque Regna conclusam impense gratulantur, & suaviora dulcissimarum pacis gratiarum officia trucibus belli vicissitudinibus commutanda offerunt, 1660.*

Nos

Nos Senatores inclyti Regni Sueciæ, Reverendisſimis, Illuſtrisſimis, Reverendis, Illuſtribus, Magnificis & Generoſis Dominis Senatoribus Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ, Vicinis & Amicis Noſtris obſervandisſimis, ſalutem & proſperam rerum incolumitatem.

*Reverendisſimi, Illuſtrisſimi, Reverendi, Illuſtres, Magnifici & Generoſi, Domini Vicini & Amici Obſervandisſimi.*

BEllum ſupra ſeptuaginta annos, varia fortuna, diverſisque eventuum vicibus, cum Regibus Reque publica Polona geſtum Commiſſariorum utriusque Regni, indefeſſa opera ſtudioque nuper finitum, ac proſpero tractatus ſucceſſu terminatum eſſe, nos quidem ex animo lætamur, nec facere poſſumus, quin eo quoque nomine Illuſtrisſimis Dominationibus Veſtris impenſe gratulemur. Quæ in eo non minimam & laborum gloriam & gaudii partem ſibi merito vendicant. Sane, ſi omne bellum per ſe infelix eſt & horridum, tum vero id magis abominandum, inque pacis ſtudia quantocyus commutandum eſt, quod niſi necesſitate urgente reciprocari debet. Sicuti ergo ferventibus & infeſtis armis jam diu virium ac fortitudinis periculum invicem fecimus; ita reconciliatis animis hoc ſupereſt nunc, ut, ſepoſitis dehinc inimicitiis ad cultum amicitiæ & animorum con-

ſenſum revertamur, trucesque viciſsitudines ſuaviori pacis gratia, meliorumque uſu, compenſemus. Quod quidem cum Nos apud animum fixum omnino ſtatuerimus, operam dabimus, ut intelligatur in eo nos aſsidue futuros, quo redintegratæ paci novem ſemper amícitiæ pignus roburque accedat: Ac præterea impenſe hoc acturos eſſe, ut quidquid grati a Rege & Domino Noſtro Clementisſimo adeoque hoc Regno in Regem & Rempublicam Veſtram proficiſci poſſe, arbitrati fuerimus, id lubenti volentique animo in uſum utriusque populi hinc oblatum prompteque declaratum iri animadvertant. Qua ſincera & prolixa animi Noſtri propenſione deſinentes atque pares vices ab Illuſtrisſimis Dominationibus Veſtris Nobis promittentes, easdem divinæ protectioni commendamus, ſalutaria & proſpera ſemper incrementa Reipublicæ Veſtræ precantes.

*Dedimus Holmiæ, d. 14. Jun. 1660.*

*Illuſtrisſimis Dominationibus Veſtris ad officia & ſtudia paratiſſimi*

**Petrus Brahe, Comes in Wisſingsborg, Regni Sueciæ Drozetus. mppria.**

**Lars Kagg.**

**Guſtavus Bielke.**

Gabri-

Gabriel Oxenſtirna, Comes in Korsholm & Waſa, Regni Sueciæ Mareſchallus.
R. Totte, Comes in Laberboſch, Regni Sueciæ Magnus Stabuli Magiſter.
Severinus Baat, Regiæ Cam. Collegii Præſes.
Scherninius Roſenhan, Conſ. Cancell. & Caſtelli Stockholm Gubern.
Thuro Sparre, Dicaſterii Regii Conſil.
Hermanus Flemming, Reg. Cam. Præſ.
Magnus Gabriel de la Gardie.
Canutus Poſſen, Dicaſterii Gothici Præſes.
Claudius Bielkenſtierna.
Johannes Roſenhan.
Carolus Morner.

## CCCLXVI.

*Literæ CAROLI XI. Suecorum Regis, ad JOHANNEM CASIMIRUM, Poloniarum Regem, cui de pace ſecum compoſita gratulatur, mutuæque amicitiæ & neceſſitudinis ſtudia pollicetur, 1660.*

*Sereniſſime Princeps, Frater, Conſanguinee, Vicine & Amice Chariſſime.*

Quemadmodum bellum, non alio nomine, quam ob reſtitutionem pacis, merito ſuſcipiendum eſſe putamus; Ita, ex quo fata, ſortes mortalium pro ſuo beneplacito verſantia, Divum paren-

parentem Noſtrum, glorioſiſſimæ memoriæ, ex hac ſtatione ad beatiores ſedes amolita ſunt, ne fruſtra eſſet pacis negotium, exemplo tanti Principis, nihil Nobis æque cordi eſſe ſivimus, quam diuturnam, Nos inter Regnumque Noſtrum ac Serenitatem Veſtram Remque publicam Polonam, controverſiam, longo bellorum & induciarum tractu agitatam, utrinque optata pace terminare. Atque cum indefeſſo ſtudio Commiſſariorum utrinque Noſtrorum, adeoque interpoſita Chriſtianiſſimi Regis opera, voti ſummam conſecuti ſimus, ſingulari Nos quidem gaudio perfundimur, ac Deo immortales agimus gratias; Sed præterea quoque intermittere non poſſumus, quin Serenitati Veſtræ ob tam evidentem Dei Optimi Maximi benignitatem ex animo gratulemur. Satis utrique juſta ſubeſt cauſa. Etenim ſi qui eo rerum ſtatu, ſive mutuo cognatam neceſſitudinem, ſive quibus præſumus, Regna & populos reſpicimus, conſtituti ſumus, ut intimo potius amicitiæ nexu conjuncti maneamus, quam diuturnioribus, ac internecinis certatim laceraremur odiis; nihil equidem nec ſtatui Noſtro, nec cauſæ communi, nec etiam ſanæ conſentaneum rationi amplius ageremus. A Noſtra ergo parte optamus, inque id unice incumbemus, ut, inimicitiis & controverſiis procul dehinc habitis, redintegratæ amicitiæ gratia ultro ſuccedat, maneatque, ac novis ſubinde ornamentis fulciatur. Omnium vero primum & antiquiſſimum Nobis erit, bona id fide obſervandi, quicquid noviſſimæ pacis leges præſcribunt, quandoquidem de pari ac reciproca Serenitatis Veſtræ can-

dida-

didaque voluntate, non continget, ut dubitemus: Atque operam insuper dabimus, ut Serenitas Vestra præterea intelligat, ad omne amicitiæ sinceræque necessitudinis genus, & mutuam Regnorum Nostrorum incolumitatem semper promptos ac paratos Nos fore. Qua officii testificatione finientes, constantiam & diuturnitatem erectæ noviter pacis, eique robur ac perpetuitatem, Serenitati autem Vestræ prospera rerum semper incrementa ex animo vovemus. Quibus Serenitatem Vestram divinæ protectioni commendamus, seros eidem ac prosperos annos ex animo voventes. Dedimus Stockholmiæ, die 14. Junii, Anno 1660.

*Nomine altissime memoratæ Sacræ Regiæ Majestatis, respective Filii Nostri Charissimi, ut & Regis ac Domini Nostri Clementissimi.*

HEDEWIG ELEONORA.

Petrus Brahe, Comes in Wisingsborg.
Gustavus Bielke.
Severin. Baat.
Thuro Sparre.
Gustavus Bosse.
Georgius Flemming.
Claudius Bielkenstierna.
Carolus Morner.
Johannes Rosenhan.

*Inscri-*

*Inscriptio.*

Serenissimo Principi Consanguineo, vicino & amico charissimo, Domino Joanni Casimiro, Regi Poloniæ, Magno Duci Lithuaniæ &c. &c. &c.

CCCLXVII.

*Responsoria JOHANNIS CASIMIRI, Poloniæ Regis, ad præinsertas CAROLI XI. Svecorum Regis gratulatorias, parem amicitiæ & fœderum constantiam spirantes, 1660.*

**Joannes Casimirus, Dei gratia, Rex Poloniæ**, Magnus Dux Lithuaniæ &c. &c. &c. Serenissimo Principi, Domino Carolo Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi, & Principi hæreditario, Magno Principi Finlandiæ &c. &c. &c. Fratri Consanguineo, Vicino & Amico Nostro charissimo salutem & prosperos rerum successus.

*Serenissime Princeps, Frater, Consanguinee, Vicine & Amice noster Charissime.*

NEc Nobis alia mens unquam fuit, quoties armis objecimus vel intulimus arma, quam ut bello pax firma pararetur: Eaque ubi coalescere tandem posse visa, sepositis ulterioribus diffidiis, animum votumque ad mutuam transferre cepimus tranquillitatem. Hinc & non alienos a tractatibus pacis Sueciæ affectus ultro admisimus & Christianissimi Regis operam gratanter sumus amplexi. Posteaquam vero amicæ compositionis negotium, optatis utrinque progressibus & eventibus est consummatum, & ipsi divinum læti celebramus,

bramus favorem, & Serenitati Veſtræ tanquam illius commodis addicti, magnum id cœli beneficium plenis affectibus gratulamur. Nulla certe felicitatis portio manebat diutius belligeraturos, læſæque hinc inde necesſitudines ac utilitatis rationes moleſtas, nocivasque iras moderari jubebant, nec cum odiis Regna ſinebant exhauriri: Deſitum itaque eſt & ceſſatum, gravesque inimicitiæ ac violentiæ paci ceſſere. Quam & ipſam pacem ita Nos omnino probamus, nihil ut illi adverſum committere vel admittere velimus, daturi ſatius operam, quo majoribus ſemper augeatur incrementis. Hinc eſt, ut conſtantem Serenitatis etiam Veſtræ voluntatem ac Pacis obſervandæ promptitudinem perquam libenti accipiamus affectu; neque minus animi ſtudii Nobis fore in mutuis Regnorum Noſtrorum rationibus, omnique necesſitudinis genere ſerio proteſtemur, quam Veſtra Nobis Serenitas ingenue ac benevole appromittit. Atque ut voto finiatur Epiſtola, magnum illud Numen veneramur, quatenus firmum & ſalvum velit faxitque, quidquid ejus ope conſtitutum eſt, nec niſi perennibus amicitiis Regna gentesque Poloniæ ac Sueciæ connectat teneatque: Divinam ſimul ejus protectionem proſperosque Serenitatis Veſtræ ſucceſſus in omnibus ex animo vovemus. Datum Samboriæ d. 11. Aug. Anno 1660.

Ejusdem Serenitatis Veſtræ

*Bonus Conſanguineus & Frater*

Johannes Caſimirus Rex.

CCCLXVIII.

CCCLXVIII.

*Literæ CAROLI XI. Svecorum Regis, ad S. R. IMPERII ELECTORES, PRINCIPES ET STATUS Francofurti ad Mœnum in Ordinario Deputationis negotio congregatos, quibus pacem cum Polonis Danisque conclusam esse nuntiat, eosque ut Paci Polonicæ autoritatem totius S. R. Imperii nomine præstare haud graventur, blande compellat, 1660.*

Nos Carolus Dei gratia, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex & Princeps Hæreditarius, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Esthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandaliæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Wismariæ, nec non Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux, Reverendissimis, Celsissimis, Illustrissimis, Reverendis, Illustribus, Magnificis, Generosis & spectabilibus Sacri Romani Imperii Electoribus, Principibus & Statibus Francofurti in Ordinariæ Deputationis negotio congregatis, Consanguineis & Amicis Nostris charissimis & Nobis sincere grateque dilectis salutem & prosperos rerum successus!

*Reverendissimi, Celsissimi, Illustrissimi, Reverendi, Illustres, Magnifici, Generosi & Spectabiles Sacri Romani Imperii Electores, Principes & Status, Consanguinei & Amici charissimi, ut & sincere grateque dilecti.*

Quod a Deo Optimo Maximo assidue precati sumus, opeque omni ac studio affectavimus, ut

ut pax & tranquillitas publica restitueretur, ejusque nunc voti nos reos operisque fructum per pacem tam Polonicam quam Danicam, vicinorumque Regnorum confœderatorum reconciliationem consecutos Nos esse, Dilectionibus Vestris & Vobis significandum duximus; etenim Dilectiones Vestræ & Vos eos esse confidimus, qui publico hoc gaudio haud parum Nobiscum lætabimini, nostraque proposita in S. Rom. Imp. incolumitatem semper directa, ex actionibus tam Nostris, quam Divi parentis Nostri, gloriosissimæ memoriæ, omnium optime judicare potestis. Quidquid jam diu sustinuerimus, id publico condonare ac oblivioni sempiternæ, quam ulla memoriæ refricatione amplius contrectare malumus, id sane ut orbi, ita Dilectionibus Vestris & Vobis obscurum esse non potest, quam post terga relictis omnibus propemodum prærogativis utilique alias Nobis debito, propensiones Nostras unicæ saluti publicæ dicaverimus, adeo, ut de Nostro cedere maluerimus, quam irretortis oculis videre, diuturniori bello fatigari & exhauriri tot mortalium vires, sanguinemque aut incendia eo trahi & converti, ubi periculo essent majori, ac vicinorum quoque opibus facile conciperentur. Fuerunt namque Nobis præ oculis semper pacis Westphalicæ leges, non ignaris, quantum sanctimonia earundem Christianæ conducat rei, quamque ex tranquillitate Germaniæ reliquarum juxta sitarum Provinciarum quies expectanda sit. Ergo rebus tam feliciter terminatis non modo lætitiæ Nostræ sensum Dilectionibus Vestris & Vobis effuse nunciandum

arbitrati ſumus, ſed etiam Dilectionibus Veſtris & Vobis ac univerſo Imperio Romano gratulandum cenſuimus, quod flagrantiori dehinc diſcrimini exemptum, in hac tranquillitate conterminorum populorum non minimam ſibi vendicat felicitatis partem, Deum obnixe rogantes, velit imbuere partes, adeoque eos omnes, quorum in manu Chriſtiana res eſt, pacis & tranquillitatis publicæ dulcedine ac propitia reciprocæ benevolentiæ ſtudia, iisdem largiri, quo Chriſtianæ rei tam ſalutares conatus & ſucceſſus diuturna ſemper conſtantia perſeverent. Nobis ſane in votis nihil eſt, eritque charius, quam pace tanto ſanguine & impenſis ſtudioque parta quam ſecuriſſime diutiſſimeque poſſe frui, quo ſtudio cum ambigere nequeamus, alios Intereſſentes velle Nobiscum contendere, par eſt, ut devotiſſime meliora Nobis promittere audeamus, præſertim perſuaſi Dilectiones Veſtras & Vos ad eundem ſcopum collimare velle, quibuscum Nobis jam diu eſt fœdus aut antiquisſima amicitia, horum etiam intuitu, cum Nobis vigore pactorum Polonicorum integrum relictum ſit, quoscunque vellemus in pacis firmitudinem & Gvarantiam poſt Regem Chriſtianisſimum (cujus in hoc publico bono curando tam in Polonia quam Dania maxime conſpicuam fuisſe operam, neceſſe eſt ut fateamur) nominare & adſciſcere Dilectiones Veſtras & Vos potiſſimum ad id officium invitare placuit, ſperamusque a Dilectionibus Veſtris & Vobis impenſe hoc acceptum iri, quos Nobis amiciſſimos eſſe, ac deinceps quoque fore, non ambigua opinione voluimus ominari,

nari, id præterea, ut faceremus, flexit nos non modo, quæ Osnabrugi & Monasterii pridem Vobiscum Nos conjunxit pacis copula, sed etiam quæ Nos invicem porro conjungere debet, mutui commodi, causæque & tranquillitatis communis cura, atque hoc ipso profiteri nihil differimus, Pacis publicæ conditionibus in Westphalia ante duodecim prope annos erectæ, reliqua omnia Nos facile posthabere velle, confidentes, Dilectiones Vestras & Vos in eo quoque futuros, ut paribus Nobis respondeatur vicibus, nec commissuros esse, ut si quæ fuerint in oppositum a pacis osoribus molimina & machinationes structa, vim aliquam acquirant, quin potius communi studio ac ardore id agere nitantur, ut alia antevertantur & in herba supprimantur, ne in nervum erumpentes, saluberrimis hisce pacis conservandæ propositis officere queant. Commisimus quoque de hisce & aliis plura, Consiliario & Residenti nostro ad conventum Imperialis Deputationis, Nobili Nobis sincere fideli Georgio Snoilski dicenda, quem ut audire ac benevolum ei responsum impertiri, Dilectiones Vestræ & Vos velitis, erit id, quod etiam atque etiam rogemus. Quibus Dilectiones Vestras & Vos Divinæ commendamus protectioni. Dedimus Holmiæ die 14. Julii 1660.

*Nomine altissime memoratæ Sacræ Regiæ Majestatis respective Filii Nostri charissimi & Regis ac Domini Nostri clementissimi.*

HEDEWIG ELEONORA.

Petrus Brahe Comes in Wisigburg.
Gustavus Bielcke,

 Wilhelm

Wilhelm Taube.
Ericus Flemming.
Heinrich Horn.
Canutus Knuk.
Magnus Gabriel de la Gardie.
Carl Mörner.
Arhuidus Forbus.
Johann Roſenhahn.
Borſsler Horn.
Georgius Flemming.
Gabriel Oxenſtiern, Comes in Korſch-
holm & Waſa.
N. Totte.
Niclaus Brahe.
Bendictus Horn.
Lorenz Creuz.

Eduard Ehrenſtein.

CCCLXIX.

*Reſponſoriæ a S. R. IMPERII ELECTORUM, PRINCIPUM ET STATUUM DEPUTATIS ad proxime præcedentes CAROLI XI. Svecorum Regis, literas, 1660.*

P. P.

REgiæ Majeſtatis Veſtræ ad Sacri Romani Imperii hic congregatum Deputationis Ordinariæ conventum die 14. præteriti menſis Julii exaratas literas ejus Conſiliarius Reſidens, & ad modo dictum conventum Deputatus, Georgius a Snoilsky

& reddidit, & ea, quæ ulterius in mandatis habuit, oretenus Nobis dextre exposuit. Ex quibus Sacri Romani Imperii Electores, Deputati Principes ac Status, Domini nostri, summa cum lætitia intellexerunt, Regiam Vestram Majestatem eos de pace Polonica & Danica feliciter confecta non solum certiores reddere, verum etiam vigore pactorum Polonicorum eosdem in dictæ pacis firmitudinem & Gvarantiam nominare atque adsciscere voluerit, quo ipso, quemadmodum Regia Majestas Vestra suum pro ejusdem perennitate totiusque Imperii tranquillitate, studium & curam denuo luculenter testata est; ita eidem debitas amplissimasque agunt gratias. Jucundissimum omnino ipsis accidit, quod Ea, laudatissimis Regiæ Majestatis Divi parentis sui, gloriosissimæ memoriæ, in eadem re, & huic conventui sæpius explicatis desideriis, tam fauste ad effectum perductis, initium Regiminis sui a tanto Christianitati, cumprimis vero belligerantibus & Germaniæ saluberrimo opere auspicata fuerit. Gratulantur proinde Regiæ Majestati Vestræ dicti Domini Nostri de restaurata pace quam possunt maxime, & ut inter eandem reliquosque pacis consortes in concordiam & amicitiam nunquam intermorituram coalescat, exoptant, & prorsus confidunt, eam singulari studio & zelo eo propendere, sibique observatione pactorum Monasterio-Osnabrugensium nihil antiquius esse, sicuti tum ex supra dictis ipsius literis, tum etiam Deputati sui propositione abunde constitit. Ac quemadmodum Dom. Dom. Nostri non dubitant, Regiam Vestram Majestatem ex ante-

 actis

actis satis perspexisse, statim ab erumpente ferali illius belli incendio nihil omissum, quod ad arcendum illud ab Imperii limitibus idoneum videbatur; sic etiam a tali promovendæ quietis & securitatis publicæ cura nunquam discedent, confidentes, reliquos Imperii Status tali exemplo incitatos similiter ex parte sua non defuturos, quo unanimi consilio, opera & viribus Pax Monasterio-Osnabrugensis sarta tecta conservetur, & quidquid eandem turbare possit mature præcaveatur. Multum imprimis Regiæ Majestati Vestræ debere se profitentur, quod illos ad consortium sancitæ pacis invitaverit, plane persuasi, Electores, Principes, & Status omnes & singulos gratissimo non minus animo illud in acceptis laturos. Quod superest Regiæ Vestræ Majestati & Nos de tam felici Regiminis sui ingressu, & reddita septentrioni quiete, humillime gratulamur, & Regiam Vestram Majestatem cum Serenissima parente divinæ protectioni, ad prosperos rerum successus, & diuturnam incolumitatem, etiam atque etiam commendamus: Dabantur Francofurti ad Mœnum die 8. Octobris 1660.

## CCCLXX.

*Literæ CHRISTOPHORI CAROLI, COMITIS A SCHLIPPENBACH, Senatoris Regni Sueciæ, ad NICOLAUM IN PRASMOU PRASMOWSKI, Supremum Regni Poloniæ Cancellarium, a quo, ut sibi mentem suam circa fœdus inter utramque gentem communi periculo avertendo pangendum, candide aperire dignetur, modeste efflagitat, 1660.*

Non

NOn vani eventus augurium Excellentia Vestra in novisſimis ſuis expresſit, quo Regnum Sveciæ Poloniæ Regno ad Pacis ratificationem promptitudine haud ceſſurum præconcepit. Ecce enim triduum jam abiit, ex quo Svecica ratificatio in portum Dantiscanum ſubducta eſt, & propediem celebrandum commutationis actum parata præſtolatur. Voluit ſane Suecia complacentiæ ſuæ erga pacem Polonicam ſtudium tali teſtimonio manifeſtare, unde ſimul arctioris conjunctionis propenſio liquidis emergeret veſtigiis. Literæ quippe & Sacræ Regiæ Majeſtatis & Statuum Regni Sveciæ aperte ſatis probatum mihi dant, judicare ipſos eum hoſtem, qui Veſtras nunc exercet vires per temerata leviter fœdera & violatam toties induciarum caſtimoniam juſtæ vindictæ jam tandem maturuiſſe. Quoniam vero Svecia, deguſtatis ſuper ea re ſuaſoriis meis, inſuper etiam pondera rationum coram ex me percipere geſtit, adeoque mihi propediem adeunda eſt: Ideo, priusquam hinc ſolvam, pertentandam ſolida flagitatione Excellentiam Veſtram duxi, ut ſuper toto hoc virium armorumque conſociationis negotio mentem mihi ſuam ſufficienter aperire, & communia communis periculi commoda accurato deſignare penicillo dignetur, quod ſic convenienti inſtructus notitia tanto felicius ex ſententia Excellentiæ & utilitatis publicæ Sacram Regiam Majeſtatem Ordinesque Sveciæ in rem (quod agunt) præſentem deducere poſſem. Habebit Excellentia Veſtra & ſuæ gravis & meæ qualiscunque operæ non leve pretium, poſtquam, magno inclyti Regni Poloniæ incre-

mento, Sveciam in eadem Martis area decurrere senserit. His consultis cœptisque annuet, ut spero, supremum Numen, cujus benevolæ protectioni Excellentiam Vestram cum oblatione officiorum meorum ardenter recommendo. Dabantur Gedani die $\frac{20}{30}$. Julii Anno 1660.

Excellentiæ Vestræ

*ad officia paratissimus Servitor*

Christophorus Carolus, Comes a Schlippenbach.

## CCCLXXI.

*Litera JOHANNIS CASIMIRI, Regis Poloniæ, ad FRIDERICUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum, quibus eum, ne dilationem solutionis æris, tenore Bidgostianæ Conventionis sibi solvendi in sinistram partem interpretetur, amice requirit, eamque finitis Comitiis præstitum iri promittit, 1660.*

Johannes Casimirus Rex &c.

*Serenissime,*

QUemadmodum nihil antiquius habemus, quam ut pacta inter Nos Rempublicamque hanc atque Serenitatem Vestram Bidgostiæ conclusa religiose serventur: ita iniqui hujus temporis rationem in quibusdam ex æquitate habendam esse arbitramur. Præsertim vero cum Regnum hoc tot concussum motibus exhaustum & desertum, magnis adhuc bellis inter potentiam Moscorum & perfidiam Cosacorum pertinaciter huc usque

que luctetur, ac tantum non succumbat. Cum porro summa centum viginti millium thalerorum Serenitati Vestræ in hoc, quod se jam proxime convolvit, atque in Mense Novembri labitur, triennio, a Republica solvenda, ob attritas & accisas publici Ærarii vires, numerari non possit, atque vi pactorum arcis & oppidi Drahim (in extremis Regni nostri cum Marchiæ finibus sitorum) in casu non numerandæ pecuniæ apprehensio debeatur; Ita persuasi sumus, Serenitatem Vestram concussæ hujus, atque laxatæ Reipublicæ fortunis hac in parte consulturam, ut velit Serenitas Vestra & pro insigni sua prudentia, & pro benevolo in Nos & Rempublicam hanc animo, a capessenda memorata arce & oppido, postquam præfixa pactis conventis advenerit dies, abstinere, imo imminentium in Februario Comitiorum, ex publica necessitate celebrandorum tempus, digna tanto Principe moderatione præstolari. Sane illud potissimum tum temporis, inter gravissimas ad publicam tutelam pertinentes curas, & rerum momenta Ordines Regni habituri sunt & contendent, ut Serenitati Vestræ debita ex pactis summa exsolvatur, aut ea deficiente, bona obligata ex consensu totius Reipublicæ fortiori quasi vinculo & majori securitate jure hypothecæ tradantur. Accedit quod & Magnifica Anna Mohilanska, Cracoviensis Palatina, juris sui Adnatalitii in iisdem bonis habiti firmatique recompensationem, tum demum in memoratis Comitiis efflagitabit, cujus rationibus ut ex æquo hac in re Respublica non aliter haud dubie, quam lege publica prospiciet. Enim vero

certo confidimus, Serenitatem Vestram id, quod ab ea amanter flagitamus, facturam, maxime cum id sine dispendio rerum suarum facere; Hoc vero & Rempublicam ad magis merendum de tota Serenissima Brandenburgica Prosapia accendere poterit. Atque his valetudinem successusque prosperrimos Serenitati Vestræ ex animo precati; studia addictionemque Nostram eidem libenter offerimus, Samboriæ, d. 17. Septembris, Anno 1660.

*Inscriptio.*

Ad Electorem Brandeburgicum.

## CCCLXXII.

*Literæ ejusdem cum præinsertis argumenti a JOHANNE CASIMIRO, Poloniæ Rege, ad FRIDERICUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum, datæ, quibus simul vim incolis Majoris Poloniæ, a Præfecto Colbergensi illatam imposterum amoveri, & occupationem Capitaneatus Drabimensis differri cupit, 1660.*

Johannes Casimirus &c.

*Serenissime.*

DEferuntur ad Nos graves querelæ publico nomine e conventu nupero Srodensi Palatinatuum majoris Poloniæ, Præfectum, seu alias Commendantem Serenitatis Vestræ Colbergensem multa licenter & violenter agere, multisque injuriis, Nobiles ac eorum bona in vicino posita afficere,

nec

nec non villas quasdam Capitaneatus Drahimensis plane occupare ausum, ut justa Nobis causa sit amice compellandi Serenitatem Vestram, ne talibus attentatis & ausibus, quibus amicitiæ & bonæ vicinitatis jura læduntur, locum esse patiatur. Cum vero numerandæ pecuniæ, per pacta Bydgostiensia assecuratæ centum viginti millium imperialium, hypothecæ loco dimittendæ in manus Serenitatis Vestræ arcis & Capitaneatus Drahimensis proxime tempus instet, oratu eorundem Palatinatuum & universæ Nobilitatis Majoris Poloniæ interponimus partes Nostras apud Serenitatem Vestram, ne gravetur tantillum moræ tolerare ad proxima duntaxat Comitia generalia Regni, in quibus modus conveniens satisfactionis Serenitatis Vestræ, sine traditione arcis & Capitaneatus Drahimensis (quam multæ & maximæ difficultates ratione controversorum limitum & aliarum differentiarum consequentur) publico Ordinum Regni consilio adinveniatur. Quod Serenitatem Vestram æqui & boni consulturam speramus, ac eidem optimam valetudinem & prosperos rerum successus a Deo precamur, Datum Samboriæ d. 18. Septembr. Anno 1660.

*Inscriptio.*

Ad Electorem Brandeburgicum.

CCCLXXIII.

*Literæ FRIDERICI WILHELMI, Electoris Brandenburgici, ad JOHANNEM CASIMI-*

*SIMIRUM, Poloniæ Regem, apud quem negotium tradendæ Elbingæ illicitis Polonici Commissarii artibus protractum, inopinatisque difficultatibus involutum, graviter conqueritur, 1660.*

Serenissime & Potentissime Rex &c.

CUm post alias atque alias, & inexpectatas plane, Nobisque certe immeritas Deputati ad Elbingæ traditionem Commissarii moras atque tergiversationes, in eo jam essemus, ut delatis super iis ad Regiam Vestram Majestatem justissimis Nostris querimoniis, conveniens ab Eadem & tenori pactorum conforme remedium quæreremus, supervenerunt Nobis Regiæ Vestræ Majestatis Samboria die 5. præteriti mensis Septembris ad Nos datæ literæ, quibus Nos de continuandi belli ratione edocere & de mittendis juxta eadem pacta suppetiis insimul requirere voluit. Quemadmodum igitur pro eo, quo res Poloniæ jam dudum respicimus affectu, inviti omnino accipimus, eam adhuc Reipublicæ impositam esse necessitatem, ut de belli gerendi rationibus agat, atque adversus hostium suorum vim de subsidiis sibi prospiciendum habeat, eidemque plenam de iis victoriam, aut pacem gloriosam animitus optamus: ita merito dolemus, eas a supradicto Commissario in negotio Elbingensi, contra mentem ac verba pactorum Nobis objici difficultates, quæ eorum vim atque fundamentum, si non penitus convellunt, certe mirum in modum conturbant atque labefactant, ut quid inde expectandum aut præstandum Nobis sit, magis

gis magisque dubii ac fere incerti reddamur. Ne enim Majestatem suam latere possit, quid hactenus super ea re utrinque actum sit, & quam prompta a Nostra parte declaratione ea omnia ubique contulerimus, quæ a Nobis, licet intempestive aut nullo adhuc jure peti aut desiderari posse videbantur, statim ab initio, cum tamen ex lege & verbis pactorum Elbinga absque dilatione vel prætensione ulla Nobis tradenda esset, in propositas Nobis tam ratione Postæ Gedanensis, quam sumptuum in præsidium Braunsbergense erogatorum conditiones consensimus, atque passi sumus, ut ad eas, licet nondum debite verificatæ, nec nostræ contra rationes auditæ essent, ita se Nostri declarent, ne ipse Regiæ Majestatis Vestræ Commissarius amplius quidquam in istis Articulis desiderare possit. Cum autem nec hic substitisset sæpius dicti Commissarii conatus, ac plus semper petendi licentia, is nova subinde ac plerumque impertinentia cumularet, ea in accipiendis atque complanandis iis Nostra fuit æquitas & patientia, ut satis appareat, Nos rei quovis tolerabili modo finiendæ omnem operam impendere voluisse. Quo tamen ipso haud aliud effectum, quam ut is in proposito suo magis magisque fieret pertinacior & post vix ac ne vix quidem compositas, quæ Legatis Nostris intercedebant cum ipso, controversias, easdem tandem ad alios cum civitate Elbinga tractatus rejiceret, novam scilicet porrecturus altercandi materiam, quam vix mensium aliquot spatium absolvere queat, imo quæ fortassis nunquam finem acceptu-

ptura ſit, quippe cum talia jam immiſceantur poſtulata, quibus ſalvis pactis aſſentiri minime Nobis integrum eſt. Atque hæc quidem omnia licet per ſe gravia atque indigna, tamen eo usque toleranda Nobis viſa fuerunt, quod ſæpius dictus Legatus alio Nobis principio agere viſus ac ſpes fuit, eum tandem melioribus rationibus locum facturum. Verum cum is deſtinatis ſuis inhærere atque id plane intendere videatur, ut neutiquam ad poſſesſionem dictæ urbis pertingere poſſimus, neſcimus ſane, quo pacto in eo negotio ulterius progredi, aut quid ad ejus conſummationem amplius ſuſcipere debeamus. Et licet tam alienis, tam bonæ fidei contrariis, tam non ſolum Nobis vere injurioſis, ſed etiam Regia Veſtra Majeſtate indignis, aures accommodare & Legatos porro Noſtros adhibere minus e re & dignitate noſtra videri poſſit; Vocat tamen nos alias concepta erga Regiam Veſtram Majeſtatem fiducia, apud quam querelas hasce & geſtæ rei modum deponere, & ejus deſuper reſponſum medelamque expectare voluimus, haud dubitantes, talem Regiæ Veſtræ Majeſtatis voluntatis futuram ſignificationem, ex qua tradita Nobis absque protelatione ulteriori Urbe, conſtare poſſit, Legatum ſuo potius ductu, quam Regiæ Veſtræ Majeſtatis mandatis, rei, quæ jam dudum confici debuerat, inutiles & non neceſſarias remoras injeciſſe. Non permittet Regia Majeſtas Veſtra ſperamus, ut interceptum tamdiu juris Noſtri fructum, neque tantum valuiſſe & geſti ſimul belli & pacis una con-

ditæ

ditæ memoriam, quantum minutiorum quorundam respectum & unius civitatis, cui tamen in iis, quæ ipsi jure competunt, nihil detractum cupimus, prætensa commoda, doleamus: imo pro innata sua prudentia facile judicabit, quo id orbis, & præcipue eorum, qui his tractatibus interfuerunt, judicio futurum sit; Polonia certe veteres amicos & socios in dolorem curamque conjiciet, ac novos vix acquiret, si communem causam in hac Nostra tantopere vulnerari animadverterint. Imo periculum est, ne ipse tandem Deus vindex & ultor fœderum, malis, quibus alias citissime Nos omnes exsolvi atque penitus liberari ex animo optamus, remedium afferat. De Regia autem Majestate Vestra firmiter atque plene persuasi sumus, eam solenniter antea pactorum & verbo quoque Regio erga Legatos Nostros posthac firmatorum memorem, haud passuram, ut illis cujusquam hominis arbitrio quicquam decedat; quin potius facturam, ut ea in suo robore atque vigore perdurent, & ad seram usque posteritatem inviolata permaneant. Quo ipso, sicut Regia Majestas Vestra acquisitam fidei & constantiæ laudem tuebitur & augebit; ita nos vicissim non ad ea tantum, quæ ex pactis Nobis incumbunt, sed alia etiam & majora quoque boni vicini & amici studia ac officia paratissimos habebit, neque committemus unquam, ut Regiæ Majestati Vestræ & Reipublicæ Poloniæ necessariis eis temporibus defuisse jure argui possimus. De cætero eandem divinæ protectioni fidelissime commendamus, atque Regiæ Majestati Vestræ omnia felicitatis incrementa appre-

apprecamur. Dabantur Coloniæ ad Spream octava Octobr. Anno 1660.

Regiæ Majestatis Vestræ &c.

*Cognatus, Affinis & Frater studiosissimus*

Fridericus Wilhelmus, Dei Gratia Marchio Brandenburgensis &c.

CCCLXXIV.

*Responsoriæ JOHANNIS CASIMIRI, Poloniæ Regis, ad præinsertas FRIDERICI WILHELMI, Electoris Brandenburgici, literas, quibus ipsi par pari refert, 1660.*

Serenissime.

COincidit in idem ferme tempus, ut & Commissarius Noster Generosus Uladislaus Naglovice Rey, Thesaurarius Curiæ Regni, a commisso sibi munere Elbinga redierit, literæque ad manus Nostras delatæ essent, a Serenitate Vestra prolixam incusationem prædicti Commissarii Nostri continentes; quasi ab ipso studiose conquisitis difficultatibus, dictæ civitatis traditio Commissariis Serenitatis Vestræ hucusque esset præpedita. Pronum & facile fuit dicto Commissario ea omnia, quæ eidem imponebantur, apud Nos diluere, eamque ipsam retardationis hujus culpam in ipsosmet Commissarios Serenitatis Vestræ regerere, per quos, in confesso est, hanc ipsam, qualis qualis negotii hujus protelatio secuta est, stetisse: ut jure magis merito ii ipsi a Serenitate Vestra hujusce moræ

moræ damnari debuiſſent, quam Noſter Miniſter ob eam incuſari, qui intra cancellos ſuorum mandatorum ſeſe continens, ita ibidem geſſit, ut omni prorſus culpa vacuum ſublimi ſuo Serenitas Veſtra eundem judicio abſolutura ſit, ubi rei geſtæ ſeriem plane perſpectam habuerit, qui noſtro quidem arbitrio innocens eſt. Enimvero ſi ea mens Commiſſariis Serenitatis Veſtræ ex æquo reſpondendi fuiſſet, æquiſſimis poſtulationibus Noſtris tam vigore amotionis Magiſtri Poſtarum e Civitate Gedanenſi, quam reſtitutionis Braunsbergæ in defalcatione meritiſſima eorum, quæ in præſidium Civitas illa erogavit, & in abrogatione inſoliti hactenus trajectus per Viſtulam aliisque ſimilibus, in quibus æquiſſimam Serenitatis Veſtræ expectavimus ſatisfactionem, opus illud e voto confectum fuiſſet. At cum complacere ſibi in eo viſi ſunt, ut partim procraſtinationibus declarationum, partim earundem immutationibus vel abſonis interpretationibus conceſſa ſemel iterum revocando, aut conſtitutorum vigorem elevando, ludificantibus ſimiles, in ſeptimanas & menſes propria libidine ſemper inutilibus & Serenitate Veſtra indignis concertationibus producerent, omnis ab illorum parte culpa ſtetit. Negotium certe, cujus cauſa ſolius ſæpe dictus Commiſſarius Noſter illic tædioſas ducebat moras, jam oblatum habuiſſet exitum, brevique dierum curriculo terminatum fuiſſet, ſi par ſtudium conſervandæ amicitiæ ſemper vicinis opportunæ, contuliſſent ipſi. Poſt tot enim interpoſitas moras & tergiverſationes in promptu erat Commiſſario Noſtro tradere

Elbingam, quod se facturum obtulerat, Magistratumque præsente Commissariorum Serenitatis Vestræ Secretario eam ob rem monuerat, qui pariter jussa sibi a Nobis proposita, nil detrectando nonnulla tantummodo postulata, utpote securitatem jurium & immunitatum suarum, quæ illis lege quoque pactorum provisa est, concernentia porrexere, a quibus se ita alienos, ita difficiles Commissarii Serenitatis Vestræ præstitere, ut ne responso quidem hujusmodi propositiones incolarum dignati, inanes votorum supplices dimiserint, tametsi idem sæpedictus Commissarius Noster operam suam componendis e pactis utriusque commodo intercedentibus difficultatibus offerret. Ex quo Commissariorum Serenitatis Vestræ processu nemo non judicabit, penes eos culpam moræ hujus stetisse, cujus noster adeo arguitur. Ita porro velimus sibi persuadeat Serenitas Vestra, nil antiquius esse, foreque semper Nobis, quam fidem semel datam retinere & conservare cuivis, utpote cujus nunquam naufragium fecimus, nec judicium cujusque tribunalque famæ hac in re formidamus, nil talium conscii, quæ vel minimo existimationis Nostræ dispendio pensanda forent. Inviolata retinere pacta cum Serenitate Vestra Nobis animus semper est eritque, ac eundem Serenitati Vestræ inspirari e cœlo optamus, ut majorem in observandis porro fœderibus diligentiam, quam hactenus, adhibere velit, in qua nonnihil interea desideratum est, cum nec præterito bello Suecico, exercitu 6000. armatorum in Prussia, fide dictorum pactorum promissa, unquam assistere Serenitatem Ve-

Vestram Nobis Reique publicæ Nostræ viderimus, & cum a tanto tempore mille quingentos pedites pro Moscovitico præstolamur bello. Quæ Serenitati Vestræ insinuanda censuimus, amice & christiane commonefactam cupientes, ne merito ira Numinis illi ob minus religiose servatam fidem pactorum, incumbat. Nobis certe nihil est, eritve magis curæ & sollicitudini, quam in Nostris semper partibus Serenitatem Vestram conservare, ad quas suscipiendas nulli parcitum est pretio. Quibus Serenitatem Vestram Divini Numinis tutelæ ac curæ commendamus, prosperosque rerum successus ex animo apprecamur. Dat. Cracoviæ, die 18. Octob. Anno 1660.

## CCCLXXV.

***Literæ commendatitiæ Wolfgango Casparo Clengelio, a JOHANNE GEORGIO II. Saxoniæ Electore, ad FERDINANDUM II. Magnum Hetruriæ Ducem traditæ, 1660.***

**P. P.**

EX mandato Nostro, iter in Italiam facienti dilecto Nobis ac fideli Nostro, inter Nobiles cubicularios & Architecturæ civilis ac militaris supremo Inspectori Wolfgango Casparo Clengel specialiter injunximus, ut Dilectioni Vestræ officiorum Nostrorum studia & integerrimi affectus sedulam continuationem declararet, deque sanitatis suæ statu se diligenter informaret, sperantes non nisi lætum & exoptatum de hoc nuntium accepturos, qui fausta quævis ac salutaria Ei quam

plenissime apprecamur. Placeat igitur Dilectioni Vestræ accessum prædicto Clengelio benevolenter permittere, ipsiusque personam omni gratia fovere, quod uti gratissimum certe Nobis eveniet; ita desideriis Dilectionis Vestræ pari officiorum promptitudine Nos responsuros fore hisce constanter pollicemur. Dilectionem Vestram, quod superest cum serenissima familia, divinæ Protectioni ex animo commendantes. Dabantur in Electorali Nostra Dresda, die 15. Mensis Octobris, Anno Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo.

## CCCLXXVI.

*Literæ LEGATORUM BRANDENBURGICORUM, ad ULADISLAUM NAGLOVICE REY, Polonicum in tradendæ Elbingæ negotio Commissarium, quem, ne discessu suo adhuc conventis moram injiciat, amice monent, 1660.*

### Illustrissime & Excellentissime Domine Legate.

Siquidem ex contentis literarum Excellentissimi Domini Supremi Regni Cancellarii, Secretario Legationis Nostræ communicatis, evidenter patet, Excellentiæ Vestræ traditionem Elbingæ denuo esse demandatam: tanto major subit animum nostrum admiratio, quod Excellentia Vestra post bimestres tractatus, accelerato discessu suo ad aulam Sacræ Regiæ Majestatis, negotium abrumpere velit. Nos non detrectabimus omnia conventa non tantum manuum nostrarum subscriptio-

ptione firmare, sed & sine mora exequi, quam primum traditionis Elbingæ, sub qua conditione omnia stipulata conclusaque fuere, certi erimus. Hac vero denegata, nemo nobis rei male gestæ culpam imputare poterit, si ad ea, quæ vice versa promissa sunt, nos non obstringamus. Speramus autem, Excellentiam Vestram pactorum publicorum exindeque dependentis salutis patriæ communisque quietis & tranquillitatis potiorem, quam privatorum judiciorum rationem habituram, neque nisi peracto hoc negotio publico, hinc discessuram. Si vero immota stet sententia, hoc tamen fruemur solatio, non per nos stetisse, quin omnia pro firmanda magis magisque Principum nostrorum amicitia perfecta fuerint, neque si quidquam adversi exinde emergat, nobis ulla ratione imputari posse, qui votis desideriisque Excellentiæ Vestræ eousque detulimus, quod in negotio citra ullas dilationes & prætensiones præstanda plurima obtinuerit. Insuper si quid ultra privato nomine præstari poterit, nihil a nobis desiderari passuri sumus. Dab. Mense Octobr. Anno 1660.

Legati Brandenburgici.

*Superscriptio.*

Ad Illustris. Dominum Uladislaum Naglovice Rey, Legatum Polonicum.

CCCLXXVII.

*Litera* SENATUS ROSTOCHIENSIS, *ad* GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, *quibus sibi literas intercessionales*

 *ab*

*ab eis ad Regem Sueciæ suæ civitatis causa datas, ob vitium in titulo Regis observatum remissas esse nuntiat, seque aliis in optima forma scriptis ab onere per vectigal Warnemundense sibi incumbente levari, humiliter precatur, 1660.*

## Præpotentes Ordines &c.

QUas ad Serenissimam Regiam Majestatem Suecicam, Telonii Warnemundensis abrogandi causa a Præpotentibus Dominationibus Vestris ita pridem impetravimus intercessionales, humillimo ac gratissimo non solum suscepimus animo, sed etiam protinus Stockholmiam misimus, earumq; decentem insinuationem alicui nobis noto demandavimus, magna spe freti, fore ut haud minimum ex iis afflictissima nostra civitas sentiret commodum atque emolumentum. Oblatæ quidem a mandatario nostro præfatæ intercessionales debito loco, sed infelici fato post eædem a Secretario Regio integræ restitutæ fuere, hac allegata causa, quod inscriptio earundem præ se ferret titulum Regium minus rite conceptum. Remisit itaque mandatarius nobis inopinato ipsum originale, una cum notula quadam tituli Regii novissimi, ex cujus collatione deprehendimus in rubrica intercessionalium omissam esse voculam Livoniæ, quam aliter ille titulus Careliæ proxime subjunctam exhibet. In cæteris vero nullam conspicere potuimus differentiam. Quid jam facto porro opus sit, præ nimia animi perturbatione, ex insperata remissione suborta, hæsitamus: navis illa interea bellatoria Suecica portum nostrum War-

Warnemundensem hodienum occlusum tenet, & durissimum vectigal a præternavigantibus in libero mari extorquet, insuper vice impensarum, quas pro retinenda navi facere coguntur, augmentum, (quod Lastgeld vocitant) nunc duplicatum a singulis navibus tam vacuis quam onustis exigit, adeo ut ni justissimæ nostræ causæ interpellatione & intercessione Superiorum Deo sic disponente succurratur, Rostochii Civitatis inter Hanseaticas quondam florentissimæ interitus ipso pacis tempore sit metuendus. Ad Præpotentes itaque Dominationes Vestras velut libertatis Commerciorum amantissimos. denuo accedimus, & ut miserrimæ atque afflictissimæ conditionis nostræ intuitu vel priores intercessionales, quarum authenticum penes nos asservatur, immutare, vel etiam alias de novo in optima, quod dici solet, forma ad Serenissimam Regiam Majestatem Suecicam exarare haud gravatim velint, anxie contendimus. Facient hoc ipso rem non solum nobis gratissimam, sed & posteritati nunquam satis deprædicandam, nosque vicissim cum posteritate nostra omni officiorum genere hanc nobis exhibitam gratiam demereri studebimus. Datum Rostochii, die 9. Novembris, 1660.

Præpotentium Dominationum
Vestrarum

*Humillimi*

Consules, Proconsules & Senatores Rostochienses.

 CCCLXXIIX.

## CCCLXXIIX.

*Literæ FRIDERICI WILHELMI, Electoris Brandenburgici, ad JOHANNEM CASIMIRUM, Poloniæ Regem, quibus ipsi destinatum sibi iter in Ducatum Clivensem eique adsitas Provincias significat, ac Elbingæ confestim tradendæ suarumque Provinciarum curam & protectionem amice commendat, 1660.*

### Serenissime ac Potentissime Rex &c.

TEnuit Nos per hos dies continua eaque indubia plane spes, fore, ut de tradenda Nobis absque mora & cunctatione ulteriori Elbinga, propiora a Regia Vestra Majestate mandata accederent, eademque Nobis adhuc in præsentiarum causa esse poterat, destinatum nobis in Ducatum Nostrum Cliviæ eique adjacentes provincias iter eousque differendi, donec ei negotio suprema antea manus imposita fuisset. Verum cum ea tum hyberni temporis tum etiam status nostri ratio sit, ut nisi magno cum rerum nostrarum dispendio illi itineri amplius supersedere minime possimus, Deo duce, illud propediem ingredi parati sumus, præsertim cum eo proposito, Nos minime cunctari, quin potius omni ex parte securos esse jubeat Regiæ Vestræ Majestatis perspectus Nobis benevolus, & ut pactorum fidei ac religionis tenacissimus, sic ab omni prorsus vel minima injuriæ specie abhorrens animus, de quo uti jure merito optima quæque Nobis pollicemur; ita superfluum plane existimamus, pluribus hic repetere, quæ jam

jam ſuper ea re prolixius ad Regiam Veſtram Majeſtatem perſcripſimus, ad quæ tale omnino reſponſum expectamus, quod Nos in realem dictæ civitatis poſſeſſionem inducere, omniq; prorſus neceſſitate, non tantum toti orbi rem, quomodo geſta eſt, publice demonſtrandi, ſed etiam iis, ad quos id ſpectat, querelas Noſtras exponendi liberare queat. Quod reliquum eſt, Regiæ Veſtræ Majeſtati durante hac Noſtra abſentia, vicinarum ſibi provinciarum Noſtrarum curam ac protectionem de meliori commendantes, ei viciſſim omnia, quæ a Nobis proficiſci poſſunt ſtudia & officia deferimus, & a Deo Optimo Maximo cum longæva ac proſpera valetudine felicem Regni & fortunarum decurſum ex animo optamus. Dabantur Coloniæ ad Spream die 12. Nov. Anno 1669.

Regiæ Majeſtatis Veſtræ

*Cognatus, Affinis & Frater ſtudioſiſſimus*

Fridericus Wilhelmus,
Elector &c.

## CCCLXXIX.

*Reſponſoriæ JOHANNIS CASIMIRI, Poloniæ Regis, ad FRIDERICI WILHELMI, Electoris Brandenburgici, præinſertas literas, 1660.*

NUperrimæ Serenitatis Veſtræ literæ 12. Nov. perſcriptæ duplex Nobis exhibuere argumentum; alterum, quod Serenitas Veſtra de præpropero itinere ſuo in Cliviam Nos reddit certiores, alterum, quo poſtulat, mora omni ſecluſa tradi ſi-

bi Elbingam. Utrumque Nos accepimus eo sensu, quem in Nobis excitat & cognati animi, fraternæque necessitudinis in Serenitatem Vestram semper propensissima voluntas, tum etiam sacrosancte firmatorum fœderum nullum unquam a parte Nostra vitium passura memoria. Unde sicuti recessus hic Serenitatis Vestræ non potuit esse Nobis non injucundus, cujus propriore vicinia semper gaudemus, ita hoc Serenitatis Vestræ iter votis prosequimur, ut Deus ter optimus ter maximus, illud quam maxime prosperet, & eandem quantocyus feliciter huc reducat. Cæterum cum non exigua hactenus intercesserint impedimenta, per Commissarios Serenitatis Vestræ causata (prout id literis nostris proxime præteritis Serenitati Vestræ aperuimus) quo minus præfatum Elbingense negotium, ad optatum finem perduci potuerit, tum hoc ipsum iter Serenitatis Vestræ nequaquam Nobis ex usu venit, longiora utique responsa, super eorundem resolutione, a Serenitate Vestra præstolaturis. Quandoquidem neminem ex Ministris Serenitatis Vestræ præsto habemus, cum quo e propinquo conferre possimus, ut Dominus Overbeck (qui paucos ante dies in aula nostra comparuit) nullis se instructum a Serenitate Vestra asserit mandatis, mirantibus pene Nobis, qui fieri possit, ut Serenitas Vestra urgendo tantopere rerum suarum exitum, & tamen media, quæ ad facilitandum negotium omnino habentur necessaria, declinet; Nos uti rectæ ac optimæ intentionis Nostræ securi existimus; ita non Orbis duntaxat, sed ipsius quoque Serenitatis Vestræ censura, ab omni prorsus

ſus ſuſpicione conquiſitæ moræ abſolutos Nos fore ſperamus, ſi Serenitas Veſtra pluſculum cognatæ neceſſitudini, juſtiſſimisque rationibus Noſtris, quam ſuo ipſius deſiderio liberaliorem ſeſe exhibebit, nec querelarum ſed æquitatis adminicula cauſæ ſuæ pondus adjicere velit. De cætero qua Serenitatem Veſtram complectimur benevoli animi teneritudine, pari affectu ditionibus Serenitatis Veſtræ non deerimus, ſi per modernam ejusdem abſentiam, quapiam in re Noſtro indiguerit favore, protectioneve. Optimam interim a Deo valetudinem & proſperos ſucceſſus Serenitati Veſtræ ex animo precantes. Dabantur in Regia Noſtra Cracovienſi die 21. Menſis Decembr. Anno 1660. Regnorum &c. &c.

Johannes Caſimirus Rex
Poloniæ &c. &c.

CCCLXXX.

*Literæ CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad FRIDERICUM III. Daniæ Regem, cui de Regno Daniæ hæreditario jure in ipſum poſterosque ejus translato impenſe gratulatur, 1660.*

Carolus Dei gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei Defenſor &c. &c. Fratri, Conſanguineo & Amico Noſtro chariſſimo, ſalutem perpetuamque felicitatem!

*Sereniſſime & Potentiſſime Princeps, Frater, Cognate & Amice chariſſime.*

QUamvis poſt felicem & pacatum Noſtrum ad avita Regna & Dominia reditum, lætitiæ & gra-

gratitudini Nostræ erga propitium Numen effusissimæ nihil fere accedere posse videretur, eosdem tamen effectus in animo Nostro luculentius accendi & majorem in modum augeri sentimus, ex nuncio illo e Dania Nobis acceptissimo, nempe Ordines Regni in ejusmodi consilia sana & honorifica tandem consensisse, ut Coronam Serenitati Vestræ posterisque Regiis hæreditariam fore prudenter consenserint, unanimiter statuerint. Ita quidem, ut a natura & amicitia comparatum est, ut pro conjunctissimis rerum Nostrarum rationibus bonorum & malorum, quæ ad Serenitatem Vestram pertinent, expertes esse nequeamus, eoque impensius gratulamur, quod post tot labores ac difficultates a Serenitate Vestra forti & constanti animo superatas, hanc quasi mercedem retulerit Deus, ut populus Vester sponte declararet, neminem præter Serenitatem Vestram atque ex Ipsius genere oriundos sibi unquam placere posse, adeoque æterna lege sanciret, se Vobis solum fide immutabili semper obnoxium fore. Quod in pacem Regnorum Vestrorum & Evangelicæ rei utilitatem, felix, faustum ac perenne Serenitati Vestræ Suæque Regiæ Familiæ, faxit Deus, precamur. Dabantur e Palatio Nostro Westmonasteriensi die 3. Decembris Anno Domini 1660. Regnique Nostri duodecimo

Serenitatis Vestræ

*bonus Frater & Cognatus*

Carolus.

CCCLXXXI.

CCCLXXXI.

***Literæ SENATUS CIVITATIS MONASTERIENSIS, ad PLENIPOTENTIARIUM SUUM Hagæ Comitum degentem, cui curam rerum suarum sollicite committit, 1660.***

ACcepimus & cum summa tristitia legimus extractum Registri de 28. Octobr. quia vero præcipue tuæ & Statuum Generalium literæ cum aliis interceptæ sunt ab Episcopo, nec nobis possibile quenquam e gremio nostro emittere, Doctori Marle vicino commisimus, ut te humanissime salutet & de statu nostro inquirat, rogantes fidelem constantemque operam suam nobis impertiri dignetur ulterius: quippe durissimum, iniquissimum & sanguineis lachrimis deplorandum censemus, si hæc Civitas pace & bello famosa, tot avitis privilegiis clara, per projectum nobis inauditis conceptum, quod certo pro pacto aut mutuo contractu non haberi, minus exequi potest facto Ordinum Generalium, in turpissimam ac perpetuam servitutem redigi debet. Episcopus sæpius dixisse fertur: Ordines vel me, vel urbem decipient. In nos, proh dolor! cecidit. Vox populi est & sine gravi & injustissima injuria denegari non potuit: audiri debuimus, nec innocentes & inauditi per projectum condemnari. Sed quod si a Cæsare nondum arctiora mandata advenerint, nec propinqua spes eorum affulgeat, nos de his primitus avisati mentem nostram super projecto finaliter sine mora aperiemus, petentes, ut si fieri possit, salvus conductus pro uno aut altero ex gremio nostro

noſtro ad vos deputando, ad tractandum & tranſigendum ſuper projecto per Ordines, vel Reſidentem Cæſaris ab Epiſcopo obtineatur; Interim via ad hoc ibidem aperta conſervetur, nec noceat, ſi forte hic cum Epiſcopo nos tractare ſpargeretur. Optaremus quoque ſcire tenorem literarum Ordinum aliarumque interceptarum. Valeat & faveat conſtanter. Monaſterii die 13. Dec. Anno 1660.

CCCLXXXII.

*Litera JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad FERDINANDUM II. Magnum Hetruriæ Ducem, cui de feliciter contracto filii primogeniti cum Principe Aurelianenſi matrimonio gratulatur, 1661.*

P. P.

QUo evidentiora mutuæ inter Nos benevolentiæ extant monumenta; eo Nobis auditu jucundiores ſunt, quas florentisſimæ Dilectionis Veſtræ Domui majores indies magnitudinis precamur accesſiones. Accepto igitur de lætioribus inter Serenisſimam Margaritam Aloyſiam Gaſtonis Ducis olim Aurelianenſis Filiam & Serenisſimæ Domus Veſtræ Principem primogenitum matrimonii non ſine Numinis divini providentia ineundi auſpiciis nuncio exhilarati, Eidem de proſpero cœpti operis ſucceſſu magnopere gratulamur, atque adeo ut fauſta ex omni parte connubii vota eſſe jubeat, qui omnis boni autor eſt, animitus vovemus. Agnoſcimus ſane in eo, quod rem adeo gratam communicandam Nobiscum duxit, Dilectionis Veſtræ haud vulgaris in Nos affectus argu-

argumentum; Noſtræque vicisſim in ſe voluntatis integerrimæ, pro antiquo illo necesſitudinis jure, probandæ occaſionem nullam unquam a Nobis omiſſum iri, perſuaſum ſibi, velimus, habeat. Quam de cætero ſalvam ex voto florentemque cum ſerenisſima Domo divinæ protectioni officioſe juxta & ſedulo commendamus. Dabantur Dresdæ die 7. Maji Anno 1661.

## CCCLXXXIII.

*Litera ab ORDINARIA S. R. IMP. DEPUTATIONE, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, cui cauſam Comitum de Naſſau Saarbrücken & Baronum de Sickingen, reſtitutionem Comitatus Saarwerdenſis &c. a Duce Lotharingico præſtandam ſpectantem, ſollicite commendant, 1661.*

Sereniſſime & Potentiſſime Rex Chriſtianiſſime, Domine clementisſime.

CHriſtianisſimæ Regiæ Maj. Veſtræ hisce humillime exponimus, Sacri Rom. Imp. Electoribus & Deputatis Principibus & Statibus, Dominis noſtris ex ulteriori Comitum de Naſſau-Saarbrucken hic exhibito memoriali innotuiſſe, quod ratione reſtitutionis iis & Baronibus ac Nobilibus de Sickingen ex Inſtrumento pacis Monaſterio-Osnabrugenſis debitæ in tractatu inter Regiam Majeſtatem Veſtram, & Serenisſimum Lotharingiæ Ducem, Pariſiis nuper concluſo aliquid contineatur, & quemadmodum Regia Majeſtas Veſtra eum ad executionem modo dictæ reſtitutionis obſtringere quidem voluerit, deinde vero ſua Serenitate quæ-

dam

dam a Vice-Cancellario Imperii, Comite Curtio, ſubſcripta pacta allegante, eaque nomine Statuum in novisſimis Comitiis Ratisbonenſibus conventa ſecum & approbata aſſerente tandem acquieverit, reſervata tamen libera ſibi facultate cum Statibus Imperii in iis, quæ ad promovendum hoc negotium adhuc decernere poſſent, juxta memoratæ pacificationis diſpoſitionem concurrendi. Prout tamen hæc Reg. Majeſt. Veſtræ reſervatio modo dicto Inſtrumento Pacis conſentanea, & evidens laudatisſimæ ſuæ, pro ejusdem plenaria executione & conſervatione, ſollicitudinis & ſtudii argumentum eſt; Ita non dubitamus, quin etiam Reg. Maj. Veſtra ex noſtris, 13. Octobris anni proxime elapſi, exaratis literis probe intellexerit, ſupra dictum Tractatum Ratisbonenſem ex cauſis allegatis imperfectum, totumque negotium penes diſpoſitionem Inſtrumenti pacis manſiſſe, ac Status Imperii ab omni obligatione prorſus liberos eſſe: E contra vero Serenisſimum Lotharingiæ Ducem, tanquam Con-Statum Imperii legibus obnoxium, & conſequenter ad executionem pacis Monaſterio-Osnabrugenſis, pro ſanctione pragmatica in dictis Ratisbonenſibus Comitiis recepta, absque ulla contradictione & exceptione teneri. Cum itaque eidem Sereniſſimo Duci remorata tractatio Ratisbonenſis nihil juris tribuat, ac præfata reſtitutio Comitum de Naſſau & Baronum Nobiliumque de Sickingen tam in Caſtrum Homburg & Comitatum Saarwerdanum quam in Oppidum & Caſtrum Landſtul, in inſtrumento pacis deciſa ſit, eamque Legati Gallici, tam Norimbergæ, quam

Ratis-

Ratisbonæ instantissime urserint, & prætractæ tractationi tanquam Instrumento pacis repugnanti, semper contradixerint, nec dubitemus, eandem mentem Majest. Vest. adhuc fore. Hinc pro ampliori informatione cum suo hic Residente Consiliario Status & Deputato de Gravell hoc de negotio agere, nec non ad Majest. Vestram supra dictorum Dominorum nostrorum sensa per illum deferre e re visum fuit. Ac velut iidem sibi plane pollicentur, Regiam Majestatem Vestram quibusvis, ad promovendam sæpe memoratam restitutionem, idoneis mediis ex sua parte non defuturam; sic & gloriæ suæ hoc reliquum accedet, & Principes nostri propensissimamMajest.Vestræ pro pace voluntatem iterum agnoscent, dicti vero Comites, Barones atque Nobiles humillime demerebuntur. Quo Christianissimam Regiam Majestatem Vestram divinæ protectioni obnixe commendantes, ei prosperos rerum successus, cum perenni incolumitate, animitus apprecamur. Dabantur Francofurti ad Mœnum XIX. Maji Anno 1661.

## CCCLXXXIV.

*Literæ JOHANNIS CASIMIRI, Poloniæ Regis, ad LEOPOLDUM, Romanorum Imperatorem, quibus ab eo, ut Franciscum de Lisola, Legatum suum, sibi rationibusque suis valde molestum, revocare haud gravetur, obnixe contendit, 1661.*

**P. P.**

Aliquot jam effluxere menses, ex quo apud Majestatem Vestram institimus, ut generosum

Franciſcum de Liſola, qui negotia Majeſtatis Veſtræ in aula Noſtra hactenus curavit, ſubmiſſo in locum ejus alio Miniſtro, revocaret. Quod ardentius Nobis apud Majeſtatem Veſtram iterandum venit, poſtquam tum alias, tum præcipue ſub tempus moderni conventus (a quo per leges Regni ſubmoveri poterat, niſi Majeſtatem Veſtram reſpexiſſemus) adeo ſe negotiis conſiliiſque Noſtris immiſcuit, ut non ſolum inſciis Nobis, ſed contra Noſmet ipſos Domumque Noſtram multa inconſulte vel malo conſilio dixerit feceritque. Cum tamen utut in Regno ex pluribus Statibus compoſito, is apud Nos a Principum Legatis ſervatus ſit mos, ut omnia ad Nos ipſos legibus ſic volentibus referrent. Sed aliter agendum erat homini contra Nos Sereniſſimamque Reginam, Conſortem Noſtram charisſimam, loquuturo, nec niſi clandeſtine proponi poterant ea, quibus disſenſum inter Principes & Ordines Regni parabat. Atque omnem hunc illicitum eo direxit conatum, ut infracta inter Nos & ſubditos confidentia negotium electionis intervertat, a quo tamen & ſalus Regni Noſtri pendere videtur, nec ſpes Auguſtæ Majeſtatis Veſtræ Domus excludentur. Nec minus Nos movet, quod eadem proponendi & retractandi felicitate omnem jam verecundiam conſumſerit: Certe fidem apud Nos conſumpſit. Exinde ipſi ſignificare curavimus, ut Nos in poſterum ſcripto tantum adiret, quo firmius ſuper ab eo propoſitis conſultari poſſit, nec Nobis gravis ſit, & grandibus rebus tractandis detrahat præſentiam hominis, cujus infeſtum animum experimur. Majorem

jorem

jorem itaque in modum a Majeſtate Veſtra poſtulamus, ut dictum generoſum Liſolam ab aula Noſtra revocare velit, ſubſtituto alio, qui ex mente Majeſtatis Veſtræ negotiis incumbens proprii affectus impetu per transverſum non agatur. Cæterum in hoc Noſtro poſtulato, non minus rem Majeſtatis Veſtræ, quam Noſtram agimus, ita conſtanter ſperamus & cupimus Majeſtatem Veſtram eſſe perſuaſam, nihil Nos facere aut unquam facturos, quod mutuam inter Nos obſervantiam & conſanguinei amoris nexum quoquo modo invalidare poſſit, quod primum venturo Majeſtatis Veſtræ Miniſtro plenius & efficacius teſtabimur. Interea Majeſtatem Veſtram divinæ protectioni commendamus. Dabantur Varſoviæ die 18. Junii Anno 1661.

## CCCLXXXV.

*Literæ GUSTAVI ADOLPHI, Ducis Megapolitani, lineæ Guſtrovienſis, ad CAROLUM XI. Sveciæ Regem, apud quem inhibitionem operis ad Oſtium Warnæ juſſu Regio exſtruendi, & abrogationem telonii ibidem conſtituti inſtanter urget, 1661.*

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex, Domine Conſanguinee & Amice charisſime plurimumque honorande.

ETſi non dubitamus, quin Regiæ Veſtræ Dignitati in recenti adhuc vigeat memoria, quoties ſuper nimis duro telonii onere, quod civitas noſtra Roſtochium multos abhinc annos ſuſtinuit,

conquesti apud Eandem sumus : necessitatem tamen hanc justissimas Nostras querelas hac de causa repetendi, imposuit Nobis novi operis in nostro territorio prope Warnemundum exstructio, quod non ita pridem Gubernator Wismariensis, Dominus Mardefeldt, terras Nostras armata manu ingressus, ad expressum, uti dicit, Regiæ Vestræ Dignitatis mandatum moliri cœpit, eo ipso tempore, quum persuasum Nobis haberemus, Nostras tot vicibus in justissima hac causa iteratas justissimas preces apud Regem justissimum locum tandem inventuras. Verum, cum Regia Vestra Dignitas non solum desiderio Nostro æquissimo adhuc dum attendere, sed præterea quoque fortalitium, ad exigendum porro telonium in territorio Nostro extruendum curare voluerit, non possumus, quin contra inceptum hoc novum opus quam solennissime protestemur, & Nobis omnia jura, jurisque remedia, adversus id ipsum hisce expresse reservemus: Regiam autem Dignitatem vestram iterum rogemus, ut pro sua innata generositate, pro Nostra justa causa in nostram gratiam opus hoc inhibere, & Civitatem nostram Rostochium durissimo hoc telonii onere, quod juxta ac singuli Nostri subditi, cum præfecturis præsertim Nostri Ducatus, persentimus, liberare velit. Respiciat igitur Regia Vestra Dignitas petitum Nostrum, quod nonnisi summo jure & æquitate nititur, neque permittat, ut contra Sacri Romani Imperii constitutiones & inveteratam inter inclytæ Sveciæ Reges Nostrosque progenitores, amicitiam tali modo tractemur. Etenim certi sumus,

mus, si præsens hæc Civitatis Nostræ, omniumque Nostrorum subditorum calamitas Regiæ Vestræ Dignitatis æquitate & matura inhibitione sublevetur, summum ejus nomen & gloriam non parum auctum iri, & Deum insuper (justum omnium judicem) pro exhibita hac Nobis justitia justum aliquando præmium Regiæ Vestræ Dignitati elargiturum: Quem ex animo precamur, ut Regiam Vestram Dignitatem longissimis annis, optatisque rerum successibus beare dignetur. Dabantur ex arce nostra Gustrovii, die 19. Junii Anno 1661.

Regiæ Dignitatis Vestræ

*Observantissimus Consanguineus*

Gustavus Adolphus.

CCCLXXXVI.

*Responsoria CAROLI XI. Svecorum Regis, ad præinsertas GUSTAVI ADOLPHI, Ducis Megapolitani literas, quibus sibi in portubus & littoribus Megapoleos omnibus singula telonii jura vigore Pacis Westphalicæ competere, demonstrare conatur, 1661.*

Carolus, Dei gratia, Svecorum, Gothorum, Wandalorumque Rex & Princeps Hæreditarius &c.

*Illustrissime,*

Literas Dilectionis Vestræ de die 19. Junii nuper præterlapsi in arce Gustrovio datas, ante hos paucos dies accepimus, quibus Dilectio Vestra

non modo de duro nimis telonii onere, quod civitas ejus Rostochium multos abhinc annos sustinuit, conqueritur, sed etiam de novi, ut vocat, operis Nostri prope Warnemundum extructione querelas suas fundit, quasi telonii in territorio ejus porro exigendi causa fortalitium extruere curemus; quo nomine quam solennissime protestatur, & omnia jura jurisque remedia sibi reservat, Nosque rogat, ut sicuti petitum ejus non nisi summo suo jure & æquitate nitatur, non permittamus, ut contra Sacri Romani Imperii constitutiones & inveteratam inter inclytæ Svediæ Reges ejusque progenitores, amicitiam tali modo tractetur, quemadmodum dictæ literæ hujusmodi pluribus indigitant. Quibus ut ordine respondeatur, fatendum est, non sperasse Nos futurum, ut in re omnium clarissima & de jure Nobis debita, a Dilectione Vestra vel ejus Domo, de qua Antecessores Nostri nihil non meriti videri possint, controversia Nobis moveretur, sed eam saltem gratiam habituram fuisse, ut, quod Imperator de consensu totius Imperii Nobis concessit, ejus quietum saltem usum Nobis non invideret. Cum vero res eo provehatur, ut beneficiis præstitis non modo nulla gratia rependatur, sed etiam odium pro meritis referatur, adeoque juribus nostris perpetuis veluti vis palam inferatur, necessitas Nobis imponitur, id prolixius hac occasione explicandi, quod æquitas causæ Nostræ meretur. Duo vero insimul hic Nobis, si controversiæ, quam nobis Dilectio Vestra facit, statum inspicimus, objiciuntur: primum, quod ejus subditos & præfecturas, impri-

imprimis Civitatem Roſtochienſem, duro telonii onere aggravemus: deinde etiam quod fortalitium, tanquam novum opus, incipiamus. Ad ambo ut efficienter reponatur, omnium primum de Noſtro telonii jure, poſtea vero de ſequenti controverſiæ membro disquiramus. De priori ut veritas & meritum cauſæ ſibi conſtet exemplo, ad inſtrumentum pacis Weſtphalicæ tanquam ad normam & cynoſuram nobis recurrendum eſt. Monſtratur autem ibidem evidentiſſimis verbis, conceſſa Nobis eſſe moderna vectigalia (vulgo Licenten vocata) ad littora portusque Pomeraniæ & Megapoleos, jure perpetuo; ſed ad eam taxæ moderationem reducenda, ne commercia in iis locis intercidant. Qui paragraphus, quamquam nulla ſua vocula obſcurus eſſe videatur, ut tamen a Dilectione Veſtra melius intelligatur, nonnulla veritatis eliciendæ & roborandæ cauſa, putavimus hic repræſentanda eſſe. Ea vero conſiſtunt in ipſius paragraphi ſede & loco, qui hic merito ad genuinum ejus intellectum venit conſiderandus; tum in verbis ipſis, quæ utique ſunt apertiſſima; & denique actitatæ controverſiæ in tractatu tam circa concinnationem ſatisfactionis Svedicæ, quam poſtea in ſolemnibus ipſius tractatus actibus. Quod locum concernit, mox obſervandum venit, præmiſſa, & in præcedentibus paragraphis articuli X. Inſtrumenti pacis conceſſa, pro Svecis non fuiſſe in ſufficientem & plenam ſatisfactionem recenſita & agnita, ac proinde nonnulla additamenta & auctaria fuiſſe appoſita, interque ea telonii hanc conceſſionem fuiſſe numeratam, quæ defectum

ſuperiorum ſupplere juvaret. Eſt ergo hujus paragraphi locus ab ipſius Civitatis & portus Wismarienſis conceſſione, quæ §. 2. Imperator &c. exprimitur, ſingulariter diſtinctus, ut inique plane adeoque ſiniſtre agant, qui eundem ſic explicant, ut vectigalia tantum intelligenda eſſe in locis ceſſis, eaque ad Wismarienſem portum ita reſtringenda cenſent, ut pro reſtitutione locorum, in bello a Svecis tunc occupatorum, & pacis obtinendæ cauſa, acquiſitorum præterea ad reliqua littora & portus Megapoleos, jure Noſtro Nos privare contendant. Plane ii quidem contra veritatem paragraphi pugnant, quandoquidem porro in ipſis paragraphi verbis clariſſime conceduntur, moderna vectigalia, hoc eſt, omnia ea, quæ tempore belli ad omnia littora & portus fuerunt impoſita, aut imponi potuerunt. Horum verborum perſpicuitate nihil omnino eſſe poteſt dilucidius: explicantur tamen præterea per verba pluralis numeri, ad littora nempe & portus, non duorum tantum, Wismarienſis & Warnemundenſis, ut initio hujus negotii tractabatur, nec etiam ſolius Civitatis Wismarienſis, quæ cum ſui portus liberrima diſpoſitione in ſuperiori paragrapho ſeparatim conceſſa fuit, ſed Megapoleos in genere, &, ne meritis Regni Sveciæ in tranquillitatem communem, adeoque Domum Megapolitanam, fraus fieret, cum manifeſta ſua extenſione ultra loca in Megapoli ceſſa: adeo, ut nullum littus aut portus Megapoleos hodie ſit, vel dehinc commerciis exercendis inſtitui poſſit, qui non Nobis & Regno Sveciæ vigore hujus paragraphi vectigal debeat; Acci-

cipienda enim sunt verba ob compensationis favorem (quo modo de hoc jure merito hic loquendum est) in populari suo sensu & propria significatione, nec restrictio ulla admittenda est, nisi quæ in Instrumento pacis expresse ostendi, aut ibidem admissa probari possit. Etenim, si talis restrictio vel exceptio admissa fuisset, ejus utique vestigium aliquod in unica nostra regula & norma, hoc est, publicæ pacis tabulis, quæ a tot Interessentibus & in conspectu totius Europæ, condebantur, omnino appareret: nunc vero deficiente tali clausula salvatoria, cujusmodi in instrumento pacis alias non est, ubi justa & necessaria visa est, non solennis & frequentissima, mirum est, Dilectionem Vestram velle imaginaria & mentali quadam exceptione manifestum Nobis & in Legibus pacis radicatum jus restringere & disputare. Notum quidem est, quod perfectionem & subscriptionem negotii satisfactionis æquivalenti etiam Ducibus Megapoleos proviso nonnullos Mechlenburgicos Deputatos (ac inter eos præcipue Rostochiensem) tam per se, quam per alios, non quidem in modum contradictionis, sed amicæ commendationis, Legatis Svedicis persuadere conatos esse, ut paragraphus Ad hæc &c. ita secundum sensum eorum formaretur, ut vectigalia in locis tantum cessis caperentur: sed cum post subscriptum satisfactionis punctum Legatis Svedicis integrum non esset quicquam immutare, nec talis immutationis, postquam Domus Megapolitana reddito æquivalente paulatim sedaretur, ut subesset ratio, nihil, ac ne tum quidem, cum Instrumentum pacis suis jam

R 5 parti-

partibus integratum omnibus prælegeretur ( unicuique tamen copia facta de ſuis neceſſariis admonendi ) vel ſubſcriptione facta communicaretur, amplius quod ad eſſentiam rei aliqnid faceret, motum eſt quidpiam. Cum ergo & ſede ipſa in inſtrumento pacis, a conceſſione Wismarienſis portus diverſa, hoc jus Nobis ut ſupra additum quoddam conceſſum ſit, verbis vero tam liquidis, ut nec circa tractatum contraria conantibus ullus relictus ſit locus; credimus hinc ſatis liquere veritatem paragraphi, & qua æquitate Dilectio Veſtra proteſtetur, juraque telonii Noſtri ad littora & portus Megapoleos ſua contradictione impedire inſiſtat, ac ad ſummum quoddam jus ſuum, quod per ſe, in literis ſuis tantopere provocet. Juſtior omnino Nobis cauſa ſubeſt, de iniquitate Domus Megapolitanæ & inprimis civitatis Roſtochii, querendi, quod videntes cauſæ Noſtræ juſtitiam, eidem tamen principalium paciſcentium conventione & totius Imperii judicio & conſenſu æquiſſimæ judicatæ, nihilominus imminuere & detrahere, quantum in iis eſt, tranquillitatis publicæ cuſtodiam & uſum, quæ in unico pacis inſtrumento unice requieſcit, concutere aggrediantur, dicto tantum argumento a tolerabilibus quibusdam ſuorum ſubditorum incommoditatibus, cum æquum potius ſit, ut reſpiciant, quid a Nobis jure fiat, & quid Nobis per pacem competat, quam, quod ipſorum ſubditis ex integro uſu fiet. Cautum vero eſt, pacis publicæ legibus, adeoque a Nobis danda opera, ne per immoderatam taxam commercia intercidant, quin, quo fuerint fre-

frequentiora, hoc juri noſtro majoribus commodis conducerent. Nunc igitur, ex quo, quod demonſtratum fuit, juris Noſtri vectigalium, ad littora & portus Megapoleos perpetuo posſidendorum, liquidisſimas rationes expoſuimus, ad alterum epiſtolæ momentum veniamus. Non exiſtimamus, excidiſſe Dilectioni Veſtræ memoria præteritorum nuper temporum acta, & quanta cum modeſtia & amicitiæ teſtificatione anteceſſores Noſtri in hoc ſeſe negotio ſemper geſſerint; eamque rogamus, velit apud ſe Dilect. Veſtra juſta penſitare lance, quanta Nobis fiat injuria, ſi qualecunque munimentum hoc juris Noſtri contra prætenſum jus ſuum, contra conſtitutiones Imperii & inveteratam Regum Sueciæ cum progenitoribus ejus amicitiam interpretetur. Etenim hoc fortalitium non novi inceptum operis eſt, utpote quod ante complures annos in defenſionem juris Noſtri, usque ad proxime præteritos ratione motuum Polonicorum tumultus, & donec de tuto exercitio iſtiusmodi juris certiores foremus, retinuerimus. Atque ejus rei non unica ſubeſt cauſa. Præterquam enim quod tenore inſtrumenti pacis & Receſſus Norimbergenſis ſancitum eſt, ut locorum reſtitutio tum demum fieret, cum vicisſim inſtrumento pacis juſta eſſent facta, & ad peculiares conventiones minutiora remiſſa obſtacula complanarentur; natura ipſa & rei ratio poſtulat, ut priusquam certi ſimus de ſecuro & commodo juris Noſtri uſu, ſolita & in hoc tempus uſitata ſecuritate Nobis provideamus. Nunquam autem in cauſa fuimus, ut hæc res non amice complanaretur, imo multis

vici-

vicibus anteceſſores Noſtri pronos ſe exhibuerunt ad juſtam compoſitionem. Per Dilectionem Veſtram atque ejus Conſortes hactenus ſtetit, quo minus votis Noſtris & anteceſſorum Noſtrorum ex ſententia ſuccederet; quandoquidem & tempore Sereniſſimæ Reginæ Chriſtinæ & Divi Parentis Noſtri, Regis Caroli Guſtavi, frequenter omnino actum eſt de horum obſtaculorum remotione; & quamquam res videretur exiguæ difficultatis, hactenus tamen non licuit id obtinere, quin iniquo quoque tempore Noſtro, cum tot hoſtibus premeremur, deſuper ea Nobis a Roſtochienſibus illata eſt injuria, ut eorum, & conſilio & auxilio (atque, ut vulgatum eſt, certis etiam ſubſidiis ſuis) Fortalitium, quo ad tuendum jus Noſtrum, donec aliud mutuum ſtatueretur, uſi ſumus, ſolo æquaretur: non alio fine, quemadmodum illorum literis proditum eſt, quam, ut deſtructione Fortalitii facta jus telonii contra planiſſima Inſtrumenti pacis verba Nobis pariter everterent, aut ſi leges & fides publica id minus permitterent, ſaltem hoc efficerent, ut quod Nobis jus acquiſitione per quam magnis conſtitit impenſis, majoribus dehinc defenſione & uſu ipſo conſtaret. Sed pace Olivenſi cum nihil in Imperii Romani rebus immutatum ſit, controverſiæ vero ejus in priſtinum ſtatum reverterentur, locaque priora, tam in Megapoli quam Pomerania, art. 22. Nobis reſtituerentur, utique ſine prævia communicatione Nobis licuiſſet, priſtinam, unde per iniquitatem temporis, & injurioſa Roſtochienſium cooperatione, præſidium Noſtrum ejectum fuit, occupare poſ-

ſeſſio-

ſeſſionem, donec de loco exigendorum vectigalium rite conveniretur. Alium enim, quam Warnemundum, ut Cæſareani reſtituerent, nullus in Megapoli locus occupatus erat. Sed vero, ut omnia amicabilia prius experiremur, eamque quam cum Vicinis par eſt colere, amicitiam requireremus, hoc dedimus propinquitati communi, ut per tribunalis Wiſmarienſis Protonotarium Fridericum Paſcovium rurſus id flagitaremus, quod alias rei ratio Nobis decrevit. Nihil autem aliud requiſivimus, quam ut locus Nobis deſignaretur, ubi dicta telonia tuto & commode exigi poſſint, & de hac re tandem finaliter diſpenſaretur. Tantum vero abfuit, ut talis propoſitio in animum Dilect. Veſtræ admitteretur, ut ingrata potius deprehenderetur adeo, ut non modo juſtiſſimæ requiſitioni Noſtræ nulla omnino gratia fieret, ſed & hoc ageretur, ut ipſum jus Noſtrum in periculo conſtitueretur. Ergo faciendum utique fuit, ut juris Noſtri exercitio antiqua tuitione conſuleretur. Optaſſemus, Roſtochienſes hanc Nobis neceſſitatem non impoſuiſſe, ut deſtructione veteris fortalitii ad labores & impenſas novas Nos cogerent, ſumptibus Noſtris utilius fuiſſet conſultum: Nunc vero ſuper illatam Nobis injuriam, & pragmaticæ Imperii Conſtitutionis contemptum, hujus inſuper incommodi Nobis cauſa fuerunt. Supereſſent per Dei gratiam media, quæ vindictæ copiam facere poſſent; Sed quemadmodum Fortalitii reparatione aliud nihil intendimus, quam ut navigantium debitum ſolvatur, & juris Noſtri aliqua ratio habeatur, ita hiſce profitemur & proteſtamur, Nos

quo-

quoque nil contra tranquillitatem publicam moliturος, nec contra Imperii Romani constitutiones aliquid commissuros esse, aut antiquius habituros quidpiam, quam præscripto Instrumenti pacis tenaciter inhærere. Quod vero antiquam inter Antecessores Nostros Reges Sueciæ & suos progenitores amicitiam recordari amet, hoc quidem auditu & perceptione Nobis est jucundum, ac eandem quidem Nos etiam, ut & necessitudinem sanguinis, aliaque amici animi pignora magni omnino facimus, nec charius aliquid habemus, quam eandem, Majoribus Nostris mutuis officiis & beneficiis traductam, in posteros transmittere posse: Et, si virtutem Dilectionis Vestræ conjectura assequi licet, fas est, ut credamus, apud eandem adhuc oblivione non deleta esse merita Regum, Gustavi Adolphi patris, & filiæ ejus Christinæ, in Domum Megapolitanam. Judicet orbis, utrum aliqua Domui Vestræ amicitiæ argumenta denegarint. Sane, si mortalium vices animo altius reputare sustinuerit, causam haud dubie habitura est, cur antiqua beneficia grati memoria animi replicet. Non libet eadem nunc repetere, saltem cuperemus, Dilectionem Vestram in memoriam vocare velle, quanto cum periculo & sumptu Regni Nostri Dilectionis Vestræ patri & patruo Ducatibus suis ejectis, cum Princeps alius in locum eorum esset investitus, restitutionem procuraverint. Si in vicem memoris animi telonii jus amplissima sua extensione Antecessoribus & Regno Nostro sponte obtulisset, haudquaquam in debitam meritis gratitudinem eandem peccasse quispiam a studio

par-

partium paulo remotior facile dixerit. Eam tamen ubique adhibitam esse ab hac parte moderationem & benignitatem ipsa, necesse est, fateatur, ut non modo pristinæ suæ Dignitati Domus ejus restituta sit, sed etiam, ne periisse ei quidpiam conquerendi causam haberet, sub titulo æquivalentis, duo insuper hæreditarii principatus, totidemque commendæ, bina ad Albim vectigalia, bini Canonicatus & superpondii loco ducenta thalerorum Imperialium millia addita sunt, non ullo de publica re Domus Vestræ merito, sed ut Regni Sueciæ benignitatem & locupletem compensationem experiretur, ac patientius ferret, quæ Nobis & Regno Nostro concessa essent exigua ad Ducatus sui Littora & portus vectigalium jura. Cum itaque hisce meritis hocce periculo, & impensis jus Nostrum acquisitum sit, atque in legibus Pacis sub cautione fidei publicæ palam fundetur, alienum utique a Justitia nemo æquanimis censuerit, si illud, quod perpetuo Nobis datum est, porro exerceamus, & consueto modo, donec aliter convenire licuerit, conservare & manutenere persistamus: Pollicemur tamen, & denuo atque ultro hisce Nos offerimus, sicuti intuitu alio nullo Fortalitii possessionem circa Warnemundum, quam ob tuitionem juris Nostri recuperamus, ita simul a Dilectione Vestra & ab ejus Domo facta Nobis de eo controversia mutua transactione, si cessaverit, ut in certo aliquo loco vectigalia tuto & commode exigi possint, Nos idem Fortalitium destructum rursus evacuare, atque seposita dehinc omni inutili inter Vicinos & Consanguineos contentione, ami-

amicitiam, tot retro ſeculis Noſtros Anteceſſores Reges Sueciæ inter & progenitores Dilectionis Veſtræ non ſine commodis maximis cultam, eodem tenore & decentibus ſtudiis porro proſequi velle; Idque facturi ſumus tanto propenſius, quanto & vicinas utriusque Noſtrum ditiones & ſanguinis maxime neceſſitudinem Nos eo per officiorum reciprocationem merito ſollicitare intelligimus. Quibus Dilectionem Veſtram Divino Numini commendamus. Dedimus in Arce Noſtra Holmenſi, die 13. Julii, Anno 1661.

*Nomine altisſime memoratæ Sacræ Regiæ Majeſtatis reſpective Filii Noſtri Charisſimi, ut & Regis ac Domini Noſtri Clementisſimi*

HEDWIG ELEONORA.

Petrus Brahe, Comes in Winſingsborg, Reg. Suec Drotzetus.

Magnus Gabriel de la Gardie, R. S. Cancellarius.

Lorenz v. der Linde, loco R. S. Mareſchall.

C. G. Wrangel, R. S. Archithalaſſus.

Guſtavus Bonde, R. S. Theſaurarius.

Eduardus Ehrenſtein.

CCCLXXXVII.

*Litera LEOPOLDI Rom. Imperatoris, ad FRANCISCUM DE LISOLA, Legatum ſuum,* qui-

*quibus ipsum, qualem se circa differentias inter semetipsum & Aulam Poloniæ exortas gerere debeat, instruit, dulcique constantis gratiæ suæ promissione solatur, 1661.*

Leopoldus, Divina favente clementia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus &c.

*Honorabilis, fidelis, dilecte.*

Literas tuas undecima hujus datas accepimus, & ex iisdem fusius percepimus, quod nomine Serenissimi Regis Poloniæ Episcopus Varmiensis & Palatinus Pomeraniæ te convenerint, dictusque Episcopus tibi objecerit primo Gerardinum nomine tuo Palatino Plocensi significasse, a Serenissima Regina in Successorem filium Principis Condæi destinatum esse: Secundo Serenissimam vim meditari & minus intentare ad procurandam decisionem istam: Tertio adesse illic Condæi Secretarium: Quarto, Serenissimam velle Gallis Prussiam tradere, & quinto eandem convenisse cum Suecis. Cumque nomine dicti Serenissimi Regis idem Episcopus requisiisset, an, quibusque indiciis, & quo fine ista dixisses? ac tu ad singula respondendo modum & rationem dictorum vel non dictorum ultro ipsi explicasses, idem tibi denunciavit: Serenissimum Regem apud Nos eo nomine querelas suas depositurum, qui desideret, ut interim a conspectu ejus abstineas, donec tota res elucidata fuerit: Cumque ulterius rescivisses, a Serenissimæ Reginæ clientibus etiam alia, de quibus a dictis

Commiſſariis nulla fuiſſet facta mentio, quaſi a te dicta in vulgus ſpargi: exegiſſe te a Gerardino, ut ſub juramento conſignaret, quid tu eidem ad dictum Palatinum Plocenſem deferendum commiſiſſes, idque is præſtitiſſet, amandaſſe te cum ea depoſitione virum minime ſuſpectæ fidei ad dictum Palatinum Plocenſem, qui eundem requireret atteſtari, an quid plus minusve, quam illa depoſitione contineretur, ad ipſum per memoratum Gerardinum fuiſſet delatum: Cumque is negaſſet, plus minusve, quam ſibi communicatum fuerat, ea contineri, prout relatio a delegato tuo ſubſcripta demonſtret: ſubinde miſiſſe ad binos ſupra nominatos Senatores, & novum cum ipſis colloquium ſuper prædictis propoſuiſſe: Et cum productis dictis inſtrumentis apud eosdem non modo quoad prædicta objecta, ſed alia etiam in vulgus ſparſa te purgaſſes, requiſiiſſe, quandoquidem totum fundamentum querelarum Regiarum in relatione Palatini Plocenſis ſit poſitum, tametſi id quidem dicta depoſitione Gerardini, & agnitione Palatini Plocenſis ſit dilutum; ut ipſi tamen pro majore rei dilucidatione unum ex ſuis ad eundem Palatinum Plocenſem cum dicta depoſitione & declaratione mitterent, rei penitus explorandæ cauſa: de quo cum ipſi defectu mandati ſe excuſaſſent, remque minime neceſſariam judicaſſent; ſuaſiſſent tamen, ut potius Regi ipſi dictam declarationem Gerardini conſignandam curares: huic te conſilio non defuiſſe: Et expectare etiamnum Sereniſſimi Regis ſuper ea ſenſum. Demum cum dubitares, an Serenitas ſua per præmemoratum inter-

di-

dictum intenderet te, etiam quatenus Legatum & Ministrum Nostrum, a functione tua excludere; petiisse ab eodem audientiam, ad quædam ex mandato Nostro ad illum referenda: quæ audientia negata tibi fuerit, addito responso, quod si quid referendum haberes, id scripto faceres: a quo tamen tibi abstinendum putaris: ac de his omnibus ad Nos referendum duxeris. Quemadmodum igitur recte & ex officii tui ratione fecisti, quod de his omnibus accurate & sine mora edocere Nos voluisti; ita miramur sane, quod cum jam ante octiduum fama ipsa nuncia de hoc facto aliquid huc delatum sit, a Serenissimo Rege tamen vel ejus nomine de eo hactenus nihil ad nos fuerit perscriptum, magis autem id mirum Nobis accidit, quod Serenissimus Rex cum literis suis vigesima tertia Maji proxime elapsi ad Serenissimum patruum Nostrum Archiducem Leopoldum Wilhelmum perscriptis in genere aliquid de aversione contra te concepta insinuasset, non expectato ullo responso tam grave contra te decretum, antequam auditus esses, decernere, & de facto exsequi voluerit, contra plane non modo amicitiæ illius tam cordialis, & tot necessitudinum tam arctis inter Nos vinculis colligatarum rationem; sed morem etiam quoad publicas hujusmodi legatorum personas ubivis gentium usitatum: ut jam taceamus, quod ne tu quidem ex propria persona tua ejusmodi aliquid improperium commeruisse censeri possis apud quenquam Regiminis publici in illo Regno participem, quippe quorum nemini tui pro eodem Serenissimo Rege Reginaque & Regno gravissimis ipsorum

temporibus exantlati labores, adita graviſſima pericula, ſuperatæ feliciter plurimæ graviſſimæ difficultates poſſunt eſſe ignotæ. Verum de his memorandi tum erit tempus opportunius, quando Sereniſſimi Regis querelæ ad Nos deferentur. Nunc cum non videamus, quo fundamento illud tam grave contra non te magis, quam Nosmet ipſos latum decretum ſuſtinere queat: Omnino autem cenſeamus recte & prudenter a te factum eſſe, quod quæ ad ſalutem & tranquillitatem conſervandam non modo inclyti illius Regni, ſed vicinorum quoque & totius Chriſtianitatis pertinere viſa ſunt, modeſte cum apud primarios ipſiusmet Regis & Regni Miniſtros, tum apud Regem Reginamque ipſam citra ullius hominis juſtam offenſionem monuiſti: Ita te in eo officio tuo porro dextre & modeſte continuare, & quoad apud Sereniſſimum Regem Reginamque coram agere tibi interdictum eſt, id apud eosdem Miniſtros & Senatores ac hoc imprimis agere volumus, ut ſi quid, quod non ſperamus, contra bonæ viciniæ & ſecuritatis Noſtræ rationes a quoquam agitari ſentias, ei evertendo, omnem operam naves, ac Nos quam ſæpiſſime & accuratiſſime de occurrentibus certiores facias; Prout in fide & rerum uſu tuo omnino confidimus. Cæterum celandus non es, quod cum curſor ille, quem tu cum literis quarta hujus exaratis ad Nos expediviſſe ſignificas, in Polonia ipſa ſpoliatus fuerit, etiam dictæ literæ tuæ eidem ereptæ fuerint. Quod reliquum eſt, gratia tibi Noſtra Cæſarea conſtat. Dabantur in Civitate Noſtra Viennæ, die vigeſima quarta Junii, Anno Domini

mini millefimo fexcentefimo fexagefimo primo, Regnorum Noftrorum, Romani tertio, Hungarici fexto, Bohemici vero quinto.

LEOPOLDUS.

*Ad mandatum Sac. Cæf. Majeft. proprium.*

J. Walderode.

CCCLXXXIIX.

*Literæ WENCESLAI COMITIS DE LESNO, Archiprafulis Gnefnenfis, ad FRIDERICUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum, quibus dilatam denuo Elbingæ traditionem excufare fatagit, 1661.*

Serenisfime Princeps Elector, Domine & Amice Colendiffime.

QUæ pro confueta Nobis totique huic amplisfimæ Reip. in Serenitatem Veftram obfervantia & propenfione, de tradenda Elbinga, in proxime præteritis Regni Comitiis egimus, ea Serenitati Veftræ Illuftrisfimos & Excellentiffimos Dominos Legatos relaturos non dubitamus. Huic tamen, quæ facta eft, prorogationi, dedit caufam ingens Reipublicæ hujus graviffimorum negotiorum moles, & præfertim imminens exercituum, ob dilata ftipendia, confœderatio, cum Ampliffimi & Nobiliffimi Ordines inteftino huic periculo & malo prius & ante omnia alia, præfenti rerum temporumque motu, medendum, & quantocyus obviandum

 effe,

esse, prudenter censuerint; Nobis sane nihil serius antiquiusque erit, quam amicitiam Serenitatis Vestræ omni meliori ratione tueri, & iis rebus studere, quæ vicinitatis leges, & sacrosancta pactorum fides sibi de jure vindicare videntur; Prout etiam confidimus Serenitatem Vestram, paria semper Serenissimo Regi Domino Nostro Clementissimo & toti Reipublicæ relaturam, affectumque eisdem suum conservaturam. De cætero Serenitatem Vestram divinæ tutelæ ex animo commendamus, & studia officiaque Nostra Eidem Serenitati Vestræ prolixe deferimus. Dabantur Varsaviæ, die 15. Augusti, 1661.

Serenitatis Vestræ

*Ad officia Paratissimi Amici*

Wenceslaus, Comes de Lesno,
Archiepiscopus Gnesnensis, meo & totius Senatus nomine.

## CCCLXXXIX.

*Litera JOHANNIS GEORGII II. Saxonum Electoris, ad FERDINANDUM II. Magnum Hetruriæ Ducem, quibus ipsi pro transmissis sibi raris muneribus ingentes grates referens, paria, data occasione, sinceri amoris documenta promittit, 1661.*

Serenissime Princeps, Domine & Amice Charissime.

INtentos Nos ac sollicitos, quibus mediis ob elegantissima ista munera Nostram probaremus gra-

gratitudinem, quæ Nobis Dilectionis Vestræ Nomine Consiliarius Noster ac Status Secretarius, Gabriel Voigt, ex commissione per Literas Domini Abbatis Marchetti paris officii apud Dilectionem Vestram Ministrum, egregium Virum, sibi facta, nuper tradita fuerunt, supervenit novum aliud idque non minus valde gratum ac rarum Nobis donum, duo nempe Leones, pulchra & generosa animalia, quæ Theriotropheum, quod in Electorali Nostra Dresda habemus, singulariter decorabunt, sicut & superius memorata arte simul ac pretio suo æstimanda munera, pro eximio Nostri Technophilacii ornamento asservanda curabimus. Cum igitur Dilectioni Vestræ Nos, qui alias affectus sui ac benignitatis præclara experti sumus testimonia, ita devincire placuerit, Nostrum est gratissima semper hæc recolere memoria, omnibusque invigilare occasionibus, quibus aliquo gratitudinis argumento parem animi indefessi ac officiorum promptitudinem declarare poterimus. Interea Dilectioni Vestræ optimam incolumitatem ac serenissimæ suæ Domui prosperrima quæque animitus apprecamur. Dabantur Zabeltizii, die 1. Octobris, Anno 1661.

## CCCXC.

*Literæ recredentiales, a LEOPOLDO, Rom. Imperatore, Legatis Suecicis, recipiendæ Investituræ Germanicarum Provinciarum ergo missis, ad CAROLUM XI. Suecorum Regem traditæ, 1662.*

LEOPOLDUS, Divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac superioris & inferioris Silesiæ, Wurtembergæ & Teckæ, Princeps Sueviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi & Goriziæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac superioris & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, portus Naonis & Salinarum, &c. Serenissimo & Potentissimo Principi, Domino Carolo, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi, Magno Principi Finlandiæ, Duci Scaniæ, Esthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stettini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandaliæ, Principi Rugiæ, Domino Ingriæ & Wismariæ, Comiti Palatino Rheni, Duci Bavariæ, Consanguineo & Fratri Nostro Charissimo, salutem cum omnis boni incremento.

*Serenissime & Potentissime Princeps, Consanguinee & Frater Charissime.*

Literas Nobis Serenitatis Vestræ, die secunda mensis Octobris anni proxime præteriti, exaratas, quibus Nos imprimis de suo in nos propensi animi affectu certiores facere, ac præterea promptum suum Nobis & Sacro Romano Imperio, ea, quæ sibi ratione feudorum ab iisdem Nobis & Sacro

cro

cro Romano Imperio dependentium incumbunt, præſtandi deſiderium exponere voluit, ejusdem Ablegati Plenipotentiarii Magnificus & honorabilis, ſincere Nobis dilecti, Petrus Sparre, Baro in Engſoö, ſupremi Judicii Regii, quod eſt Stockholmiæ, Vice-Præſes, David Mevius, ſummi Tribunalis Wismarienſis Vice-Præſes, Hæreditarius in Zarrenthin & Baggendorff, & Suederus Theodoricus Kleyhe, Regiminis Ducatuum Bremenſis & Verdenſis Conſiliarius, Hæreditarius in Coravia &c. decenter reddiderunt, ſimulque qua viva voce, qua ſcripto, quæ eo pertinebant, quam accuratisſime explicaverunt. Quemadmodum igitur Nos Serenitatis Veſtræ optimam erga Nos conteſtatam voluntatem perquam grato animo accepimus, eidemque omnibus mutuæ amicitiæ & benevolentiæ officiis reſpondere admodum cupimus: Ita ad negotium Inveſtituræ quod attinet, nulla ſane in Nobis, quin actutum compleretur, erat difficultas, niſi quædam circa id poſtulata fuiſſent, de quibus utpote inevitabilem Inſtrumenti pacis interpretationem incurrentibus, cum Noſtris & Sac. Rom. Imperii Statibus conferre neceſſe fuiſſet viſum: Prout Serenitas Veſtra cum ex prædictis Ablegatis ſuis (quibus ſane nulla in explicandis urgendisque rationibus ſuis cura vel ſolertia defuit) tum ex reſponſis Noſtris iisdem datis uberius intelliget. Et cum hic de exigui temporis diſpendio agatur, quo conſultatio prælibata cum Statibus, in Comitiis jam præſentibus peragatur: Omnino confidimus, exiguam illam & neceſſariam moram a Serenitate Veſtra non aliter quam a nobis inten-

S 5 ditur,

tia extraordinarium aliquem Legatum sufficienti instructione & Plenipotentia munitum mittere statuimus, ut de negotiis ibidem incidentibus tractare & concludere queat; interim vero dum ille ad locum Comitiis destinatum pervenire possit, e re esse duximus, ad eundem locum præmittere Dominum de Gravell consilii Nostri Status Secretioris consiliarium, quem ad Vos mittimus, mandato & plenipotentia instructum, ad tractandum Nostro nomine, de omnibus iis rebus, quæ tam executionem & conservationem supradictæ pacis quam Nos concernere poterunt, & sicuti ad hanc functionem ei injungendam non tantum Nos permovit cognitio & praxis, quam de Germaniæ rebus sibi acquisivit, verum multo magis, id studium, quod juxta mandata Nostra ad ejusdem utilitatem & quietem promovendam ubique palam fecit; Ita Nobis pollicemur, quod eandem ob causam amicabiliter a Vobis suscipietur & audietur, quod ut faciatis, Vos rogamus, nec non fidem integram ei præstetis, omnibus iis in rebus, quæ Nostro nomine vobis significabit, vel maxime cum sinceram nostram intentionem, in omni eo, quod pacis in imperio observationem vestrorum privilegiorum & libertatis uniuscujusque ejusdem membri, secundum Imperii Constitutiones & Westphalicæ pacis tractatus conservationem concernere videbitur. Qua in re referentes Nos ad ea, quæ dictus Dominus de Gravell fusius Vobis exponet, has literas ulterius excrescere non patiemur, Deum rogantes, ut Vos, charissimi & magni amici, custodi-

ſtodire & protegere dignetur. Datum in St. Germano in Laya, die 1. Sept. Anno 1662.

*Signatum*

LUDOVICUS.

De Lomenie.

CCCCXIII.

*Litera JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad MARCHIONEM DE LA FUENTE, Hiſpaniarum Regis Extraordinarium ad Aulam Cæſaream Legatum, cui pro fida ſtatus ſui relatione gratias agit, ac res in Gallia e voto geſtas gratulatur, 1662.*

Sereniſſime Hiſpaniarum Regis Legate Excellentiſſime.

PRiſtinam in aula Cæſarea Legati Extraordinarii Provinciam placitis Regiis Excellentiæ Veſtræ decretam eſſe, ex literis Veſtris eo libentius cognovimus, quo propiores inde Nobis voluntatis Noſtræ Eidem declarandæ naſcentur, occaſiones. Quas ut frequentiores ſubinde deſideremus, cum regia ipſa quæ a Vobis jam diu præclare agitur cauſa, tum vel maxime agentis facit dexteritas, & quæ meritorum Veſtrorum in orbe extant veſtigia. Quod autem edoctos Nos de ſtatu ſuo Excellentia Veſtra voluit, in eo agnoſcimus ſtudioſi in Nos animi Veſtri perſeverantiam, Eidemque de fauſto propediem in Germaniam Noſtram reditu, non minus ac de rebus hactenus in Gallia feliciter geſtis benevole gratulamur. Quam ſimul divinæ Protectioni commendatam volumus. Dabantur Dresdæ die 3. Octobris 1662.

CCCXCIV.

CCCXCIV.

*Literæ PHILIPPI IV. Hispaniarum Regis, ad AUGUSTUM, Ducem Brunsuigo-Luneburgensem, cui filiam suam, MARGARETAM, LEOPOLDO, Rom. Imperatori, proxime matrimoniali junctum iri vinculo, amice refert, 1663.*

Philippus Dei gratia Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Indiarum &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, & Mediolani, Comes Habspurgii, Flandriæ, Tyrolis &c.

*Illustrissime Princeps, Domine Dux Brunsuicensis, ac Lunemburgensis, Consanguinee noster charissime.*

NUllam occasionem præterlabi patiemur, quin Dilectioni Vestræ attestemur affectum illum, quem erga ipsam addictissimum Regio Nostro animo alimus, Atque adeo in hoc felicissimo eventu, quod Serenissimi Imperatoris Leopoldi, Nepotis nostri, assentimur optatis ducendi Uxorem Serenissimam Principem, Dominam Margaritam, filiam Nostram charissimam, nostri muneris esse judicavimus, hujusce Connubii Dilectionem Vestram certiorem facere. Nec in dubiis Nobis est, eo sui animi gaudio a Dilectione Vestra hanc felicitatem celebratum iri, quod par est eidem ex ipsa a Nobis percepto. Haud aliter ergo voluntas Nostra in Dilectionem Vestram plenissime propensa, & peculiaris existimatio, qua Dilectionem Vestram, suamque Domum illustrissimam prosequimur, sibi hoc fieri vindicant. Deus Opt. Max. Dilectionem

nem Veſtram ſervet incolumem. Dat. Madriti die XX — Anno Domini M. DC LXIII.

PHILIPPUS.

D. Blaſcus Aloyolo.

*Inſcriptio.*

Illuſtrisſimo Principi, Domino Auguſto, Duci Brunſuicenſi, ac Lünemburgenſi, Conſanguineo Noſtro chariſſimo.

CCCXCV.

*Litera JOH. GEORGII II. Electoris Saxoniæ, ad Regis Hiſpaniarum in Aula Cæſarea Legatum, MARCHIONEM DE LA FUENTE, cui felicem itineris in Galliam reſumendi gratulatur exitum, ac officia benevoli animi nunquam in ſe ceſſatura promittit, 1663.*

Sereniſſimi Hiſpaniarum Regis Legate Excellentisſime.

Quemadmodum Regis ac Domini Veſtri in pacem & ſalutem publicam ſtudia haud vulgarem gloriam merentur: Ita perquam gratæ Nobis extitere, quæ de Conſilio Regio componendorum inter Franciæ & Navarræ Regem Curiamque Romanam gliſcentium modo motuum, deque demandata ſibi eo nomine denuo in Galliam redeundi provincia per literas ad Nos Excellentia Veſtra retulit. Cui proinde non minus ſuſcepti itineris & muneris felicisſimos quoſcunque progreſſus, quam orbi Chriſtiano quietem diuturnam cœlitus cupimus. Nunquam non daturi operam, ut quo jugiter apud Nos loco ſit, & comprobata jam

jam diu orbi meritorum Veſtrorum dexteritas, & quam ex præſentis quoque inſtituti nuntio agnoſcimus ſtudiorum atque affectus in Nos firmitudo Excellentia Veſtra ex Noſtris vicisſim in ſeſe benevolentiæ experimentis ubique ſentiat. Quam divinæ interim protectioni prolixe commendamus. Dabantur Dresdæ die 17. Martii Anno 1663.

## CCCXCVI.

*Literæ commendatitiæ, a* JOHANNE GEORGIO II. *Saxoniæ Electore, Domenico Melani, iter in Italiam paranti, ad* FERDINANDUM II. *Magnum Hetruriæ Ducem datæ, 1663.*

P. P.

QUemadmodum nullum unquam conſervandæ mutuæ noſtræ necesſitudinis momentum facile omittendum ducimus; ita & hac imprimis vice integerrimi Noſtri in Dilectionem Veſtram affectus argumentum extare, deque Valetudinis ejus & exoptata ſtatus incolumitate ſedulo cognoſcere volumus, qua Noſtrum Cubiculi interioris Adminiſtrum primarium Domenicum Melani, iter denuo in Patriam parantem, gratioſæ Dilectionis Veſtræ Protectioni ſimul ex omni parte commendamus, ſperantes de florentisſimis Serenisſimæ Domus Veſtræ rebus lata ſemper atque exoptata nuntia Nobis apportatum iri. Quo nomine quidem votis Noſtris Deum interpellare haud intermittimus. Cujus divinæ Protectioni Dilectionem Veſtram ex animo iterum iterumque commendamus. Dabantur in Electorali Noſtra Dresda, die 30. Martii 1663.

CCCXCVII.

CCCXCVII.

*Literæ GEORGII LUBOMIRSKII, Mareſcalli Poloniæ, ad DUCTORES EXERCITUS POLONICI, tumultuario conatu reſidua poſcentis ſtipendia, quibus ipſis ſaniora conſilia & concordiam oblatamque cum Rege Reque publica reconciliationem graviter ſvadet, 1663.*

Magnifici Domini & Fratres,

E præſenti, quem celebrare debebitis, generali Circulo, criticus Patriæ pendet dies, ab hoc die, ſi Dominationes Veſtræ ſana amplectentur conſilia, optatæ Regno huic in ſubſequentia ſecula decurrent felicitates, aut ſi e contra in devia ſeduci patiemini, imminet Regno formidanda illa Numinis maledictio: Diviſum deſolabitur. Hac impulſus conſideratione, quando video Dominationes Veſtras, extrema arripere conſilia, tertium jam tanquam Senator & Officialis ad Fratres, tanquam Dux ad demeritos Milites ſcribo ad Dominationes Veſtras, utroque hoc titulo Nobilia compellando pectora, quatenus Dominationes Veſtræ & tanquam genuini Patriæ hujus filii, debita erga eandem moti charitate, habito ad integritatem Patriæ reſpectu, Veſtras attemperetis propenſiones, & tanquam milites protectores ejusdem non in ruinam (quod Deus avertat) Rempublicam præcipitetis, verum de ſubſidio, tutela & conſervatione illius cogitationes ineatis. Nec vero ullis, qui in contrarium jactantur, Dominationes Veſtræ patiantur conſtantiam ſuam abduci rumoribus (hi enim ſunt frequentes & infelices temporum ho-

rum partus.) Non expedit ponere rumores ante salutem, sed totam consiliorum vim oportet in eo defigere, penitius considerando, quod Respublica tot malis fessa, quantum potest, confert, & per consequens ultra possibilia durum & arduum, quatenus hoc respectu permoti desideratam (quemadmodum in primo Olboriensi tractatu conclusum & mutuis ratificatum fuit juramentis) cum eadem velitis amplecti concordiam. Ita fiet, ut Dominationes Vestræ & justissimam partorum tanto sanguine meritorum recipient contentationem, & ad perennem posteritatis memoriam, nominis sui famam propagent, quando conservabitis Patriam, in qua Gloriam primario Dei, Sacrum deinde Sacræ Regiæ Majestatis nomen, avitas libertates, communem totius Patriæ & privatam cujusvis in ea degentis securitatem, Majorum Vestrorum posterorumque immortalem memoriam præ oculis habere debetis. Hæc omnia quemadmodum conservationem suam a moderno consilio (faxit Deus sano) Dominationum Vestrarum habent. Ita nisi prudens rerum temperamentum intervenerit, hæc eadem cuncta incomparabili succumbent damno. Velint ergo Dominationes Vestræ viriliter sane inducere mentem, ut super omnia pretia Integritas salusque Patriæ apud Dominationes Vestras præponderet, & summam impleat æstimationem, nec tam rigidi exactores, quam discreti & amantes ejusdem filii videri velitis, & providendo, ne (quod absit) interno conflagret incendio, quo grassante omnia in pulvere subsidere deberent, felicem tandem æstibus hisce ter-

terminum ponatis, Patriamque integra beare tranquillitate per reaſſumtionem in hoc generali circulo ſancitæ jam ante concordiæ dignemini. Quoniam vero ad concernentem Dominationes Veſtras ſatisfactionem præſtandam non modicum hinc ortum eſt impedimentum, quia per literas univerſales recens in præterito militari circulo editas, pecuniæ in Palatinatibus reſtantes ſunt interceptæ & extradi inhibitæ. Opto, ut Dominationes Veſtræ juſtam hic adhibeant reflexionem, quandoquidem ſunt plerique ex privatis, qui hac occaſione ſupprimunt interim, nec ad Commisſionem pro debito officii devehunt extraditas jam a populis contributiones, & conſequenter pecuniæ, quæ per Palatinatus inhibitivo freno ſunt coërcitæ, Leopoli Dominationibus Veſtris, juxta concluſa in primo Olborienſi promiſſa non poſſunt exhiberi. Extorſit has a me ad Dominationes Veſtras amor Patriæ, a qua dum jamjam incumbentem perniciem averti opto, oro Dominationes Veſtras & obteſtor, ne qui per tot diſcrimina ejusdem conſervatores fuiſtis, repente parricidæ facti, manibus eam propriis ſtranguletis. Expreſſit zelus, quo proviſum cupio Dominationum Veſtrarum reputationi tot glorioſis geſtis, non modo per Poloniam, ſed orbem univerſum clareſcenti; quatenus potius generoſe, tanquam milites, & filialiter, tanquam cives, cum matre Republica tranſigentes, talibus, qualia in hac publica egeſtate corradi poſſunt, ſtipendiis acquieſcatis, & perennem ad Poſteros nominis Veſtri gloriam extendatis, quam armis (avertat Deus) Civibus & Patriam & merita Veſtra, &

ditur, in optimam nempe partem acceptum iri. Qui de cætero eidem affectum benevolentiæ nostræ Cæsareæ quam propensissime confirmantes, omnia quam prosperrime evenire ex animo vovemus. Dabantur ex arce Nostra Regia Posonii, die vigesima nona Junii, Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo secundo, Regnorum Nostrorum Romani quarto, Hungarici octavo, Bohemici vero sexto.

Serenitatis Vestræ

*Bonus Consanguineus & Frater*

LEOPOLDUS.

## CCCXCI.

*Literæ, quibus JOHANNES GEORGIUS II. Saxonum Elector, MARCHIONI DE LA FUENTE, Hispaniarum Regis in Gallia Legato, gratias agit, pro relato sibi auspicato Regis sui armorum successu, 1662.*

Serenissimi Hispaniarum Regis Legate Excellentissime.

Libenter omnino accepimus, quæ de Serenissimi Regis ac Domini sui prospero victricium armorum cursu, nec non status in Gallia tranquillitate proxime Parisiis ad Nos Excellentia Vestra perscripsit. Quemadmodum itaque pro sanctiore Nostra cum serenissima Austriaca Domo conjunctione, eidem de quibuscunque exoptatæ felicitatis progressibus, rebusque gloriose gestis animitus gratulamur; Ita quoque Excellentiæ Vestræ indefessa Nostri studia, quorum condignam æstima-

mationem novis ſubinde experimentis cumulare non deſinit, ceu par eſt, grata mente agnoſcimus, Eandemque de conſtanti Noſtra in ſe animi propenſione quovis tempore ſecuram bene utique & proſpere porro agere etiam atque etiam cupimus. Dabantur Dresdæ die 25. Julii 1662.

## CCCXCII.

*Litera fiduciaria, Domino de Gravel a LUDOVICO XIV. Galliæ Rege, ad STATUS S. R. IMPERII, in Comitiis Ratisbonenſibus congregatos, data, 1662.*

### Chariſſimi & magni Amici.

CUm nihil Nobis æque cordi ſit, ac ad pacis in Imperio conſervationem collaborare, nec quidquam antiquius habuerimus ab eo tempore, quo tractatus pacis in Weſtphalia concluſi ſunt, quam omnem operam & ſtudium impendere ad tollenda e medio (id quod feliciter conſecuti ſumus) omnia ea diffidia, per quæ bellum inter vicinos Reges & Principes exortum fuerit, quæque ſucceſſu temporis novos motus & turbas ciere in Germania potuiſſent; Ita nec in futurum ullam occaſionem præterire patiemur, id omne, quod in Nobis erit, contribuendi, quo eadem in Germania pax & quies magis firmari & ſtabiliri queat; Et ſicuti reaſſumptio Comitiorum Ratisbonenſium hunc maxime ob finem ab omnibus Imperii Statibus exoptata eſſe videtur, nec non ut iis malis & calamitatibus obviaretur, quæ toti Chriſtianitati minitare, & imminere cognoſcuntur, ad eadem Comitia

tia extraordinarium aliquem Legatum sufficienti instructione & Plenipotentia munitum mittere statuimus, ut de negotiis ibidem incidentibus tractare & concludere queat; interim vero dum ille ad locum Comitiis destinatum pervenire possit, e re esse duximus, ad eundem locum præmittere Dominum de Gravell consilii Nostri Status Secretioris consiliarium, quem ad Vos mittimus, mandato & plenipotentia instructum, ad tractandum Nostro nomine, de omnibus iis rebus, quæ tam executionem & conservationem supradictæ pacis quam Nos concernere poterunt, & sicuti ad hanc functionem ei injungendam non tantum Nos permovit cognitio & praxis, quam de Germaniæ rebus sibi acquisivit, verum multo magis, id studium, quod juxta mandata Nostra ad ejusdem utilitatem & quietem promovendam ubique palam fecit; Ita Nobis pollicemur, quod eandem ob causam amicabiliter a Vobis suscipietur & audietur, quod ut faciatis, Vos rogamus, nec non fidem integram ei præstetis, omnibus iis in rebus, quæ Nostro nomine vobis significabit, vel maxime cum sinceram nostram intentionem, in omni eo, quod pacis in imperio observationem vestrorum privilegiorum & libertatis uniuscujusque ejusdem membri, secundum Imperii Constitutiones & Westphalicæ pacis tractatus conservationem concernere videbitur. Qua in re referentes Nos ad ea, quæ dictus Dominus de Gravell fusius Vobis exponet, has literas ulterius excrescere non patiemur, Deum rogantes, ut Vos, charissimi & magni amici, custodi-

ſtodire & protegere dignetur. Datum in St. Germano in Laya, die 1. Sept. Anno 1662.

*Signatum*

**LUDOVICUS.**

**De Lomenie.**

## CCCCXIII.

*Litera JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad MARCHIONEM DE LA FUENTE, Hiſpaniarum Regis Extraordinarium ad Aulam Cæſaream Legatum, cui pro fida ſtatus ſui relatione gratias agit, ac res in Gallia e voto geſtas gratulatur, 1662.*

Sereniſſime Hiſpaniarum Regis Legate Excellentiſſime.

PRiſtinam in aula Cæſarea Legati Extraordinarii Provinciam placitis Regiis Excellentiæ Veſtræ decretam eſſe, ex literis Veſtris eo libentius cognovimus, quo propiores inde Nobis voluntatis Noſtræ Eidem declarandæ naſcentur occaſiones. Quas ut frequentiores ſubinde deſideremus, cum regia ipſa quæ a Vobis jam diu præclare agitur cauſa, tum vel maxime agentis facit dexteritas, & quæ meritorum Veſtrorum in orbe extant veſtigia. Quod autem edoctos Nos de ſtatu ſuo Excellentia Veſtra voluit, in eo agnoſcimus ſtudioſi in Nos animi Veſtri perſeverantiam, Eidemque de fauſto propediem in Germaniam Noſtram reditu, non minus ac de rebus hactenus in Gallia feliciter geſtis benevole gratulamur. Quam ſimul divinæ Protectioni commendatam volumus. Dabantur Dresdæ die 3. Octobris 1662.

CCCXCIV.

CCCXCIV.

*Literæ PHILIPPI IV. Hispaniarum Regis, ad AUGUSTUM, Ducem Brunsuigo-Luneburgensem, cui filiam suam, MARGARETAM, LEOPOLDO, Rom. Imperatori, proxime matrimoniali junctum iri vinculo, amice refert, 1663.*

Philippus Dei gratia Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Indiarum &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, & Mediolani, Comes Habspurgii, Flandriæ, Tyrolis &c.

*Illustrissime Princeps, Domine Dux Brunsuicensis, ac Lunemburgensis, Consanguinee noster charissime.*

NUllam occasionem præterlabi patiemur, quin Dilectioni Vestræ attestemur affectum illum, quem erga ipsam addictissimum Regio Nostro animo alimus, Atque adeo in hoc felicissimo eventu, quod Serenissimi Imperatoris Leopoldi, Nepotis nostri, assentimur optatis ducendi Uxorem Serenissimam Principem, Dominam Margaritam, filiam Nostram charissimam, nostri muneris esse judicavimus, hujusce Connubii Dilectionem Vestram certiorem facere. Nec in dubiis Nobis est, eo sui animi gaudio a Dilectione Vestra hanc felicitatem celebratum iri, quod par est eidem ex ipsa a Nobis percepto. Haud aliter ergo voluntas Nostra in Dilectionem Vestram plenissime propensa, & peculiaris existimatio, qua Dilectionem Vestram, suamque Domum illustrissimam prosequimur, sibi hoc fieri vindicant. Deus Opt. Max. Dilectionem

nem Veſtram ſervet incolumem. Dat. Madriti die XX — Anno Domini M. DC LXIII.

PHILIPPUS.

D. Blaſcus Aloyolo.

*Inſcriptio.*

Illuſtrisſimo Principi, Domino Auguſto, Duci Brunſuicenſi, ac Lünemburgenſi, Conſanguineo Noſtro chariſſimo.

## CCCXCV.

*Litera JOH. GEORGII II. Electoris Saxoniæ, ad Regis Hiſpaniarum in Aula Cæſarea Legatum, MARCHIONEM DE LA FUENTE, cui felicem itineris in Galliam reſumendi gratulatur exitum, ac officia benevoli animi nunquam in ſe ceſſatura promittit, 1663.*

Serenisſimi Hiſpaniarum Regis Legate Excellentisſime.

QUemadmodum Regis ac Domini Veſtri in pacem & ſalutem publicam ſtudia haud vulgarem gloriam merentur: Ita perquam gratæ Nobis extitere, quæ de Conſilio Regio componendorum inter Franciæ & Navarræ Regem Curiamque Romanam gliſcentium modo motuum, deque demandata ſibi eo nomine denuo in Galliam redeundi provincia per literas ad Nos Excellentia Veſtra retulit. Cui proinde non minus ſuſcepti itineris & muneris felicisſimos quoscunque progreſſus, quam orbi Chriſtiano quietem diuturnam cœlitus cupimus. Nûnquam non daturi operam, ut quo jugiter apud Nos loco ſit, & comprobata

jam

jam diu orbi meritorum Vestrorum dexteritas, & quam ex præsentis quoque instituti nuntio agnoscimus studiorum atque affectus in Nos firmitudo Excellentia Vestra ex Nostris vicissim in sese benevolentiæ experimentis ubique sentiat. Quam divinæ interim protectioni prolixe commendamus. Dabantur Dresdæ die 17. Martii Anno 1663.

## CCCXCVI.

*Literæ commendatitiæ, a JOHANNE GEORGIO II. Saxoniæ Electore, Domenico Melani, iter in Italiam paranti, ad FERDINANDUM II. Magnum Hetruriæ Ducem datæ, 1663.*

P. P.

Quemadmodum nullum unquam conservandæ mutuæ nostræ necessitudinis momentum facile omittendum ducimus; ita & hac imprimis vice integerrimi Nostri in Dilectionem Vestram affectus argumentum extare, deque Valetudinis ejus & exoptata status incolumitate sedulo cognoscere volumus, qua Nostrum Cubiculi interioris Administrum primarium Domenicum Melani, iter denuo in Patriam parantem, gratiosæ Dilectionis Vestræ Protectioni simul ex omni parte commendamus, sperantes de florentissimis Serenissimæ Domus Vestræ rebus lata semper atque exoptata nuntia Nobis apportatum iri. Quo nomine quidem votis Nostris Deum interpellare haud intermittimus. Cujus divinæ Protectioni Dilectionem Vestram ex animo iterum iterumque commendamus. Dabantur in Electorali Nostra Dresda, die 30. Martii 1663.

CCCXCVII.

CCCXCVII.

*Litera GEORGII LUBOMIRSKII, Marescalli Poloniæ, ad DUCTORES EXERCITUS POLONICI, tumultuario conatu residua poscentis stipendia, quibus ipsis saniora consilia & concordiam oblatamque cum Rege Reque publica reconciliationem graviter suadet, 1663.*

Magnifici Domini & Fratres,

E præsenti, quem celebrare debebitis, generali Circulo, criticus Patriæ pendet dies, ab hoc die, si Dominationes Vestræ sana amplectentur consilia, optatæ Regno huic in subsequentia secula decurrent felicitates, aut si e contra in devia seduci patiemini, imminet Regno formidanda illa Numinis maledictio: Divisum desolabitur. Hac impulsus consideratione, quando video Dominationes Vestras, extrema arripere consilia, tertium jam tanquam Senator & Officialis ad Fratres, tanquam Dux ad demeritos Milites scribo ad Dominationes Vestras, utroque hoc titulo Nobilia compellando pectora, quatenus Dominationes Vestræ & tanquam genuini Patriæ hujus filii, debita erga eandem moti charitate, habito ad integritatem Patriæ respectu, Vestras attemperetis propensiones, & tanquam milites protectores ejusdem non in ruinam (quod Deus avertat) Rempublicam præcipitetis, verum de subsidio, tutela & conservatione illius cogitationes ineatis. Nec vero ullis, qui in contrarium jactantur, Dominationes Vestræ patiantur constantiam suam abduci rumoribus (hi enim sunt frequentes & infelices temporum ho-

rum partus.) Non expedit ponere rumores ante salutem, sed totam consiliorum vim oportet in eo defigere, penitius considerando, quod Respublica tot malis fessa, quantum potest, confert, & per consequens ultra possibilia durum & arduum, quatenus hoc respectu permoti desideratam (quemadmodum in primo Olboriensi tractatu conclusum & mutuis ratificatum fuit juramentis) cum eadem velitis amplecti concordiam. Ita fiet, ut Dominationes Vestræ & justissimam partorum tanto sanguine meritorum recipient contentationem, & ad perennem posteritatis memoriam, nominis sui famam propagent, quando conservabitis Patriam, in qua Gloriam primario Dei, Sacrum deinde Sacræ Regiæ Majestatis nomen, avitas libertates, communem totius Patriæ & privatam cujusvis in ea degentis securitatem, Majorum Vestrorum posterorumque immortalem memoriam præ oculis habere debetis. Hæc omnia quemadmodum conservationem suam a moderno consilio (faxit Deus sano) Dominationum Vestrarum habent. Ita nisi prudens rerum temperamentum intervenerit, hæc eadem cuncta incomparabili succumbent damno. Velint ergo Dominationes Vestræ viriliter sane inducere mentem, ut super omnia pretia Integritas salusque Patriæ apud Dominationes Vestras præponderet, & summam impleat æstimationem, nec tam rigidi exactores, quam discreti & amantes ejusdem filii videri velitis, & providendo, ne (quod absit) interno conflagret incendio, quo grassante omnia in pulvere subsidere deberent, felicem tandem æstibus hisce ter-

terminum ponatis, Patriamque integra beare tranquillitate per reaſſumtionem in hoc generali circulo ſancitæ jam ante concordiæ dignemini. Quoniam vero ad concernentem Dominationes Veſtras ſatisfactionem præſtandam non modicum hinc ortum eſt impedimentum, quia per literas univerſales recens in præterito militari circulo editas, pecuniæ in Palatinatibus reſtantes ſunt interceptæ & extradi inhibitæ. Opto, ut Dominationes Veſtræ juſtam hic adhibeant reflexionem, quandoquidem ſunt plerique ex privatis, qui hac occaſione ſupprimunt interim, nec ad Commisſionem pro debito officii devehunt extraditas jam a populis contributiones, & conſequenter pecuniæ, quæ per Palatinatus inhibitivo freno ſunt coërcitæ, Leopoli Dominationibus Veſtris, juxta concluſa in primo Olborienſi promiſſa non poſſunt exhiberi. Extorſit has a me ad Dominationes Veſtras amor Patriæ, a qua dum jamjam incumbentem perniciem averti opto, oro Dominationes Veſtras & obteſtor, ne qui per tot diſcrimina ejusdem conſervatores fuiſtis, repente parricidæ facti, manibus eam propriis ſtranguletis. Expreſſit zelus, quo proviſum cupio Dominationum Veſtrarum reputationi tot glorioſis geſtis, non modo per Poloniam, ſed orbem univerſum clareſcenti; quatenus potius generoſe, tanquam milites, & filialiter, tanquam cives, cum matre Republica tranſigentes, talibus, qualia in hac publica egeſtate corradi poſſunt, ſtipendiis acquieſcatis, & perennem ad Poſteros nominis Veſtri gloriam extendatis, quam armis (avertat Deus) Civibus & Patriam & merita Veſtra, &

T 2 ma-

Majorum famam & Populorum ſub hac Corona degentium ſecuritatem, Majeſtatis denique Divinæ gloriam intervertatis. His pro mea erga Dominationes Veſtras propenſione amoreque boni publici ſcriptis fraterna mea obſequia gratiæ Dominationum Veſtrarum diligenter commendo. Lancuthi die 10. Aprilis Anno 1663.

Magnificarum Dominationum Veſtrarum

*Addictiſſimus Frater & Servus*

Georgius Lubomirski, Mareſchallus & Dux Exercitus Regii.

CCCXCVIII.

*Litera GEORGII LUBOMIRSKII, Magni Regni Pol. Mareſchalli, ad DUCTORES EXERCITUS POLONICI, ſtipendiorum reſtantium ergo tumultuantis, quibus denegatam Regiis Commiſſariis colloquendi ſecum copiam vehementer exprobrat, eosque per Patriæ amorem & omnia ſanioris rationis argumenta obteſtatur, ut perrupto ſeditioſi nexus vinculo ad priſtina obſequia redeant, 1663.*

Magnifici Domini & Fratres.

STupefacta ac emarcida pene manu ad has Dominationibus Veſtris ſcribendas deſcendo Literas, dum attendo, quod extrema aggreſſi eſtis conſilia, quandoquidem amicabile colloquium (quod etiam hoſtes admittunt) nobis civibus, Senatoribus, officialibus Regni, Commiſſariis hujus pa-

patriæ, titulo & jure Legationis autorisatis, contra fas & jus gentium denegastis. Horret animus meminisse eorum, quæ sequentur; Nam subditis Domini sui, Civibus Reipublicæ, Legatis dedignantibus, & milite Ducem alloqui aspernante, quid ultra spei? quandoquidem omnia insumpta hactenus per Rempublicam hoc uno Dominationum Vestrarum facto spreta calcataque sunt media. Me equidem non lex, aut obligatio muneris mei (hæc enim Intermedium me magis exercitus ac commissionis, quam Commissarium statuit) ad id strinxit, quod me huic accinxerim viæ, veneratio Majestatis ita ordinantis hoc evicit, affectus propensioque mea solita erga exercitum effecit, & super omnia amor patriæ, quam periclitantem, vitæ fortunarumque mearum dispendio fulcire, & cujus causa omnes invidias, offensiones, ingratitudinesque, exporrecta fronte subire paratus sum ac teneor, adegit. Impellor ad eadem exemplis præteritorum Ducum, quæ nec in mea desunt Domo, quando Chocimensem nexum Parens meus Dux ad Chocimum totius exercitus, æquali Reipublicæ ac Exercitus contentatione, pacificavit. Hoc ergo zelo boni communis ac exemplis antecessorum in officio meo, sanguinisque mei incitatus, aggressus fueram laborem istum, præsertim tam illustribus in hac Patria viris adjuvantibus; cum quanto dolore regredi cogimur, Regiæ Majestati & Reipublicæ tam impium Nobiscum processum denuntiaturi, difficile est explicare. Adhuc nihilominus semel (quandoquidem Dominationes Vestræ colloquia non admittunt) placuit literaliter

Dominationes Veſtras obteſtari per amorem Patriæ & illas omnes, quas in ſe bonorum Civium complectitur charitates, velitis ad temperata, juſta, poſſibilia cum Republica paciſcendi flecti media. Deferveſcat nonnihil hæc animorum tempeſtas Interitum Patriæ & Dominationum Veſtrarum procul dubio allatura; Ego autem aſſecuro brevi Dominationum Veſtrarum merita fuſo cruore parta, juſtiſſima repenſum iri ſatisfactione. Hoc Sacra Regia Majeſtas Dominus meus vigili cura & paterna ſatagit ſolicitudine; Dominus ille, qui veluti in commilitium Noſtrum adjectus eſſet, dies auſpicatæ Dominationis ſuæ, melius caſtris, quam annis numerat, quem ſæpius vidimus in Equo quam in throno, ſub tentoriis quam ſub aulæis, in cujus vultu quis unquam militum triſtis abſceſſit? Sub tanto militaris virtutis promotore, quis de ſtipendiorum ſolutione dubitet? Idem commisſio allaborat, velint Dominationes Veſtræ ad eam, quam in priori tractatu declaraſtis, reverti Patriæ charitatem. Concedant Nobis quantocyus debitum ad ineundas conſequentias tempus; Confidimus in Domino, ut & Patriæ tranquillitas expedita, & Dominationibus Veſtris æquisſima brevi reddatur ſatisfactio. Proteſtor coram Deo, Patria & Ipſismet Dominationibus Veſtris, quia omnia ea, quæ Reipublicæ, chariſſimæ meæ Patriæ, tanquam Senator, Dux & Civis, fide, zelo & conſcientia recta debeo, explevi amore illius, explevi amore veſtri; Cohibui faces incendiarias, quam diu media ſuppetebant, providi, ne quid detrimenti Reſpublica, ne quid Exercitus

citus caperet. Mea interim ſolita obſequia Dominationibus Veſtris defero. Dat. Anno 1663.

Magnificarum Dominationum
Veſtrarum

*Addictiſſimus Frater & Servus,*
Georgius Lubomirski,
mppr.

CCCXCIX.

*Litera WENCESLAI LESCZINII, Archipræſulis Gneſnenſis, ad GEORGIUM LUBOMIRSKIUM, Magnum Regni Poloniæ Mareſchallum, quibus ſe Cenſuram Suffragio ipſius ab Anonymo ſuperadditam animo tuliſſe ægerrimo, meritaque ejus æviterno encomio digna in animo ſuo penitius defixiſſe teſtatur, 1663.*

Illuſtriſſime Domine Mareſchalce Major
Regni, Domine & frater colendisſime.

SUcccenſui ſtatim temeritati ejus (quisquis autor fuit) qui non eſt veritus Cenſuram adhibere voto & ſuffragio Celſitudinis Veſtræ, tanti in Patria Civis, cui ſoli tempore Incurſionis Sveticæ (fateri id uno conſenſu cogimur) defixis ſtupore omnibus ſpes & ratio ſalvandæ Patriæ, in tam ſubito caſu ſuccurrit. Hoc autem intentisſima circa Majeſtatem Dominantis & ſalutem Patriæ Celſitudinis Veſtræ operabatur Reſolutio, quam & patruelis meus piæ memoriæ, in munere archiepiſcopali Anteceſſor, debito proſecutus eſt Encomio, & ego veneror palamque recognoſco. Quod ſuccedanea per manus ſibi invicem tradent ſecula, ſeraque

que ſtupebit poſteritas, dum audiet tantum prudentiæ ac efficacium mediorum ſuggerente Numine ſuperfuiſſe Celſitudini Veſtræ, ut incubantem toti Poloniæ Svecorum Regem in medio votorum ambitu intervertere potueris, & Sereniſſimo Regi Domino noſtro clementisſimo de tali proſpexeris ſecuritate, quæ in hæc usque tempora ejusdem Majeſtatis Regium firmat thronum. Aſſecuro Celſitudinem Veſtram æque mihi hærere cordi honorem Celſitudinis Veſtræ ac meum proprium, qui ſum

Illuſtriſſimæ Celſitudini Veſtræ

*Dat. Lyskoviciis 14. Maji 1663.*

*Addictiſſimus frater & ſervus*

Wenceslaus Leſczinsky, Archiepiſcopus Gneſnenſis.

## CCCC.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Saxonum Electoris, ad PHILIPPUM IV. Hiſpaniarum Regem, cui felix fauſtumque filiæ ſuæ cum Leopoldo, Rom. Imperatore, gratulatur matrimonium, 1663.*

P. P.

Divino favente Numine Regiam Veſtram Serenitatem conſilium conditionesque fœderis ſponſalitii, de contrahendo inter Sereniſſimum Potentiſſimumque Imperatorem Romanum, Dominum Leopoldum, Dominum Noſtrum clementiſſimum, & Regiam Filiam Veſtram, Sereniſſimam Principem, Dominam Margaretam, matrimonio feliciter iniiſſe, ex Regiæ Veſtræ Serenitatis Literis ſane

ſane quam libentiſſime vel eo accepimus, quod non minus ad ſalutem publicam, atque ad inclytæ Domus Auſtriacæ decus & incrementum pertinere perſuaſum Nobis habeamus, arctioribus ſubinde nexibus & Jura ſanguinis & conjunctionis ſtudia inter ſuprema Familiæ capita mutuo renovari. Læti igitur de quibuscunque Cæſareæ Romanæ Majeſtatis juxta & Serenitatis Veſtræ Regiæ ſecundis rerum eventis, utrique de condignis hisce auſpiciis ſerio gratulamur, ſupremum Numen venerantes, ut connubialia hæc contrahentium vota & rata & proſpera ex omni parte eſſe jubeat, magno inde gloriæ divinæ, Auſtriacæ Domus & Rei demum publicæ emolumento. Nobis equidem tantum fiduciæ de Regio Veſtro in Nos affectu ejusque perſeverantia ex hoc tam jucundæ rei nuntio acceſſit, quantum Nos comprobandi viciſſim animi Noſtri illo nomine Regiæ Serenitati Veſtræ jam diu debere profitemur. Cui ab immortali Deo proſperam porro valetudinem ingentemque rerum & Domus Regiæ florem ex animo precamur. Dabantur Dresdæ die 11. Junii 1663.

## CCCCI.

*Litera WENCESLAI LESZCZYNII, Archiepiſcopi Gneſnenſis, ad GEORGIUM LUBOMIRSKIUM, Magnum Regni Poloniæ Mareſchallum, a quo, ut conſilia ſecum de ſopiendis in exercitu excitatis periculoſis motibus quantocyus conferre haud gravetur, obnixe contendit, 1663.*

*Illustrissime Domine Magne Regni Mariscbalce, Domine & Frater colendissime.*

INcredibiliter doleo, quod Illustrissimus Dominus Castellanus Sandomiriensis valetudine tardatus non poterit prosequi cœptum ad Celsitudinem Vestram iter, quod tanta urgebant momenta, ut ab eodem integritas Patriæ pendere videatur. Utinam meliori omine viam ineat meus Reverendus Silnicki & Celsitudinem Vestram demissis precibus flectat, quatenus ad me fratrem & servum quantocyus festines. En denuo iteratis Literis compello Celsitudinem Vestram, & per omnia sacra peto, dignetur quantocyus convolare ad sopiendam hanc flammam, quæ jam biennio grassatur, & nunc propemodum in id tendit, ut patriam in favillam & cineres redigat. Jam mihi media non succurrunt & deficio in his tractatibus ac modis conciliandæ domesticæ tranquillitatis. Tota spes & ratio in sola Celsitudine Vestra consistit, cui de industria numen hanc servat gloriam partæ in Patria malaciæ, & id certo succedet data Celsitudinis Vestræ præsentia, modo dignetur saluti Patriæ & meis submissis postulatis hanc donare fatigationem; alias instat propinquus Patriæ interitus & fatalis periodus. Expecto cum ingenti alacritate Celsitudinem Vestram, magnoque cum desiderio præstolor ejusdem Celsitudinis præsentiam hic in loco meæ consisten-

ſiſtentiæ. Cujus gratiæ me cum propenſionibus meis diligentisſime commendo.

Illuſtrisſimæ Celſitudini
Veſtræ

*Janoviæ 27. Junii,*
*Anno 1663.*

*Addictisſimus Frater &*
*Servus*

Wenceslaus Leſzczynski, Archiepiſcopus Gneſnenſis.

P. S. Mi Illuſtrisſime Domine Frater, peto digneris hanc ſubire fatigationem, quam flagito & venire; momentis res conſtant; præſentia Celſitudinis Veſtræ omnia certo componet.

## CCCCII.

*Litera* WENCESLAI LESCZYNII, *Archiepiſcopi Gneſnenſis, ad* GEORGIUM LUBOMIRSKIUM, *Magnum Regni Poloniæ Mareſchallum, quem Javoroviam ad habendam ſecum de diſſuendo Exercitus periculoſo nexu conſultationem amice invitat, 1663.*

Illuſtrisſime Domine Magne Regni Mariſchalce, Domine Frater Colendisſime.

REdiit meus Reverendus Silnicki cum conteſtatione fraternæ a Celſitudine Veſtra propen-

pensionis & literis, quibus ut respondeam opportuniori tempori reservo. Per amorem Patriæ demissa mea postulata Celsitudini Vestræ offero, dignetur die Sabathi Javoraviam ad horam decimam antemeridianam descendere, ad quam horam ego quoque convolabo, cooperabimur mutuo, ut hunc nexum possimus dissuere & ad obsequium Regiæ Majestatis reducere. Non diffido, quin Celsitudo Vestra ad tantam gestorum gloriam, quæ sera posteritas perenni consignabit memoriæ, hanc quoque additura sit coronidem, ut in tam terribili æstu salves & serves Patriam, quod iterum enixe observando, Fraterno Celsitudinis Vestræ amori cum omnimoda propensione diligenter me commendo.

Illustrissimæ Celsitudini
Vestræ

*Janoviæ 28. Jun.*
*A. 1663.*

*Addictissimus Frater &*
*Servus*

Wenceslaus Leszczynski, Archiepisc. Gnesnens.

CCCCIII.

*Literæ, quibus JOH. GEORGIUS II. Saxonum Elector, FERDINANDO II. Magnæ Etruriæ Duci de nato ipsi e Filio primogenito Nepote gratulatur, 1663.*

P. P.

P. P.

DIlectioni Vestræ Nepotem in spem Serenissimæ Domus, benedictione cœlesti, ex Filio primogenito Serenissimaque Ejus Conjuge, Principe Aurelianensi feliciter natum esse, perscriptis ad Nos literis quam jucundissimis læti accepimus. Quare cum nihil Nobis pro mutuis conjunctionis studiis, gratius accidere potuisset, ex eo quod communem Nobiscum gaudii partem voluerit, sinceri Dilectionis Vestræ in Nos affectus constantiam, veluti par est, agnoscimus, Eidemque de tam felici florentissimæ Domus incremento magnopere gratulamur, atque ut magno olim Christianæ Reipublicæ bono, in stemmatis inclyti decus feliciter indies succrescat soboles & augeatur, animitus vovemus. Quibus Dilectionem Vestram una cum universa Serenissima Domo salvam diu atque incolumem divinæ protectioni serio commendatam volumus. Dabantur Dresdæ, die 31. Augusti, 1663.

CCCCIV.

*Literæ STANISLAI POTOCKII, Palatini Cracoviæ, ad GEORGIUM LUBOMIRSKIUM, Magnum Poloniæ Marescallum, quibus ipsi nomine Regis defensionem Regni Poloniæ, cui invasionis a Turcis periculum immineret, committit, 1663.*

Illustrissime Domine Marischalce Regni Major, Domine & Frater.

PRo communicatis ab Illustrissimo Domino Patrono Hungariæ literis gratias Celsitudini Ve-

stræ

ſtræ habeo. Didici ex illis, Turcam liberrime graſſari per ditiones invictiſſimi Chriſtianorum Imperatoris, quando nemo ad dandam repulſam accingitur, imo unusquisque deditione ſalvari deſtinavit. Quod attinet ſecuritatem Regni, hæc ſtipendiario milite, (qui ſine comitiis legi nequit) firmari non poteſt; Celſitudinis ergo Veſtræ curæ & dexteritati Sacra Regia Majeſtas id committit, tametſi etiam Palatinatuum Incolæ ad oſtentationem armorum exciri & in procinctu haberi deberent, dummodo pericula pulſari a finibus Regni poſſent; Nam cum belli munia jam ceſſent, per neceſſitatem indulgere exercitibus quietem cogetur Turca, & interim quoque Sacra Regia Majeſtas (prout intendit) feliciter dante Deo regredietur, & per ſe ipſam conſulere integritati Provinciarum ſuarum dignabitur. Nunc autem Celſitudinem Veſtram, ut pro dexteritate ſua velit communi invigilare bono, obſecro: Addictiſſima interim obſequia mea Celſitudini Veſtræ defero.

Illuſtrisſimæ Celſitudini Veſtræ

*In Caſtris ad Ryszczewo, die 9. Novembr. Anno 1663.*

*Addictisſimus Frater & promptus Servus*

Stanislaus Potocki, Palatinus Cracoviæ, Generalis Exercituum Dux.

CCCCV.

## CCCCV.

*Literæ SENATUS & COMMUNITATIS ERFORDIENSIS, ad CAROLUM XI. Suecorum Regem, quibus ipsi miseram urbis suæ conditionem, in qua per artes Archipræsulum Moguntinorum jam duo per secula libertati ipsius inhiantium conjecta, alieni auxilii indigens langueret, exponunt, eumque quo conatus Moguntinorum ea, qua apud Galliarum Regem amicitia & in Imperio Rom. valeret autoritate, irritos reddere dignetur, supplices precantur, 1664.*

### Serenissime ac Potentissime Rex, Clementissime Domine.

QUemadmodum res bello paceque a Serenissimis Sueciæ Regibus Majestatis Vestræ laudatissimis Antecessoribus pro Religionis & libertatis Germanicæ incolumitate proximis abhinc annis gestæ, pariter & curæ singulares pro Civitatis Nostræ securitate, ante hac impensæ, recenti adhuc memoria Nobis observantur; Ita non dubitamus pari Majestatem Vestram affectu tam publicam Imperii, cujus jam primarium membrum est, salutem, quam Nostram civitatem, utpote quæ belli Suecici tempore communem fortunam experta est, & majorum Vestrorum beneficio ex temporis istius turbis ac procellis salva emersit, prosequi. Neque id Regibus indignum, Deorum exemplo, inter res maximas, minorum quoque curam gerere, & miseros, pressos, contemptos imo damnatos, alloquio solatioque aliquo dignari. Compositum

tum erat Germaniæ bellum, læti undique exsurgebant animi, & hæc ipsa Civitas in securo salutis portu se putabat constitutam, sed heu! potentibus Adversariorum Nostrorum artibus publice res Nostræ turbantur, convelluntur, & quo magis commissiones Cæsareæ, quarum quatuor parvo annorum spatio hactenus experti sumus, quietem nostram firmare satagunt, tanto majoribus implicamur dissidiis & difficultatibus, adeoque belli publici finis nihil aliud, quam internorum malorum & quidem longe majorum Nobis ansa & initium fuit. Cujus rei causas & fundamenta, si cum venia Majestatis Vestræ paulo altius repetere licet, sciendum, Majores Nostros pluribus abhinc seculis, certa quædam in hac civitate jura particularia Eminentissimi Archiepiscopi Moguntini, quibus nec ipsi quidquam derogatum volumus, agnovisse; sed propria quoque Regalia plurima, indubitatas antiquæ libertatis regulas & Civitatis Imperialis tesseras, nemine olim contradicente, ultra omnem hominum & tot seculorum memoriam obtinuisse; Verum enim vero ut proni sunt ad extendenda jura sua Principum animi, ita duobus abhinc seculis Moguntinorum Consilia ad vellicandam libertatem Nostram cepta, gliscere ceperunt, resque eo devenit, ut Anno 1521. annitente Alberto, Archi-Episcopo & Archi-Cancellario Imperii, nullo nostro merito, & insciis nobis, nomen Erffurdiæ ex matricula Imperii, quamvis in Aurea Bulla id hodieque expresse contineatur, eximeretur, lisque apud Cameram Imperialem super quam pluribus nostris juribus nobis moveretur; Cujus

even-

eventus, quamvis eo usque satis prosper nobis fuerit, ut inter varia capita, quorum aliqua minoris momenti, pro Moguntino fuerunt decisa, majora tamen & Regalia nostra propius spectantia nobis adjudicarentur, tamen eo usque non quieverunt Moguntinorum Consilia, quin recrudescentibus Imperii dissidiis, sub initium belli Germanici, varia pro stabiliendo universalis principii jure adeoque evertenda libertate nostra machinarentur. Hac occasione Senatus, majorem potentiam metuens, securitatique suæ melius prospiciens, eo allaboravit, ut occasione Tractatuum Pacis Osnabrugensis in Ordinem Civitatum Imperialium vel restitueretur, vel speciali denominatione ita Tractatui Pacis includeretur, ne sibi quidquam periculi in libertate sive Ecclesiastica sive Politica remaneret metuendum. Quem in finem, tum temporis scripto publice edito, & in Archivo Majestatis Vestræ dubio procul reposito jura nostra uberius deduximus, Illustrissimosque Sueciæ Legatos, variis tam Gloriosissimi Regis Gustavi, quam aliorum belli Ducum promissis nixi, sollicite imploravimus, ut saluti nostræ prædicto modo consuleretur. Sed eo usque valuit adversariorum nostrorum oppositio & autoritas, ut aliter nobis consultum non fuerit, nisi scripto speciali in forma solenni edito, quo Legati Suecici testabantur, se non alia conditione Tractatus Pacis subsignasse, quam ut Civitas Erffurtensis beneficio eorundem non minus, ac si expressa ejus in Instrumento Pacis mentio facta esset, gauderet, & juxta tenorem ejus nullam aliam controversiæ cum Moguntinis ven-

tilandæ viam, nisi consuetum Cameræ Spirensis forum, sequi cogeretur, prout ex Copia Num. I. notata latius patet: Quæ declaratio ab Illustrissima Legatione Suecica Legatis Moguntinis protinus denunciata, ab iisdem approbata, & loco Instrumenti publici, Actis Imperii, attestante Num. 2. tum temporis annexa est. Quantum vero præsidii ex hoc remedio nobis accesserit, non solum literæ a Reverendissimo Electore ad varios Principes missæ, quibus nempe nos tanquam non Status Imperii, sed suos absolute subditos beneficii Instrumenti Pacis non plenarie capaces, expresse asserit, ostendunt, verum etiam experientia ipsa testatur, nobis, inter tam varias hactenus motas controversias, omne juris ordinarii remedium præclusum & ex præsupposito fundamento pleni dominii solam executionis viam præscriptam. Potissima nobis lis & difficultas fuit circa preces solennes pro Reverendissimo Electore Moguntino, quas tanquam rem ante motus bellicos usitatam, & vigore instrumenti pacis restituendam strenue semper urgebant Moguntini. Quemadmodum autem ante motus bellicos, certo parvoque annorum spatio, quandiu scilicet de componendis cum Moguntino controversiis agebatur, pro causæ felici nempe tractatuum successu, nullatenus vero pro persona, & quidem libere, sine ullius jussu sic ordinante & disponente solummodo Magistratu Civitatis, preces fiebant; Ita nulla mora fuit, quin præsentibus Anno 1650. Commissariis Cæsareis, iisdemque nihil aliud exigentibus, ad eadem præstanda parati essemus, ut nimirum preces eadem intentio-

tentione & modo, quo ſuperioribus annis factum eſſet, apud nos, ad formulam ſub Num. 3. appoſitam inter ſacra prælegerentur. Quod idem in confecto tum temporis Inſtrumento ſeu Receſſu Reſtitutionis, certa quadam clauſula etiam ſancitum, ſimulque factum eſt. Cum autem hoc modo deſideriis Moguntinorum non videretur ſatisfactum, quippe qui contra, quam olim uſu receptum eſſet, non tam preces, quam potius Principis Territorialis notam & teſſeram, per verba precum ſatis ſignificatam deſiderabant, per ſubſequentes Commiſſiones, quarum impetrandarum occaſiones avide vel quærebantur vel arripiebantur, attentius quæſitum fuit, qua formula preces continue pro perſona Electoris inter nos fierent; Aſt illi ipſi, qui plebis favore ad munia aliqua publica evecti erant, & firmandæ dignitatis ſuæ ſtudio ſecreto Moguntinorum partibus favebant, hactenus metu maximæ invidiæ non auſi erant, novas preces populo obtrudere, ſed Schmidburgius tertiæ commisſionis cauſa Anno 1660. ad nos miſſus, tanquam ſingulari pacis & gratiæ apud Electorem Moguntinum ineundæ & conciliandæ ſtudio rem ſingulari induſtria aggreſſus, ne primo intuitu precum, animi Senatorum averterentur, mitiſſima aliqua formula, cujus copia Num. 4. ſignata, in qua vix diſcerneres, an pro cauſa, an pro perſona preces fierent, quaque pro ipſis nominis Chriſtiani hoſtibus uti liceret, viam ſternit. Poſtea ubi Senatores, quamvis ſub certa conditione, non aſpernantes vidit, aliam ex Moguntinis ſcriniis eorumque voto conformem depromit, & obtinendi conſenſus, Mini-

 ſterio

ſterio Limprechti, ſummi Tribuni, quem, brevi ante graviter a nobis accuſatum, innocentem haberi, & priſtinæ dignitati reſtitui juſſerat, utitur; Sed hic quamvis magno beneficio obſtrictus, Moguntinisque partibus addictus, nullam aliam officii obeundi viam reperit, niſi ſolum qua, appoſito clanculum Civitatis Sigillo, formula ſub num. 5. appoſita, perquam ſuſpecta & periculoſa, pro transacta haberetur, prout hactenus ſecuta ejus confeſſio ſub Num. 6. his literis addita, perſpicere oſtendit. Interim Schmidburgius tanquam re ſalva & unanimiter concluſa, urget Senatum, modo tribunos, modo Eccleſiæ Miniſtros, ut nova hac formula precum uterentur. Subſequuntur mandata Cæſarea, & quidem in dies duriora, fruſtraque Civitas defectum Conſenſus & legitimæ transactionis oſtendit, fruſtra Electores & Duces Saxonici tanquam Protectores noſtri intercedunt; Tandem deficiente omni juris, humillimarum precum & interceſſionis auxilio, impulſu ſuaſuque Celſisſimæ Domus Saxonicæ moti cedere & remittere aliquid de jure noſtro decernimus, primumque die Paſchatos anni præteriti pro perſona Electoris Moguntini, ægerrime quamvis annuente populo, preces, quarum Copia Num. 7. notata, factæ ſunt, prout tandem tota negotii ratio ſcripto publice edito & ſub Num. 8. hic addito explicata fuit. Verum nec hoc quidem Pacto Schmidburgius ſeu Moguntini ſibi putabant ſatisfactum, dum quoad titulum Electoris, & ſpecialem Archi-Epiſcopatus mentionem & precandi intentionem plura deſiderabantur. Itaque arctiora nobis parantur man-

ıandtta, plura alia capita, quæ novis precibus seu
Ioguntinorum desideriis promovendis idonea pu-
ıbantur, eadem severitate nobis inauditis injun-
untur, & Civitas tota tandem proscribitur, prout
erba sub Num. 9. expressa sonant. Hujus tem-
estatis declinandæ causa, quamvis etiam ad du-
ora subeunda, & ad plenam paritionem præstan-
am Senatus paratus esset, non tamen efficere po-
uit, ut apud populum religionis & liberta-
is zelo jam plane correptum & exacerbatum
otior prudentiæ quam justitiæ & prisci moris ra-
o haberetur. Hinc tandem interni dissidii se-
ıen, hinc collapsa Magistratus autoritas, ut ap-
ropinquante feciali Cæsareo furiosam plebem,
ıcri hujus nominis ignaram seu incredulam, co-
ibere nemo potuerit, quin, data tamen a suspectis
liquibus occasione, injurgiis quibusdam afficere-
ır. Quamvis autem ægerrime hoc habuerit,
ım Senatum quam saniorem majoremque Civita-
s partem, imo plures ex populo saluti & receptui
ecialis omni conatu consuluerint: Omnes tamen
uasi ejusdem criminis participes, jam per totum
mperium evulgamur, jam perduelles Cæsari to-
ique Imperio audimus, & dum non speciose satis ex
recibus Anno 1660. putative transactis, sed sum-
no studio ad executionem Instrumenti Pacis de-
ortis, nobis invadendis ansa quæri poterat, jam la-
ius adversus nos, tanquam Barbaris pejores, undi-
ue animi copiæque Germanorum Principum imo
k Regum Moguntino confœderatorum, Galliæ-
ue inprimis (ut constans rumor fert) concitan-
ur, ut certe nisi apud Imperatorem Justitiæ noxio-

rum & tot innocentium discrimen, apud Celsissimos Imperii Principes pacis publicæ, apud Serenissimam Domum Saxonicam antiquæ protectionis, Religionis, libertatisque in vicinia periculi, imo apud exteros etiam Reges æquitatis, charitatisque Christianæ & commiserationis erga miseros ratio habeatur, sine dubio nobis plane sit pereundum. Cœpta jam erat vis hostilis contra nos immissa, sed gratias hactenus Deo reddimus immortales, quod obortis aliis impedimentis imminenti procellæ mora quædam injecta sit. Pariter & Majestati Vestræ maximo beneficio obstricti sumus, quod per Ministros suos ad Circuli Saxonici Conventum missos literas pro Salute nostra Circuli nomine conceptas, & subscriptas ad Imperatorem transmittere voluerit. Grates immensas quoque rependimus Serenissimæ Domui Saxonicæ, quæ cum diversis Imperii Principibus Banno Imperialis vim atque effectum tam per ea, quæ validitati Banni opponi possunt, & quæ ipsi sub Num. 10. publice exposuimus argumenta, quam per alia intercessionum officia, hucusque remorati sunt, & jam in Comitiis Ratisbonensibus saluti nostræ quærendæ consilia ineunt. Superest, quo tantum negotium eo facilius & felicius, Deo juvante, superetur, ut & alii cordati Status Imperii, quorum veterem amicitiam & Religio & libertas publica, & hæc ipsa Civitas experta est, manum operi admoveant, nosque favore suo adjuvent, impetus & fulmina contra nos parata avertant, eoque allaborent, ut per viam juris aut amicabilis compositionis res nostræ, totiusque viciniæ salvæ sartæque mane-

maneant, atque vires potius contra communem hostem quam contra nos ipsos converti queant. Quod ut Serenissima Majestas Vestra eo, quo est apud Christianissimum Regem amicitiæ loco, quaque apud Imperii Status autoritate valet & dignitate, per Legatos suos magno nostro commodo præstare poterit, ita ad obtinendam hanc Regiam gratiam clementiamque simul ac Christianam commiserationem supplices coram Majestate Vestra ad genua provolvimur, sperantes fore adhuc aliquem pristinis meritis nostris communique olim fortunæ locum, fore item inter summos Principes pro miseræ Civitatis salute & æquo jure eum affectum, ut interitus noster & tot innocentium provide & mature avertatur. Si ulla pro Majestate Vestra & prospera fortuna solvi seu præstari poterunt vota & officia, glorioso nomini Vestro humillime & perpetuo manebimus obstricti & devincti. Dabantur Erffurti, d. 12. Jun. Anno 1664.

Serenissimæ Majest. Vestræ

*humillimi ac subjectissimi*

Senatus & Communitas

Erffurtensis.

## CCCCVI.

*Literæ STATUUM S. R. IMP. IN COMITIIS RATISBONENSIBUS DEGENTIUM LEGATORUM, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, quibus Ministros Gallicos multa in decem liberarum per Alsatiam Imp. Civitatum præjudicium conari, graviter conqueruntur, 1664.*

*Serenisſime, ac Potentisſime Rex.*

COnqueſtæ ſunt Nobis Civitates Imperiales in Alſatia unitæ, Sacræ Regiæ Maj. Veſtræ Chriſtianiſſimæ Præfecturam Hagenoenſem certa lege agnoſcentes, ſe contra immedietatem in Inſtrumento Pacis Ipſis & Imperio reſervatam Juribus inſuetis & incognitis minusque paci Monaſterienſi convenientibus ab ejusdem Præfecturæ Regiæ Miniſtris premi & a jurisdictione & tribunali Imperii evocari & eximi, aliaque varia præjudicia inferri, eorumque approbationem Civitati Colmarienſi & aliis, ſub evertendæ urbis & graviſſimæ perſecutionis comminatione quin & manuum injectione & captura ſeverius intendi. Novimus quidem Nos Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ pacis Monaſterienſis conſervandæ ſtudium adeo curæ eſſe, ut omnino incredibile ſit, velle Eandem novos in limine Imperii excitare motus, dum de propulſando Chriſtiani nominis hoſte Imperium laborat; Idcirco optime confiſi de Regiæ Majeſtatis Veſtræ æquanimi Magnanimitate Eandem decenter & inſtantiſſime rogamus, ut dictos ſuos Miniſtros propediem a tanti præjudicii conatu abſtinere atq; negotium eo remittere velit, quo inter Imperii Deputatos extraordinarios, quos jam pridem iſti operi deſtinavimus & inter eum, quem Regia Majeſtas Veſtra ad præſentia Imperii Comitia ablegavit Plenipotentiarium ex præſcripto Pacis Monaſterienſis æquo jure amice agi ac ſtatui poſſit, quippe qui jam tum dicto Regiæ Majeſtatis Veſtræ Plenipotentiario querimonias & documenta Civitatum præ-

prætactarum eum in finem Imperii nomine offerri fecimus, Regiæ Majest. Vestræ perpetuum Regni decus ac gloriam, cum longæva vita animitus exoptantes, Ejusdemque benevolentiæ Nos impense commendantes. Ratisb. 28. Aprilis Anno 1664.

## CCCCVII.

*Literæ MECHMET GERET, Chami Tartariæ, ad GEORGIUM LUBOMIRSKIUM, Magnum Regni Poloniæ Marescallum, quibus ipsum, cur auspicia exercitus Polonici hostem versus non sit secutus, interrogat, eique turbulenta in Patriam consilia dissuadet, 1668.*

### Illustrissime Domine Campiductor, Amice noster.

REx Serenissimus Frater Noster motis Exercitibus intravit terram hostilem. Nos etiam notam habentes Vestram fortitudinem & resolutionem, cur domi hæreatis, opportunitate postposita, scire non possumus. Vicini nobis suggerunt, quod Campiductor propter contumaciam remanserit; quod si ita esset, quemadmodum Vobis, ita etiam Regno Vestro bene cedere non posset. Est Vestra Dominatio Vir in Regno Poloniæ inclytus, cum quo & juramento amicitiam sancivimus; incumbebat ergo cum tota Republica Polona sub tale tempus omnibus Nobis unanimiter belli tractare negotia. Tu vero, Amice Noster, alias tibi adinvenis occupationes. Nos providemus, ut Regnum Vestrum pace struatur; Vos autem aliorum hominum incitamentis abripimini. Unde nun-

quam bene esse potest. Rex Serenissimus Fra noster ipsemet Danubium transiit; tumultus g ves concitavit in Ukrania Syrko. Nos igitur centiæ huic obviantes destinavimus Szerem Bej cum triginta millibus in Ukraniam, & Tibi incu bit, Amice Noster, junctis cum Legionibus nos viribus compescere hanc licentiam; Nos quoc in persona Nostra brevi illas legiones conseq mur. Quod si vero Dominatio Vestra aliis dist cta sit occupationibus amice poscimus, velis qua primum significare de omnibus per Tuum Ab gatum. Cui Nos Valetudinem & omnem fe citatem precamur.

Vestræ Dominationi

*Baktysarai 28. Maji 1664.*

*Addictus Amicus*

Mechmet Gerey Cham, mpp

CCCCVIII.

*Literæ GEORGII LUBOMIRSKII, Ma Regni Poloniæ Marescalli, ad JOHANNE CASIMIRUM, Regem Poloniæ, quibus s plex gratiam ipsius implorat, 1664.*

Serenissime & Potentissime Rex, Domi mi clementissime.

ITa per omne tempus deservii Sacræ Majest Vestræ, ut non modo opere, sed ne cogitatio quidem deliquerim contra Regiam Majestat Vestram, sic me Deus adjuvet! Agnoscebam etenim semper esse facturam Regiæ Majestatis V stræ, Domunculamque meam Serenissimorum R gum Parentis & fratris Antecessorum Regiæ Ma

f

ſtatis Veſtræ gratia & benignitate, in tantum fortunis & honoribus auctam, ut nunquam rea tantorum beneficiorum in me expirare poſſit gratitudo. Acceptabat Regia Majeſtas Veſtra antea clementer addictiſſima mea obſequia, & digna cenſebat confidentiæ munificentiæque tam eximiæ. Quo pacto in hanc inciderim Sac. Reg. Majeſtatis Veſtræ averſionem, qua eum, quem elevaſti, allidis, quem creaſti, annihilas, quem paulo ante poſuiſti in ſpectaculum gratiæ, nunc præbes in exemplum iræ & alienationis, ſcire nequeo & ſcrutari non audeo. Supplico tantum Sacræ Regiæ Majeſtati ad pedes provolutus, non intres in judicium cum ſervo tuo: Opus manuum tuarum ſum, faciat de me Sacra Regia Majeſtas Veſtra, tanquam Dominus de ſervo, tanquam Rex de ſubdito, tanquam formator de creatura ſua juſtitiam, illo tantum nomine rea, quia infelici, nec aliud crimen (Deum teſtem appello!) in me recognoſcenti. Quod ſi ut homo per inconſiderationem offendi aliquantum Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram, Dominum & Benefactorem meum; mendico humillima prece, proſtratus ad genua Regiæ Majeſtatis Veſtræ, velis condonare errorem, & hac benignitate Duce, qua per totum clareſcis orbem, me ad Regalem gratiam admittere. Datum Anno 1664.

Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ, Domini mei clementisſimi

*Fidelis ſubditus*

Georgius Lubomirski.

CCCCIX.

## CCCCIX.

*Litera GENERALIUM FOEDERATI BELGII ORDINUM, ad LEOPOLDUM, Romanorum Imperatorem, quibus ipsi, Christophorum Bernhardum, Episcopum Monasteriensem, in terra Orientalis Frisiæ executionis ipsi demandatæ munere non rite defungi, sed subditos ejusdem hostilem in modum habere significant, ac ut prædictam executionem moderatiori committere Principi dignetur, obnixe ab eo contendunt, 1664.*

### Serenissime, Potentissime & Invictissime Imperator.

PRoculdubio ad aures Cæsareæ Vestræ Majestatis ad singula temporis momenta perlati fuere nuntii, de iis, quæ facta sunt per Dominum Episcopum Monasteriensem, & quomodo sub prætextu executionis judicialis, abutens auctoritate ex mandatis sibi a Cæsarea Vestra Majestate indultis, non præsumserit tantum, sed & actu ipso per modum subitaneæ oppressionis in hujus Status limitibus Ost-Frisiæ Principem hostiliter fuerit aggressus. Dum in eo laboramus, ut negotium hoc æquo, moderato & pacato animo componatur, distulimus, justas & bene fundatas querelas nostras ad Majestatem Vestram Cæsaream deferre, sperantes litem hanc per amicam compositionem ad satisfactionem partium, quarum interest, feliciter posse terminari. Sed præter omnem expectationem frustrati spe nostra, propter insolitum & inusitatum Domini Episcopi agendi modum, diutius differre nequivimus, quo minus Majestati Ve-

Vestræ Cæsareæ clare ostendamus, prædictum Dominum Episcopum in hac lite transigenda non se gerere, uti legitimus debeat executor, sed instar hostis manifesti & usurpatoris injusti; quapropter exigit officii nostri ratio, ut Cæsaream Vestram Majestatem obnixe & ex toto affectu rogemus, ut mandata, quæ ad executionem debiti Lichtenstenienfis Cæsarea Vestra Majestas prædicto injunxit Episcopo, conferantur in alium, qui sit majoris moderationis & modestiæ, & ut in posterum prædictus Dominus Episcopus a Majestate Vestra Cæsarea excusatus habeatur, ab omnibus executionibus judicialibus, præsertim illis, quæ in finibus hujus Status debeant institui. Non jam hic prolixe commemorabimus, quomodo prædictus Dominus Episcopus eo ipso tempore, quo illum certiorem feceramus, nos in eo esse, ut rationem aliquam comminisceremur ad colligendas pecunias, quæ mitterentur Principi Frisiæ Orientalis ad solutionem ejus summæ, quam Principi de Lichtenstein persolvere tenebatur, quomodo illum rogaverimus, ut ab executione, quam minabatur Principi Ost-Frisiæ, tantisper cessaret, quomodo item cum literis nostris ita rescripserit, ut de illo securi esse possemus, nihilominus copias suas militares ad limites nostros promoverit, faciens eas procedere in conspectu præsidiariorum nostrorum, nec solum invadere & occupare prædicti Principis Ost-Frisiæ munimentum, situm & inclavatum inter tria alia munimenta hujus Status, idque in tali loco, qui merito suspicionem nobis movere debet; verum etiam cum omni diligentia munire prædictum locum

cum tam foris quam intus, prospiciens illi de t
mentis & omni apparatu bellico & copioso co
meatu, ita ut universus mundus satis colligere p
tuerit, voluisse eum locum hunc sibi servare,
hic figere possessionem. Equidem omnia hæc
eo facta sunt nobis inconsultis, multo minus
causam nobis communicarit, cui fini & cui bo
attentaret pleraque isthæc, directe adeo contra
iis, quæ & civilis ratio & bonorum vicinorum e
gat officium, illorum præsertim, quibus curæ
omnes umbræ & suspicionis causas tollere & pr
venire.

Quamvis autem propter hæc, quæ diximus,
non deerat causa justa & legitima, ita neque de
set opportuna commoditas submovendi illo ip
temporis articulo, militares istas copias, præcip
cum violentia hæc committeretur in Comitatu O
Frisiæ, quæ Regio a multis retro annis tot fœde
bus & tractatibus adeo annexa est Provinciis U
tis, ut limitis loco sit habenda; cumque præter
prædictus Comitatus in quacunque occasio
semper a nobis fuerit protectus, insuperque ar
trium in componendis controversiis, quæ int
Principem & Ordines ejusdem Comitatus oriu
tur, nobis fuerit delatum; Nos nihilominus so
ta nostra moderatione & patientia ordinaria (q
prædictum Dominum Episcopum ad quidlibet i
pune audendum invitasse videtur) benigne h
omnia interpretati sumus, & plerasque istas ir
gularitates susque deque habentes, ita anim
videri voluimus, ac si prædictus Dominus Episc
pus, ea solum intentione hæc patrasset, quo tan

facilius disponeret & adigeret Principem Ost-Frisiæ ad persolvendum debitum Principi de Lichtenstein. Quin etiam, quod majoris est momenti, nos ipsi amore pacis, ad aliquod tempus quodammodo renunciare voluimus juri nobis competenti, quippe (ut Cæsarea Vestra Majestas ignorare non potest) ipsa hæc terra, quam eo, quo exposuimus modo invaserat prædictus Dominus Episcopus, nobis jam erat oppignorata, & hypothecis obstricta pro multis & conspicuis satis pecuniæ summis, præstitis tam Principi quam Ordinibus illius terræ.

Persuasissimi sumus, Cæsaream Vestram Majestatem æque ac nos, nunquam credituram fuisse prædictum Dominum Episcopum eo unquam progressurum injustitiæ, nec tantam commissurum imprudentiam, ut universo orbi notum faceret, eam esse intentionem suam, ut quem invasisset locum per fas aut nefas sibi vellet asservare, & velle perseverare in prætensa executione, quamvis nummi, quorum gratia ista executio quoad speciem instituebatur, effective & formaliter ipsi essent oblati. Quod nos attinet, libenter fatemur, hunc agendi modum haud aliter a nobis æstimatum fuisse, quam oppressionem & intolerabilem Principis Ost-Frisiæ & velut insupportabilem contemtum & contumeliam huic Statui illatam. Quamobrem propter rationes & considerationes, quas paulo ante attigimus, non potuimus cum bona conscientia temperare nobis, quin totis viribus juvaremus, & liberaremus prædictum Principem & prædictam Regionem ab ista oppressione, simulque conser-

vemus

vemus & tueamur nostrum jus, nostram securitatem & denique nostram existimationem, prout facere tenemur.

Veruntamen ad majorem etiamnum ultimæ patientiæ nostræ significationem, non dubitavimus, antequam reipsa propositum exequeremur, per literas repræsentare Domino Episcopo injustitiam, quam faceret, & satis huic ampliter demonstravimus, nullo modo excusari posse, quod discedens ex Episcopatu Monasteriensi, mandata & potestatem dederit per modum executionis exigendi & extorquendi a villicis & rusticis Ost-Frisiæ terminum elapsum debiti Lichtensteiniani, cogens eos minaciter, ut intra mensis spatium in munimento de Deil jussam summam persolverent. Quamvis vero universa summa, quæ militari isthac executione exigebatur, ante exspirationem temporis tam in prædicto munimento, quam in loco, ubi secundum pacta conventa, solutio fieri debebat, æquiter offerebatur; nihilominus illi, qui potestatem exigendi ab eo acceperant, negantes se habere mandatum recipiendi pecunias, quæ offerebantur, multoque minus potestatem differendi jam inceptam executionem, aut removendi copias militares ex munimento, quod occuparant, flocci habebant judicia totius orbis, qui actionem hanc reputabant velut intolerabilem, cum inauditum sit vastare terras & perdere habitatores violenta pecuniæ exactione, & interim recusare eandem pecuniæ summam, quæ aliunde pacate illis offerebatur, dummodo possint, sub quocunque colore per-

perſeverare in injuſta executione & poſſeſſione loci, quem invaſerant.

Serio rogavimus prædictum Dominum Epiſcopum propter has & complures alias rationes latius explicatas in ea, quam miſimus, epiſtola, tum ut rationi & juſtitiæ ſatisfiat, tum etiam ut præveniantur mala & calamitates, quæ exinde oriri poſſint, ut mediante ſolutione prædictæ ſummæ, quæ offerebatur, ipſi placeret intra breve ſpatium ſignatum in prædictis literis prædictum munimentum evacuare. Quin etiam eidem Epiſcopo ad majorem ſuam confuſionem & convictionem promiſimus etiam ante evacuationem prædicti munimenti annumerare ſecundi termini ſummam, quæ ſecundum pacta conventa intra paucos dies repræſentari debebat. Quamvis vero firmiter credebamus, tam liberales & ſplendidas oblationes ſine mora acceptari debere, protinusque evacuationem, quæ poſtulabatur, ſecuturam, propthereaque copias noſtras militares in limitibus Status noſtri inhibuerimus, usque quo præſtitutus dies exſpiraret, nihil tamen a prædicto Domino Epiſcopo obtinuimus, niſi quod demum elapſo hoc die, quum jam procederent copiæ noſtræ, Dominus Brabech, Decanus Eccleſiæ Cathedralis miſſus Epiſcopi huc advenerit, qui poſtquam in conferentiam admiſſus eſt, cum quibusdam Deputatis noſtri corporis, fecit inſtantiam, ut inhiberemus copias noſtras, & armiſtitium indiceremus, donec totum negotium pacate tranſigeretur, affirmans ſe hoc nomine attuliſſe poteſtatem ſufficientem & bonam diſpoſitionem: ſatis nihilominus decla-

 rans,

rans, non esse suam intentionem, ut directe nobiscum tractaret, sed solum cum Dominis Deputatis Principis Ost-Frisiæ, qui hic aderant. Facta itaque copia quorundam articulorum, quos dicto tractatui inseri gestiebat, rogavit Nos, ut adjuvare illum vellemus in disponendis prædictis Dominis Deputatis Ost-Frisiæ ad acceptandos & admittendos istos articulos. Prædicti autem Domini Deputati non tantum promptos paratosque se esse testati sunt ad hanc petitionem, quatenus nempe isti articuli erant conformes sententiæ & consilio aulico Cæsareæ Vestræ Majestatis ac conventioni pactæ 4. Septembris proxime elapsi, sed observantes a parte Episcopi aliquem etiamnum superesse scrupulum, ac si fieri posset, ut a nobis in posterum nonnihil interjiceretur impedimenti ad eludendam executionem, quæ statis temporibus fieri deberet, donec summæ residuæ in prædicta conventione stipulatæ plenariæ persolverentur: idcirco nostri Deputati obtulerunt, nos per promissionem solemnem signatam magno hujus Status sigillo paratos esse securitatem præstare Domino Episopo, ne tale quid accidat. Postquam vero Dominus Decanus gemina hac oblatione contentum se esse ostendisset, tandem etiam adjecit, omnibus his ita compositis & conventis, debere se nihilominus de alio quoque loqui articulo, quem tamen, ut eadem illa conferentia exponeret, nullo modo a nobis induci potuit, quamvis negotium dilationem non pateretur. In sequentibus autem conferentiis ex communicatione facta, invenimus articulum istum reservatum eo tendere, ut nos obligaret ad rela-

xan-

xandam partem securitatis, quam expresse stipulati essemus a Principe Ost-Frisiæ per tractatum solennem pro summa effective eidem Principi annumerata, quo primum hujus debiti terminum persolveret. Postquam igitur prædicto Domino Decano evidenter demonstratum esset, hunc articulum nihil quidquam pertinere ad Episcopum Dominum suum, utpote qui nihil aliud curare deberet, nisi ut nummi debiti Principi de Lichtenstein secundum latam sententiam & prædictam conventionem effective persolverentur, ipsius vero munus esse, ut munimentum, quod occupasset, penitus evacuaretur & restitueretur Principi Ost-Frisiæ, eis dehinc stipulatis conditionibus, ut ipse sibi molestus non esset, rebus nihil quidquam ad se spectantibus, denique ut hujus rei curam & administrationem iis relinqueret, quos negotium hoc tangeret, visus est tandem persuaderi & a proposito desistere, paratumque se ostendere, ut componeretur & concluderetur totum negotium cum Dominis Deputatis Ost-Frisiæ ea conditione, ut prædictam promissionem scripto sibi committendo consignaremus: simul rogans, ut illico copiis nostris militaribus, quæ jam progressæ erant, ad munimentum de Deil, armistitium indiceretur. Veruntamen cum propter evidentes rationes ipsi significaremus, tum demum id fore, quando prædictum negotium conclusum esset cum Dominis Deputatis Ost-Frisiæ & non ante; Dominus Decanus videns se non posse id ipsum impetrare per anticipationem, significavit expectare se etiamnum aliud mandatum magis particulare ab Episcopo Domino suo per

curſorem jamjam adfuturum. Quod ſi iſtud man-
datum iſtiusmodi eſſet, ut cum ante conventis pa-
ctis concordari non poſſet, tunc priorem conven-
tionem fore irritam. Hæc iterata Reſervatio
quamvis Deputatis merito mirifica videretur, nc
tamen in cauſam inquiſiverunt, ſed recte ſe factu-
ros exiſtimarunt, ſi non obſtante eo negotium
componetur cum Dominis Deputatis Princip
Oſt-Friſiæ, qui tunc in loco aderant, credeban
quippe, omnia hæc bona fide fieri, & impoſſibi
judicabant, poſtquam ſatisfeciſſent omnibus ii
quæ Dominus Epiſcopus aut potuiſſet aut debui
ſet deſiderare ad ſecuritatem ſummæ perſolvend
Principi de Lichtenſtein, alia poſſe expectari man-
data, niſi illa, quæ omni modo accelerarent con-
cluſionem iſtius negotiationis, nec velle curſum
litium morari interpoſitione rerum, quæ nihil a
ipſum pertinerent. Sed magna cum admiration
paulo poſt intelleximus, prædictum Dominum
Decanum declarantem, accepiſſe ſe mandata a
Epiſcopo Domino ſuo, quæ abſolute ipſum imp
dirent perficere ea, de quibus jam conveniſſet, i
ut hac ratione tota negotiatio denuo interrup
fuerit, quamvis inter prædictum Dominum Deca-
num & Deputatos Oſt-Friſiæ deſcriptum jam eſſ
conventionis protocollum. Illud vero acceden-
te aliqua correctione & amplificatione, præſe
tim quoad apocham, qua mediante prædicti num
mi annumerarentur, & item quoad cautionem d
ſecuritatem præſtandam Principi Oſt-Friſiæ, qu
immunis fieret contra quodcunque aliud poſtula
tum; concluſum & ſignatum fuiſſet tam per Do

m

minum Decanum, nisi sequentia quæ accepisset mandata id ipsum impedissent, quam per prædictos Dominos Deputatos Ost-Frisiæ. Simul quoque indicta fuisset armorum suspensio, quæ a nobis postulabatur. Quænam vero causæ & cogitationes movere potuerint prædictum Dominum Episcopum ad actiones adeo exorbitantes, prorsus nescimus, ita ut illas mirari potius quam intelligere potuerimus, præsertim, quando octiduo circiter serius unus e Secretariis prædicti Domini Episcopi nobis apparuit, missus cum prætensa ratificatione conventæ formulæ, quam prædictus Dominus Decanus propter rationes superius allatas, concludere & subscribere recusarat, absque tamen eo ut prædictus Secretarius ullas credentiæ literas aut alias notas, quibus qualitatem suam testaretur, nobis exhiberet. Non dubitamus, quin Vestra Majestas Cæsarea æque ac complures alii, damnent credulitatem, qua usi sumus, verum certo nobis persuademus, Majestatem Vestram æque ac universum mundum facili e hinc intellecturam, quousque condescenderimus, respectu intercessionis Ministri Vestræ Majestatis, qui apud nos residet, & propter singularem inclinationem ad conservandam bonam vicinitatem cum Imperio Romano universim & sorsim cum singulis ejus membris, quod neglectis omnibus ordinariis formalitatibus, ut evitaremus omnia hostilia & extrema contra prædictum Dominum Episcopum, receperimus istam prætensam ratificationem e manibus hominis nullis credentiæ aut qualitatis notis instructi. Quamvis vero postquam ista ratificatio

lecta esset in nostro consessu, præter inconvenientiam palbabilem, quæ consistebat in eo, quod nulla posset ratificatio esse, ubi nulla præcedat conventio, etiam id observaremus, quod non admodum bona fide nobiscum ageretur, utpote cui specimen conventionis non esset insertum, ita uti hic erat conceptum, sed cum mutatione essentiali, & omissione integræ periodi: nihilominus amore pacis ad omnia hæc conniventes, effecimus, ut aliqui e Deputatis nostris particularius loquerentur cum prædicto Secretario, cui postquam ea, quæ diximus, demonstrata essent, produxit aliam etiamnum prætensam ratificationem, in qua prædictæ conventionis specimen verbotenus insertum legebatur. Postquam vero huic significatum esset, si prædictus Dominus Brabech ante discessum induci potuisset, ut perficeret prædictam conventionem, aliqua nos correcturos fuisse, præsertim circa duos præfatos articulos, quorum unus apocham, alter cautionem exhibendam spectaret, idque adstipulante & acquiescente Domino Brabech, speciatim huc declarantes absque istac correctione & ampliatione nos non posse suadere Principi Ost-Frisiæ, cujus Deputati interea hinc discesserant, ut conventionem hanc admitteret aut signaret. Prædictus missus Secretarius insuper adfirmabat, sufficienter se de his esse instructum, & Episcopum Dominum suum permissurum, ut dictæ correctiones& ampliationes, quæ postulabantur, inserantur, ea conditione, ut interpositione securitatis & fidei quam exhibiturus esset, nobis placeret indicere armorum suspensionem,

nem, uti postulabatur, inque hujus rei testimonium, ostendit prædictis Deputatis nostris scriptum Originale Episcopi, quo expressam sibi potestatem concedebat id ipsum declarandi, & prædictam securitatem exhibendi. Hæc ubi nobis renunciata fuere, penitus acquievimus. Curavimus deinceps communicari Secretario huc misso prædictam conventionem correctam & ampliatam cum præfatis annotationibus, & postquam ipse adfirmasset esse illam conformem sententiæ & bonæ intentioni Domini Episcopi, 25. mensis præteriti conclusimus armistitium postulatum, & expressis literis jussimus Principi Gvilhelmo de Nassau, quem Generalis titulo præfecimus copiis militaribus, quæ erant prope munimentum de Deil, ut illud custodiret, in gratiam promissi facti per Secretarium, quod nempe prædictus Dominus Episcopus dictam conventionem ita correctam & ampliatam vel ante, vel saltem ultimo ejusdem mensis die per suos Deputatos ac item illos Principis Ost-Frisiæ illic eodem tempore convocandos in castris munimento vicinis perfici curaret, & speciatim ut Deputatis suis daret potestatem absolutam concludendi & signandi conventionem eo, ut diximus, modo correctam, & ut propterea prædicta conventio ita correcta & ampliata ab utraque parte verbotenus instrumentis plenariæ potestatis insereretur, ita ut peracta signatura & prædictis originariis instrumentis utrinq; permutatis opus non esset aliam postulare ratificationem, sed ut totum negotium eodem temporis momento, absque ulla difficultate perficeretur, uti, si placuerit, Vestra Cæsarea Majestas ampliter poterit cognoscere ex nostro Decreto,

creto, quod 25. ejusdem mensis in eodem sump
mus negotio, idque consentiente dicto Secreta
misso, cui verbotenus communicatum fuit, an
quam confirmaretur. Resolutionis hujus Ap
graphum literis his adjunximus, in qua illud pra
pue placeat Majestati Vestræ notare, quod in m
jorem prædicti Domini Episcopi securitatem cu
vimus confici scriptum solemne, promissionem
fidejussionem nostram complectens, ut si im
sterum contra spem nostram Princeps Ost-Fr
non satisfaceret huic conventioni, ita, ut ad hu
consummationem quocunque tempore & lo
executio contra ipsum instituenda esset, nos p
dictam executionem non impediremus, nec
huic vel ipsi, vel per alios, directe vel indirecte
quocunque modo opponeremus. Sed exitus
cuit, bonitatem & benignitatem nostram nimi
pervicaciæ, & obstinationi causam dedisse, c
constituto tempore a parte Domini Episcopi, n
lus comparuerit obtuleritve se vel Deputatis
stris, qui in loco aderant, vel Domino Prin
Gvilielmo de Nassau copiarum nostrarum pra
cto. Verum quidem est, die ultimo mensis c
vesperam advenisse nonnullos, qui oretenus
clararent esse se Deputatos prædicti Domini
scopi, sed nullas habebant literas vel ad Deput
nostros, vel ad Dominum Principem de Na
nec etiam offerebant se Deputatis nostris ad
loquium & conferentiam, nedum ut illis osten
rent auctoritatis suæ literas, quibus specimen c
ventionis esset insertum, sed positive adfirmab
tantum se missos esse, ut cum solis Principis

Frisiæ Deputatis tractarent. Admissi autem in conferentiam cum illis, deprehensum est, illos non esse instructos istiusmodi literis, quales superius designavimus, imo ne Apographum quidem bonæ & sufficientis Apochæ proferebant, qualem talem formula seu specimen prædictæ conventionis exigebat, ita ut salutaris conventio fuerit etiamnum hac vice neglecta & subversa per prædictum Dominum Episcopum.

Persuasissimi sumus, Majestatem Vestram ex iis, quæ hactenus retulimus, facile intellecturam, cum quanta condescendentia & pacifica inclinatione nos gesserimus jam a principio hujus negotiationis, & quod nihil omiserimus eorum, quæ fieri possint ad evitandam ultimam necessitatem, quæ nos coëgit tandem, eo, quo diximus, modo, uti armis, & efficere, ut Episcopales copiæ e prædicto munimento migrarent. Et tamen etiam, postquam necessitas huc nos compulisset, prætermisimus & transcurrimus omnes istas informalitates, eo fine, ut hostilitates jam exorsæ amice sopirentur. Omnia vero hæc egimus, non tam ex consideratione prædicti Domini Episcopi, quam ut Majestati Vestræ Cæsareæ, & toti mundo notum faceremus, quanti faciamus intercessiones, quas Minister Vestræ Majestatis hic residens in hoc negotio nomine Vestræ Majestatis coram nobis egerit, & quantum nobis cordi sit bona vicinitas & bona intelligentia cum Imperio Romano & singulis ejus membris. Ea nostra fuit fortuna, ut præterito tempore vixerimus in bona amicitia & correspondentia cum præcedentibus Episcopis & Principi-

X 5 bus

bus Monasteriensibus, qui majori ex parte erant Principes natura, & ex illustrioribus oriundi familiis. Quamvis autem tantundem, si non amplius obstrinxerimus præsentem Dominum Episcopum, quam aliquem ex præcessoribus ejus, idque complacentiæ nomine, quam erga illum testati sumus, tam in negotio de Bevergarde, quam in multis aliis haud contemnendis occasionibus, ab aliquo nihilominus tempore deprehendimus, quod ipsius genius ipsum reddat incompatibilem, si non subditis suis, at saltem omnibus suis vicinis. Istam tamen animi intemperiem conniventibus sæpe oculis dissimulavimus respectu Cæsareæ Vestræ Majestatis & Imperii Romani, ac præterea pacis amore. Sed experientia demum edocti, complacentiam hanc, quæ efficere debuerat, ut nos impensius amaret, ipsum superbum & iracundum reddidisse, constituimus exorbitantias ejus, a quibus imposterum nos immunes fore speramus, non ulterius perpeti, sed tempestive & fortiter illis occurrere.

Quandoquidem vero Cæsarea Vestra Majestas ex iis, quæ hactenus dicta sunt, palpabiliter possit intelligere, Dominum Episcopum abusum commissione, qua Cæsareæ Vestræ Majestati placuit ipsum honorare, non executoris judicialis, sed usurpatoris & manifesti hostis instar se gessisse, obnixe illam rogamus, ut dicta commissio non amplius huic prorogetur, sed ut in alium majoris moderationis & humanitatis virum conferatur, utpote qui superflue nimis de conatibus ejus jam edocti, aggressiones istas violentas in limitibus nostris ulte-

ulterius sustinere non possimus, sed necessitate compulsi fortiter nos opponere cogamur. Quapropter iterum tanquam boni amici & vicini rogamus, ut imposterum a similibus executionibus excusatus habeatur. Insuper rogamus Cæsaream Vestram Majestatem, ut huic ex vera hujus negotii commemoratione lubeat cognoscere, quam faventi & prompto animo intentionem Majestatis Vestræ adjuverimus, in promovenda executione decreta in favorem Principis de Lichtenstein contra Principem Ost-Frisiæ, & quidem eo usque, ut nisi prædictus Dominus Episcopus per suas actiones irregulares interpellasset satisfactionem dictæ sententiæ, quam secundum ordinem & commissionem datam exequi tenebatur, prædictus Princeps de Lichtenstein effective, sine difficultate ulla & sine ullis expensis executionis, jam obtinuisset summam ducentorum & octoginta quinq; millium Imperialium Thalerorum, residuumque hujus summæ successive & statuto tempore sine strepitu armorum plene esset consecutus. Et quidem illud Cæsareæ Vestræ Majestati affirmare possumus, tantam apud nos esse justitiæ rationem atque venerationem, ut ne minimum quidem impedimentum unquam conferre velimus, quo minus etiam aliorum negotiorum instituatur & terminetur executio, secundum sententiam a Vestræ Majestatis aut Imperii judicibus rite & competenter latam atque decisam: quin potius totis viribus allaboraturos, ut istiusmodi executiones semper & ubique & in omnibus convenientem sortiantur exitum. Insuper & hoc rogamus, ut Cæsarea Vestra Majestas

per-

persuasissimum habeat, nihil nobis æque cordi fore, quam ut cum Majestate Vestra omnibusque Imperii Romani membris, bonæ amicitiæ & vicinitatis jura excolamus: Nos quidem a parte nostra sancte & inviolabiliter illa conservabimus & tuebimur: In cujus rei fidem mandavimus Hameli Bruininx, ut in manus proprias Cæsareæ Majestatis præsentes tradat literas. Datum Hagæ, die 10. Junii, 1664.

## CCCCX.

*Litera S. R. IMP. ELECTORUM, PRINCIPUM & STATUUM AD COMITIA RATISBONÆ INSTITUTA LEGATORUM, ad PROCERES & ORDINES REGNI HUNGARIÆ, quibus suppetias contra Turcas promittentes, concordiam suadent, suoque militi necessaria vitæ sustentandæ media pro præsenti pecunia, æquo pretio suppeditari cupiunt, 1664.*

### Reverendissimi, Illustrissimi, Magnifici & Generosi Regni Hungarici Proceres & Ordines.

EA, quæ a multis retro annis inter Sacrum Romanum Imperium ac inclytum Hungariæ Regnum coaluit necessitudo, nunc quoque nos permovit, ut in præsenti a Turcis bello nostra Vobis arma & auxilia haud deesse pateremur, idque ipso opere hactenus testati apertius demum declarare Nostrasque consultationes in his, quæ adhuc durant, Comitiis, eo præcipue dirigere voluimus, quo communi

muni omnium suffragio Vobis ceu Vicinis nostris & amicis valida & diuturna contra communem hostem auxilia decernerentur. Etenim cum mutuæ humanitatis ac vicinitatis jura Christianæ Religionis præterea amor, tum commune & instans periculum, id a Nobis exigant, non potestis non de hoc nostro proposito bene ac amanter sentire omnemque vobis circa Ejus executionem polliceri fidem & constantiam. Augustissimo enim Cæsari nostro, Eidemque Regi Vestro gloriosissimo hoc ipsum pro salute vestra & paterna sua cura & solicitudine enixissime efflagitanti & urgenti unanimi omnium voto, sancte promisimus, neque est, quod ab his suppetiis nostris vel Religioni vel libertati ac privilegiis vestris quicquam adversi suspicemini, cum Sacræ Majestatis Suæ & Nostrum omnium mens ac voluntas alia non sit, quam junctis consiliis & armis barbaræ infidelium Tyrannidi obviam ire, nobilissimumque Hungariæ Regnum ab ulteriore clade defendere, minime vero Ejus immunitates ac jura vel in levissimo labefactare aut imminuere; Proinde in hoc unum intenti dignos Christiano nomine spiritus sumamus, junctoque animorum & armorum robore, feralem in nos barbarorum impetum ac ferociam sistere ac retundere tandem conemur. Aderit hac pura intentione operantibus divini numinis favor, & nos quidem sacratissimi Cæsaris Nostri auspicia secuti armis, viris, pecunia semper periculi & necessitatis rationem habituri, nos Eum juvare non cessabimus. De vestra autem fortitudine & constantia cum injuriosum sit vel minimum dubitare, hoc unum tantum

tum

tum hortamur, ut inter vos concordiam alere & depositis utrinque religionis causa conceptis odiis & suspicionibus ad propulsandum communem hostem fraterne concurrere, militem nostrum pro vestris aris focisque pugnare paratum omni vicissim humanitate & benevolentia excipere & tractare, eique pro præsenti imprimis pecunia justo & tolerabili pretio necessaria suppeditare velitis, hocque semper cogitetis, quamvis Duces nostri officio suo juxta leges disciplinæ militaris non sint defuturi, nullum tamen bellum tam sancte geri posse, quin sua secum trahat incommoda, sed ea abunde pensari, defensæ patriæ gloria & ex hostibus parta victoria, quam dum vobis a Deo, omnium bonorum largitore precamur, Nostra Vobis studia, ac amicitiam peramanter offerimus.

Reverendissimarum, Illustrissimarum, Magnificarum & Generosarum Dominationum Vestrarum

*Datum Ratisbonæ ex Comitiis XI. Junii, 1664.*

*Paratissimi & studiosissimi*

Sacri Romani Imperii Electorum, Principum ac Statuum ad præsentia Imperii Comitia Legati.

*Inscri-*

*Inscriptio.*

Reverendissimis, Illustrissimis, Magnificis & Generosis Dominis, Dominis Regni Hungariæ Proceribus & Ordinibus.

## CCCCXI.

*Litera FRIDERICI WILHELMI, Electoris Brandenburgici, ad JOHANNEM CASIMIRUM, Poloniæ Regem, quibus eum, ne Tartaris desideratum per Regnum Poloniæ in Silesiam transitum concedat, enixe rogat, 1664.*

### Serenissime & Potentissime Rex, Domine Cognate, Affinis & Frater Colendissime.

FIde digno relatum habemus nuncio, Tartaricum ad Regiam Majestatem Vestram id inprimis in mandatis habere Legatum, ut gentis suæ copiis Imperatori Turcico in moderno, quod cum Sac. Cæs. Majest. sacroque Romano Imperio gerit, bello, militari perditione Regnorum assistentibus in Silesiam finitimasq; Provincias transitum ab eadem petat; Etsi quidem irrito penitus conatu hæc suscipi certi simus, quin imo Regiam Majestatem Vestram non sine gravi animi indignatione offensaque laturam confidamus, eo usque profectam barbarorum vesaniam, ut talia tentare audeat, quæ non nisi ruptis Societatis Christianæ vinculis a Regia Majestate Vestra concedi possent. Ne tamen ulla in re præcaventes Principum Statuumque Superioris Saxoniæ circuli indemnitati debuisse ali-

aliquid videamur, pro consortio Directorii, quo in eo fungimur munerisque, absente pro tempore extra eundem Serenissimo Electore Saxoniæ, peramanter obnixeque rogamus, ut Regia Majestas Vestra, quod ultro, suaque sponte pro sua pietate, zeloque factura fuerat, ad Nostram ex sententia præmemoratorum Principum ac Statuum amicorum requisitionem lubens meritoque præstet, avertatque ea omnia, quæ non tantum Nobis in summum detrimentum vergerent, verum etiam subditos Regiæ Majestatis Vestræ innumeris malis ac calamitatibus involutura essent. Constabit pari ratione vetustissimis, quorum fide securi hactenus utrinque vixerunt, inter Imperium Remque publicam Polonicam, pactis sua integritas, constabunt quoque vice versa Regiæ Majestati Vestræ non solum hujus Nostri, sed & vicinorum circulorum quacunque occasione promtissima studia. Cæterum summum veneramur Numen, ut Regiam Majestatem Vestram ea cumulet (ex ejusdem voto, gloria, ut reducta populis suis plena pace tranquillitateque, junctis cum Sacro Romano Imperio, aliisque Regibus animis viribusque imminentia ab infidelibus toti Orbi Christiano propulset pericula, omnigenaque perpetim fruatur felicitate. Dat. in arce nostra Coloniæ ad Spream, die 23. Junii, 1664.

## CCCCXII.

*Literæ* NICOLAI, COMITIS *a* ZRIN, *ad* CONSILIARIOS CÆSAREOS, *Græcii commorantes, quibus novum fortalitium suum*

*ſuum in conſpectu Cæſarei Exercitûs occupatum eſſe, graviter conqueritur, 1664.*

P. P.

Quod a nullis hiſtoriis memoratum & plane inauditum Veſtris Excellentisſimis Dominationibus magno animi dolore ſcribo, quod meum novum fortalitium plane integrum, non tormentis conquaſſatum; nec cuniculis ſubfoſſum inimicus hodie mane, ſola quaſi framea, in præſentia majoris Noſtri exercitus, qui ſe ibi habet, ceperit & occupaverit. Hic eſt itaque ille ſemper ſperatus & deſideratus ſuccurſus. Dominus Montecuculi certe pro defenſione hujus arcis nunquam gladium evaginari permiſit, quæ etiam me coegerunt, ut ad ſuam Majeſtatem per poſtam properarem; ſed hodie iterum a Magnatibus Hungaris & ab ipſo Domino Montecuculi multum exoratus ſum, ut redirem: dum hic ſubſiſto & reverti cogito, hæc infauſta arcis perditæ nova accipio. Provideant Veſtræ Excellentiæ cito, ut Clementiſſimo Domino Noſtro demonſtretur, quod nullus in mundo tam potens exercitus ſit, qui plura fortalitia & Regna amittat, ſi ſemper ſic bellabitur. Ego hic iterum revertar ad caſtra, quæ jam tota conſternata eſſe dicuntur, & paſſum Muræ, quantum potero, etſi ſolus eſſe deberem, defendam, nec recedam usque ad noviſſimam guttam ſanguinis mei, ibi enim unicuique Patriæ Civi locus & tempus moriendi eſt, de futuro nihil ſcribam, curam ipſi de omnibus habeant. Deus Veſtras Excellentias ſervet

felicissimas. Datum Tschakathurni, die 30. Junii, 1664.

## CCCCXIII.

*Literæ SENATUS COMMUNITATISQUE ERFORDIENSIS ad CAROLUM XI. Suecorum Regem, cui, quibus in angustiis res suæ versentur, submisse exponunt, ejusque inter Electorem Moguntinum & semet interpositionem supplices implorant, 1664.*

### Serenissime ac Potentissime Rex, Clementissime Domine.

Quantam ex Clementissimis Majestatis Vestræ literis spem, quantamque in afflictis rebus nostris perceperimus consolationem, vix animo satis reputare, nedum verbis sufficienter prædicare possumus. Quid enim merita est tenuitas nostra, quod Majestas Vestra inter gravissimas Regni curas, nostri memor esse, nostræque Civitatis non obstantibus Eminentissimi Moguntini prætensionibus rationem habere clementer voluerit? nisi justitiæ pacisque studio per orbem Christianum celebratissimo, permota fuisset. Certa autem esse potest Majestas Vestra & secura, nos neque Archiepiscopatui Moguntino, neque alii Romani Imperii Statui quidquam de jure suo detractum velle. Nec etiam ejusmodi suspicio in nos afflictos & ab initio belli Germanici ad hæc usque tempora magis magisque exhaustos, cadere potest, ut qui satis habeamus, si jura nostra prisca & a majoribus nostris extra Archiepiscoporum Moguntinorum

norum gratiam in nos derivata, conſervare atque tutari poſſimus. Ceſſimus potius in omnibus cum dicto Archiepiſcopatu hucusque habitis tractatibus, ceſſimus etiam in honorem Sacræ Cæſareæ Majeſtatis in ipſa de precibus controverſia, Protectoribus noſtris Saxoniæ Ducibus ita ſuadentibus, easque, ſecundum vexatiſſimam illam formulam, quam transactam ferebat Schmidburgius Baro, introducere decrevimus, ſed plebis vi prohibiti, id effectui dare nequivimus, & tamen, ceu in contumaces, atrociſſimæ proſcriptionis fulmen, ſine ulla diſtinctione, a Commiſſariis Cæſareis, Mülhuſæ tum agentibus, emiſſum fuit. Cæterum celare Majeſtatem Veſtram nolumus, nobis hactenus nihil magis curæ cordique fuiſſe, quam ut obluctantes & refractarios aliquos e plebe compeſceremus, quo & libere conſultare & conſulta noſtra executioni mandare poſſemus; Quod, ubi, annuente Divina gratia, nuper admodum feliciter ſucceſſit, ac ſeditioſi nonnulli in vincula conjecti fuerunt, ſtatim preces præſcriptas, ſalvo tamen jure noſtro (prout ex inſtrumentis tam paritionis quam proteſtationis, hic ſimul miſſis, Majeſtati Veſtræ abunde conſtare poteſt) fieri juſſimus, & inſuper refractarios ac tumultuantes pœna promerita affici curabimus, non dubitantes, poſtquam hoc pacto autoritati Cæſareæ ſatisfactum & contumacia, vitio nobis data, ſecuta nunc paritione, emendata fuit, abolitionem proſcriptionis nobis deberi, nosque ad purganda reliqua crimina, ab adverſariis nobis objecta, defenſionemque neceſſariam coram Cæſare & Statibus Imperii admittendos

 eſſe.

esse. Qua in re, nisi & patrocinio Majestatis Vestræ & aliorum correlatorum atque pacificorum Imperii Statuum sustentemur, verendum nobis est, ne ut imbecilliores succumbamus. Eminentissimus & Reverendissimus Elector Moguntinus semper quidem justitiæ & pacis studiosus Princeps audit, neque nos decet de Eminentissimo ejus animo aliter sentire: Verum cum maximo nostro damno experiundo didicimus, plus apud Eminentiam ejus valere nonnullorum Ministrorum adversas suggestiones, quam submissas nostras preces & humillimas contestationes: Neque enim auditi fuimus, cum sub exordio horum malorum & dum in herba opprimi potuissent, justas nostras querelas contra insolentiam quorundam officiariorum Moguntinorum, & contra illum ipsum perfidum Limprechtum, omnium nostrarum calamitatum autorem, exponeremus: Quin etiam nunc vitio nobis vertitur, quotiescunque pro necessitate nostra liberius loqui & causas afflictionis nostræ apertius profiteri cogimur. Profecto offensionum cupidi non sumus, neque etiam id Status nostri ratio patitur; Sed potius, quovis honesto & æquo modo, cum Eminentia Sua in gratiam redire paramus, & eam ob rem compositionem æquam, interventu Statuum Imperii, quorum nihil interest, optaremus. Nam si res denuo in judicium aulicum Cæsaris ducatur, non videmus, quomodo vel sine ruina nostra tacere vel sine offensione loqui possimus, sive causæ merita, sive ipsum processum spectemus, & vel ad Instrumentum pacis, vel ad Capitulationem Cæsaream

vel

vel adReceſſum nuperum Imperii, atque in eo præſcriptum modum procedendi in cauſa contumaciæ provocemus, & nobis illata gravia damna urgeamus. Verum nos humillima erga Majeſtatem Veſtram fiducia longius provecti, id unum flexis genibus Majeſtatem Veſtram oramus, ut pro ſumma, qua inter Imperii Status dignitate & autoritate pollet, per Legatum ſuum in Comitiis Imperialibus, prout hactenus laudabiliter factum, cauſam noſtram porro tueri, & ad æquam & tolerabilem transactionem dirigere atque promovere dignetur. Imo nihil gratius nobis futurum eſſet, quam, ſi res ita ferret, ut Majeſtati Veſtræ cum alio quodam Statu Imperii harum controverſiarum non participe, compoſitio illarum committeretur. Eam enim de integritate, prudentia atque juſtitia amplisſimorum coronæ miniſtrorum,ſpem opinionemque habemus, atque talia de eventu ejusmodi interpoſitionis nobis promittimus, ut ſicuti a glorioſisſimis Majoribus Veſtris tempore belli, ita a Majeſtate Veſtra in non minoribus periculis tempore pacis civitas noſtra ſalva & incolumis conſervata dici posſit. Nos interim vota pro ſalute & incolumitate Regiæ Majeſtatis Veſtræ nuncupantes clementiæ atque gratiæ Regali nos ſubmiſſe commendamus. Dabantur Erffurti Calend. Julii, 1664.

Serenisſimæ Majeſtatis
Veſtræ

*Humillimi ac ſubjectisſimi*
**Senatus & Communitas**
Erffurtenſis.

 CCCCXIV.

## CCCCXIV.

*Litera a S. R. IMP. PRINCIPUM FOEDERATORUM LEGATIS, ad ROBERTUM DE GRAVEL, Christianisſimi Regis Legatum data, quibus ab eo, ut Erfordiam a Gallicis Lotharingicisque copiis circumſeſſam, facta Regi Christianisſimo adæquata rei geſtæ demonſtratione, obſidione liberari curet coneturque, obnixecontendunt, 1664.*

### Serenisſimi ac Potentisſimi Galliæ ac Navarræ Regis Chriſtianisſimi

*Illuſtriſſime Domine Legate.*

QUinam repentini motus animos hominum hisce diebus hic loci occupaverint, & quænam eorum cauſa ſit, Illuſtrisſimam Veſtram Dominationem latere minime poteſt. Inopinato nimirum perculſi nuncio præſentes Ordinum Imperii Legati, de Eminentiſſimi Electoris Moguntini propoſito, civitatem Erffordienſem non ſolum ſuis, ſed & Chriſtianisſimi Regis, Ducis Lotharingiæ & fœderatorum quorundam Electorum & Principum copiis oppugnandi, non potuerunt non tranquillitati & ſecuritati publicæ magnopere metuere. Quamvis & imminentia hinc Germaniæ mala & a Sacra Chriſtianiſſima Regia Majeſtate expectanda remedia Illuſtrisſimæ Veſtræ Dominationi a Proteſtantium Electorum Principum & Statuum Deputatis jam expoſita ſint: Cum tamen inter Sacram Regiam Majeſtatem Chriſtianisſimam & Serenisſimos noſtros Principes præter com-

commune pacis Westphalicæ Consortium, arctius adhuc peculiaris fœderis vinculum intercedat; e re duxerunt fœderis hujus consortium Principum hic præsentes Legati Illustriss. Vest. Dominat. etiam hisce seorsim compellare. Et quandoquidem Sacra Regia Majestas literis suis d. 25. Julii datis, quibusdam e Clementissimis nostris Dominis jam significaverit, se Eminentissimo Domino Electori Moguntino ad compescendos rebelles suos subditos Errfordienses certum numerum militum ex formula fœderis auxilio misisse; laudandum quidem magnopere Sac. Reg. Majest. cum optima proculdubio intentione junctum studium & enixa voluntas servandi leges; Cum tamen inter eas etiam hæ contineantur, ut fœderati de omnibus rebus, ex quibus motus oriri, & ad eos compescendos auxilium fœderatorum requiri possit, mature inter se communicare, nec non præsente jam ipso periculo de eo depellendo consilia inter se conferre debeant: Optassent sane Principes nostri Clementissimi, tanti momenti negotium jam statim ab initio in consilio fœderis fuisse propositum, quo & omnia, imprimis an Celsitudini Suæ Electorali auxilium ex fœdere præsenti casu debeatur, rectius perpendi & de aliis mediis, citra arma ab Errfordiensibus jus & officium obtinendi consultari potuisset. Posterius sane hactenus inter fœderatos non sine fructu observatum nupera exempla a Statibus Episcopatuum Leodiensis ac Hildesiensis suppeditata ostendunt, prius vero quod attinet, omnis in eo vertitur quæstio, an Errfordenses sint Domini Electoris Moguntini subditi

diti rebelles, cum ea ratio, & a Domino Electore Moguntino petiti & a Sacra Regia Majestate promissi auxilii unica sit. Non jam hinc disquiremus, quousque Urbs Erffordiensis Electorem Dominum & Superiorem agnoscat, cum hæc sit controversia a seculis agitata. Nec an & quatenus ea, quæ hactenus cum civitate illa gesta sunt, eique intentata, proscriptio, juri & justitiæ congruant, cum ea de re Illustrissima Vestra Dominatio jam a supradictis Protestantium Ordinum Deputatis edocta sit. Id modo, quod ad res fœderis propius attinet, videndum, an Erffurdia rebellis censeri possit? Quo minus id certo affirmare liceat, rationes hic illic allatas vidimus haud leves, 1.) nimirum, quod ea Urbs Celsitudini Suæ Electorali vim nullam neque in personis, neque in bonis intentaverit, 2.) in iis, quæ sibi cum Domino Electore intercedunt, controversiis, licita via juris, quam ipse Dominus Elector optaverit, usa sit, & quidem 3.) ad conservanda saltem sua, quæ competere sibi putat, jura & Privilegia, unde nec 4.) ipsa proscriptionis sententia rebellem eam, sed contumacem saltem pronunciet, quæ diversissima sint, nec posse civitatem illam alterius, & quidem gravioris criminis a fœderatis damnari, quam a competente Judice factum sit, 5.) Contumaciam illam non parendi rebus judicatis, quamvis a rebellionis crimine absit, non posse universæ civitati, sed saltem tumultuanti plebi imputari: nullo ergo jure totam civitatem eadem culpa involvendam. 6.) Idquod contumaciæ fuerit, jam sublatum esse, cum tota civitas sententiæ Imperatoriæ de recipienda formula

mula precum satisfecerit, & si quid ulterius sibi præstandum incumbat, vel legitima præcedente cognitione judicis vel facta transactione præstare parata sit; Quo quidem casu 7.) ab hisce præstitis proscriptos a banno absolvi & in integrum restitui, jura Imperii decernere, sicut id superioribus annis Urbs Bremensis haud difficulter obtinuerit. Hæ rationes, quemadmodum ejus videantur ponderis, uti non sine causa, urbem Erffordiam pro rebelli haberi posse, dubitandum sit: Ita & Dominos fœderatos ad auxilium ex legibus fœderis Celsitud. suæ Elect. ferendum teneri æque dubium merito habetur. Quod & ipsam Celsitudinem Electoralem satis agnoscere vel inde patet, quod nec cum fœderatis Principibus quicquam ea de re ante hac communicaverit, nec auxilium eorum hactenus exquisiverit, aut Christianissimi Regis literas ea de re scriptas dudum exhibuerit; Quod vero id nunc demum composita jam omni operis scena, decreto adversus Erffordienses bello, & pergentibus ad oppugnandam urbem Christianissimi Regis, nec non Ducis Lotharingiæ copiis fiat, id quo animo a Principibus nostris accipi possit, Illustrissimæ Vestræ Dominationi arbitrandum relinquimus. Quicquid ejus sit, quemadmodum ad jungenda sua arma ex fœdere se obligari sibi persuadere vix possunt, præsertim cum id communi fœderis consilio non sit decretum; Ita num a reliquis fœderatis bellum istud juste ac e re fœderis suscipi possit, magnopere dubitant. Conqueritur Civitas Erffordiensis suscipi adversus se bellum, cum tamen, quamvis, ob contumaciam proscripta, in eo

res ſit; ut facta jam paritione contumaciam purgarit, & ad reliqua præſtanda parata ſit. Quales proſcriptos habita cognitione Judicis abſolvendos Leges imperii velint. Suſcipi id adverſus ſupplices & imperata ſine vi facere paratos, quibus parcere & naturalis æquitas & Chriſtiana lex jubeat. Suſcipi id adverſus totam Civitatem, quæ nunquam peccaverit, adeoque adverſus tot millia hominum innocentum. Suſcipi denique ab ipſa parte actrice, & quæ reſtitutionem vi Inſtrumenti Pacis efflagitet, Eminentisſimo ſcil. Domino Electore Moguntino, cum tamen tabulæ pacis Weſtphalicæ ejusmodi Executores haud idoneos pronuncient. An vero illud bellum rebus fœderatorum non futurum ſit magnopere noxium, prudentibus dijudicandum relinquitur. Imputabitur ipſis culpa turbatæ quietis & tranquillitatis publicæ alienisſimo præſertim tempore, quo cum Turca bellum gerendum incumbit; unde fiet, ut reliqui Ordines Imperii, quas copias hoſti profligando in Hungariam mittere potuerint, ad ſua tutanda domi ſervare cogantur. Tranſitu militum vexabuntur Statuum ſubditi bello hoc Turcico ſatis jam exhauſti. Vicinæ circa Errfordiam Provinciæ prædis ac aliis, quas bellum adfert, injuriis & moleſtiis exponentur. Et quod maxime atrox nova fax bello Germanico iterum accendetur. Ut jam omittamus, non temere quoque verendum, ne Principes ac reliqui Ordines Proteſtantes, qui plerique Juſtitiam a parte civitatis Errfordienſis ſtare, eamque contra leges pacis gravari, perſuaſum habent, exemplum hoc ad ſe pertinere exiſtimantes, omnem in fœderatos

ratos facti invidiam derivent, & de ea, quam in Christianissima Regia Majestate hactenus exemplo Majorum positam habuerunt, tuendi eos in juribus suis sacris & profanis ex Instrumento pacis debitis, fiducia plurimum ipsis decedet. Quin & Catholici Principes & Status, idem si ad illos aliquando pertingat casus, fœderatos ejus rei culpa onerare poterunt. Paulo pluribus Illustr. Vestr. Dominat. hoc ut exponeremus, fecit Serenissimorum Nostrorum Principum servandæ pacis & tranquillitatis publicæ, nec non ipsorum Fœderatorum existimationis, concordiæ ac utilitatis studium. Fecit idem ea, quæ ab ipsis nobis demandata est, hujus rei cura & sollicitudo. Et cum petitio nostra eo tendat, ut Sacra Christianissima Regia Majestas non solum copiis suis, ne ulterius progrediantur, ut propositæ expeditioni intersint, in mandatis dare: Sed etiam apud Eminentissimum Dominum Electorem Moguntinum autoritate & officiis suis id efficere dignetur, quo suæ Celsitudini Electorali placeat jure potius aut aliis lenioribus remediis, quam vi armorum a Civitate Erfordiensi ea, quæ jus exigit, obtinere, in quod omnem operam suam conferre Principes Nostri paratissimi sunt. Illustr. Vestr. Dominatinonem rogamus, non solam diligenter hæc omnia ad Christianiss. Reg. Majestatem perscribere, sed de meliori nota commendare velit. Adjiciet hoc ipso prioribus suis egregiis sane erga Imperium & Fœderatos præsertim Principes meritis magnum cumulum, Dominisque nostris Clementissimis faciet rem admodum gratam & omni benevolentia & affectu pensandam.

ſandam. Nos vero Illuſtrisſimæ Veſtræ dominationi ad omnia officia & ſtudia ſemper exhibebimus promptiſſimos.

Illuſtrisſimæ Veſtræ Dominationis

*Dab. Ratisbonæ 16. Aug. 10. Septemb. 1664.*

*Studioſisſimi*
Fœderatorum Principum Legati.

## CCCCXV.

*Literæ, quibus PETRUS COMES a ZRIN Protectionem JOH. GEORGII II. Saxoniæ Electoris ſibi humillime vendicatum it, 1664.*

### Serenisſime Princeps & Domine gratioſisſime.

OB benignisſimum affectum, quo Serenitas Veſtra dilectisſimum meum Fratrem, Nicolaum Comitem a Zrin proſequebatur, & ob ſummam venerationem & cultum, quo ille Serenitatem Veſtram ſuſpiciebat, intermittere nec debui nec potui, quin eandem certiorem facerem, de infelici & inſperato Ipſius obitu, qui 18. elapſi in aprorum venatione contigit, rogans humillime Serenitatem Veſtram, ut quam defuncto fratri meo protectionem ac patrocinium impertiri dignata eſt, eandem mihi & toti familiæ meæ gratioſe exhibere non gravetur. Nos vicisſim obligationis Noſtræ & beneficiorum memores iis Legibus nos teneri ſemper

ſemper profitebimur, quibus ſervi erga ſuos Heros & Patronos obſtricti eſſe debent, & ego omnem proſperitatem Serenitati Veſtræ augurans maneo

Serenitatis Veſtræ

*Ciacktorniæ die 8. Decemb. 1664.*

*Humillimus ſervus*

Comes Petrus a Zrin.

CCCCXVI.

*Literæ* JOHANNIS GEORGII II. *Saxonum Electoris, quibus* MARCHIONI DE CASTEL RODRIGO *collatam ipſi Regii Belgicarum Provinciarum Præſidis functionem gratulatur, 1664.*

P. P.

SErenisſimum Hiſpaniarum Regem Belgii ſui Gubernationem Generalem Excellentiæ Veſtræ decreto Regio delegaſſe, ex literis Veſtris, cum memoria priſtini cultus, quo Domum Noſtram Electoralem jam ante abunde eſtis proſecuti, tum integerrimi etiam affectus teſtificatione plenisſimis vel eo libenter accepimus, quod cum propiores habeamus probandæ Vobis benevolentiæ Noſtræ cauſas, frequentiores itidem ex animi ſententia Nobis inde obtingant occaſiones & meritorum Veſtrorum ſimul in Germania Noſtra gloriæ Veſtræ condigna extent documenta. De tam inſigni igitur demandata Excellentiæ Veſtræ provincia animitus Eidem gratulamur, Ipſamque de propenſionis Noſtræ conſtantia ſecuram, pro antiquis-

tiquissimis Nostris in alte memoratum Regem Vestrum necessitudinis mutuæ studiis, res rationesque Regias bene porro prospereque gerere, nec non recte semper valere cupimus. Dabantur in Electorali Nostra Dresda die 30. Decembr. An. 1664.

## CCCCXVII.

*Litera JOHANNIS GEORGII II. Saxonum Electoris ad JOANNEM CASIMIRUM Poloniæ Regem, quibus ab eo, ne novæ civitatis Thoruniensis incolas, templi Divo Jacobo consecrati justa possessione privari permittat, sollicite efflagitat, 1665.*

Serenissime Rex, Regiæ Vestræ Serenitati salutem dicimus, & operam Nostram in omni officiorum genere paratissimam offerimus,

*Domine & Cognate charissime,*

ABunde satis per orbem constat, quam Regio plane animo Regia Vestra Serenitas laudabili Antecessorum suorum exemplo confessionis Nostræ Augustanæ Domesticos inter fideles suos subditos tueri, iisdemque focum simul & aram ad peragenda sacra, augendamque Divini Nominis gloriam in gremio Regni sui adjunctisque ditionibus publice juxta & privatim benigne indulgere hucusque dignata sit. Quo quidem æquissimo facto ipsa non modo immortalem glorioso sceptro suo famam acquisivit, verum etiam spem nobis firmissimam injecit, fore ut eodem semper erga præfatam Augustanæ Confessionis doctrinam animo sit persevera-

veratura ejusdemque Confessoribus constans ibidem, ceu fidelibus subditis, locus futurus sit reliquus. Cum itaque fidelis Borussiæ Vestræ Civitas Thoruniensis exposito nobis imminente causæ ipsorum periculo, ne novæ ibidem Civitatis Ecclesia seu templum divo Jacobo dicatum, memoratæ Confessioni Augustanæ addictis Possessoribus, vigore emanati cujusdam Decreti adimatur, conventuique Monacharum desuper litigantium tradatur, hasce nostras intercessorias quam humillime efflagitaverit, nos autem persuasissimum nobis habeamus, duram istam sortem fideles hosce Regiæ Vestræ Serenitatis subditos ullo forsan suo facto minime promeruisse, quin etiam causam ipsam inter litigantes ita esse comparatam, ut adhibito amicabili quodam remedio, suis utrique parti sacris suisque bonis & commoditatibus, quemadmodum hactenus, ita & imposterum ex æquo & bono uti fruique liceat: supplicantium precibus pariter & æquitate causæ ducti antiquissimæ illius, quam Regna Vestra & Nostra Domus Electoralis sancte invicem semper coluere necessitudinis memoriam, hac in parte interponere non dubitavimus, Regiam Vestram Serenitatem peramanter rogantes, ut pro solita erga fideles subditos suos clementia, misso sententiæ rigore, decreti istius (ad importunas procul dubio alterius partis preces, contra præfatos novæ Civitatis Thoruniensis incolas promulgati) exequendi gratiam ipsis facere, & quod tam diu hactenus quiete & sine ulla contradictione possedere sancti Jacobi templum, iisdem porro cum omni jure ac dote nec non libero Religionis

&

& sacrorum exercitio possidendum, ex Regia gratia concedere velit, omnique ope & benignitate eos, qui pro vita & incolumitate Regiæ Vestræ Serenitatis vota apud Deum veluti par est publice & privatim juxta nuncupare non desinunt, constanter tueri, quo intercessionis Nostræ fructum semper & ubique ipso facto experiri valeant. Faciet in eo Regia Vestra Serenitas rem Majorum suorum gloria condignam. Cui diuturnam valetudinem & prospera omnia ex animo precamur. Dabantur in Electorali Nostra Dresda die 15. Februarii 1665.

Johannes Georgius II.
Elector.

## CCCCXIIX.

*Literæ LEOPOLDI, Romanorum Imperatoris, ad CAROLUM XI. Svecorum Regem, quibus ab eo, ne Civitatis Bremensis jura, per Instrumentum pacis Westphalicæ extra omne impetendi periculum constituta, a Ducatus Bremensis Regimine tentari & lædi permittat, sed potius ejusdem injustos conatus impediat, amice efflagitat, 1665.*

Leopoldus Divina favente clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus &c. Serenissimo & Potentissimo Principi, Domino Carolo, Svecorum, Gothorum, Wandalorumque Regi &c. Consanguineo & fratri nostro charissimo, salutem cum omnis boni incremento.

Sere-

*Serenisſime ac potentisſime Princeps, Conſanguinee & frater charisſime.*

CElare Serenitatem Veſtram nolumus, dolenter Nobis a Noſtra Sacrique Imperii Civitate Bremenſi expoſitum fuiſſe, quem in modum non minus contra inſtrumenti Pacis Oſnabrugenſis tenorem, quam uſum poſſesſionemque ſuam antiquisſimam non ſolum oppoſitionibus, ſibi a Serenitatis Veſtræ Regimine Ducatuum, ſeu Epiſcopatuum Bremenſis & Verdenſis factis, quominus ad conventum circularem inferioris Saxoniæ anno proxime ſuperiore Brunſvigæ habitum, admitteretur impedita; quin ab eodem quota, quam ad Imperii uſus necesſitatesque immediate confert, ad Ducatus Bremenſis contingens pertrahi, ac occaſione nuperrimi contra hoſtem Turcam belli a quibusdam ſuis Civibus Curiarum Canonicalium ibidem inhabitatoribus perſonalis cenſus exigi voluerit: verum etiam qua novitate atque attentato contra præfecturas ſuas Blumenthal & Neukirch, non ſolum ad Statuum ejusdem Ducatus Bremenſis implorationem indicto arreſto quodam, ſupra memoratæ quotæ ſummam quoad anticipationem a dictis Statibus pro eadem Civitate prætenſe perſolutam in ducale ærarium refundendam eodem conatu adigatur, ſed porro, ut omnes dictarum præfecturarum reditus Regio Serenitatis Veſtræ Quæſtori adnumerentur decretum edictumque, nec minus etiam contra ſubditum quendam ſuum Joannem Hupolt, in territorio ſuo, ipſoque

quasi Civitatis limine, a Burgii Præfecto ejusdemque complicibus, dicto approbante Regimine, via facti processum fuerit, nunc quoque a quibusdam Serenitatis Vestræ Deputatis iis postulatis, quæ statum suum, per Instrumentum Pacis extra omnem impetitionem constitutum, lædant, urgeantur; humilime supplicando, ut pro Imperatorio Nostro munere Nostras apud Serenitatem Vestram partes prædictis quantocyus antiquandis gravaminibus atque attentatis interponere, eandemque, ut suos ab omni via facti dehortaretur, benevole requirere vellemus.

Quemadmodum igitur hæc ipsa Serenitate Vestra aut mandate aut approbante a dicto ejusdem Regimine suscepta factaque fuisse eo quidem minus Nobis persuadere possumus, quo sincerius ipsa accuratiusq; non unis suis amantissime scriptis literis Nobis suam ad memoratæ pacis Osnabrugensis observationem, juxta ac conservationem publicæ tranquillitatis in Imperio studium atque zelum testatum reddere, in eundemque finem nuperrime adhuc Ratisbonæ, ut investituræ ejusdem super prædictis Bremensi & Verdensi Ducatibus pro majori dictæ Civitatis territoriique sui ac Privilegiorum, juriumque ac libertatis stabilimento peculiaris paragraphus (Civitati vero Bremensi) insereretur, adeoque ex hoc quo inter cætera etiam, contra benevolam propensionem Nostram, ab infeudatione investituræque collatione præpediebamur, obstaculum removeretur, amanter convenire voluit:

Ita

ita cum haud difficile ſit conjicere, niſi iis, quæ toties ſancte conventa, firmiter inſiſtatur, quantum hic tranquillitatis publicæ pertimeſcendum periculum aut præjudicium, benevole Serenitatem Veſt. planeque amanter ac fraternæ de eo admonendam requirendamque hiſce duximus, ut pro laudabili eo ſuo Pacis tranquillitatisque in Imperio conſervandæ zelo, miſſis quam primum mandatis præfata Regimini ſuo attentata non ſolum inhibere, ſed & ſerio injungere velit, ut ab ulteriori via facti deſiſtendo omnia in priſtinum ſtatum citra moram reſtituat, dictamque Civitatem in iis, quæ Inſtrumento etiam pacis ipſi intacta relinquuntur, amplius non impetat, neque perturbet. Enim vero, ſicuti eadem Serenitas Veſtra nulla non re hucusque affatim compererit, quam Eidem de iis, quæ dicta ipſi pax tribuit, haudquidquam demere intendamus; Ita nec impoſterum quoque, ſi prætenſioni cuicunque ſibi inſiſtendum, jureque & ex ejusdem Inſtrumenti Pacis Conſtitutionumque Imperii præſcripto contra ſæpe dictam Civitatem experiundum duxerit, partium noſtrarum quidquam deſiderari patiemur, quominus omni differentia citra graviorem aliquem motum ſopita, pax mutuaq; inter Nos Imperiumque & Serenitatem Veſtram ejusdemque Regnum & ditiones correſpondentia ſancte omnibusque ſincere amicitiæ officiis colatur, atque propagetur. De quo Serenitatem Veſtram ſimul hiſce benevole aſſecurare voluimus. Qui de cætero eidem proſperos rerum ſucceſſus ex

animo vovemus. Dabantur in Civitate Nostra Viennæ d. 30. Martii Anno 1665.

Serenitatis Vestræ

*Bonus consanguineus &*
*Frater*

**LEOPOLDUS.**

Ut. W. Baro de Waldersdorff,
Vice-Cancellarius.

J. Walderode.

*Inscriptio.*
Ad Sacram Regiam Majestatem Sveciæ.

## CCCCXIX.

*Responsoriæ a CAROLO XI. Svecorum Rege, ad LEOPOLDI Romanorum Imperatoris præinsertas, exaratæ, 1665.*

P. P.

Literæ Majestatis Vestræ, Viennæ, die 30. Martii, scriptæ, non ita pridem Nobis redditæ sunt, quibus edocemur, quemadmodum Civitas Nostra Bremensis nonnullas accumulavit criminationes, quibus, ut alibi, ita apud aulam Majestatis Vestræ nos traducere non erubescit, existimans ad salutem & prætensi status sui stabilimentum plurimum pertinere, si jura Nostra quovis modo fodicare atque actiones Nostras in liquido fundatas insuper vellicare possit; Illa vero ipsa nihil interea pensi habeat, injurias antiquas nova audacia augere, posthabita omni debitæ devotionis, fidei, æqui-

æquitatis & dignitatis reverentia. Fecimus tamen ſuper iis, quæ in Majeſtatis Veſtræ literis enumerentur, Nos a Regimine Noſtro Ducatuum Bremenſis & Verdenſis plenius informari, deprehendimusque ea pro more relationum Bremenſium, partim a vero declivia, partim adeo levia, ut Majeſtatis Veſtræ oculis & auribus non ſatis digna ſint, quæ exhibeantur, nedum ut literis Nos inter & Majeſtatem Veſtram commeantibus reciprocentur. Quæ autem a Nobis juſte facta ſunt, ab iis adeo inique proponuntur & explicantur, ut in eum finem, ſicuti apparet, inſtituta videri poſſint, quaſi tentando autoritatem Majeſtatis Veſtræ in ſubigendis juribus Noſtris intentionem ſuam ſolidius figere queant. Prolixa vero illa, quæ congeſſerunt, gravamina ſi reſpondendo ordine exequeremur, utramque facile paginam implerent. Igitur ut Majeſtati Veſtræ ſatisfaciamus commodius, juſſimus Ablegatum Noſtrum, qui hoc tempore Ratisbonæ reſidet, omnia iſta querelarum Bremenſium capita Majeſtati Veſtræ, aut ejus Miniſtris, uti comparatæ ſunt, exponere, certi, Majeſtatem Veſtram inde temeritatem iſtius Civitatis, Noſtram vero æquitatem clare & facile perſpicere poſſe. Non poſſumus tamen, quin Nobis magnopere gratulemur, quod Majeſtas Veſtra eorum, quæ virtute Inſtrumenti Pacis Weſtphalicæ comprehenduntur, quæq; circa inveſtituræ collationem tacta ſunt, amice Nos admonere voluerit, ſiquidem Nobis nihil ſit gratius, quam in omnibus ad res Imperii Romani ſpectantibus dictæ pacificationis leges, tanquam unicam ac ſolam

normam & Regulam Nobis proponere, omnique sanctimonia colere & servare: Nec novum quidquam circa investituræ Nostræ solennia, quod aut legibus pacis derogare, aut juri cujusquam addere vel demere aliquid possit, peractum esse, Nobis in memoriam revocare possumus. Stant stabuntque illæ per omnia ubique illæsæ & immotæ, Paragraphum autem Civitatis Bremensis aliaque nonnulla aliorum interesse concernentia, ac in ipsis præterea pactis satis provisa, initio superflua quidem putavimus, quod literis ipsis investituræ insererentur; cum tamen omnia artic. X. puncta ipsis quoque literis inserenda Majestas Vestra judicaret, nihil inde repugnavimus, cum in hoc juri Nostro nec adimi quicquam, nec adjici posse perspiceremus. Quod vero eo quoque tempore, sicuti alias semper, Civitas quoque Bremensis insolentiam suam prodere, ac contra actum investituræ sese opponere auderet, quasi ad illum actum, nisi prius Civitate illa libera, i. e. immediate Imperiali declarata, Nostri Deputati non admitterentur, id vero quantam sapiat iniquitatem & protervam audaciam, vel ipsa Majestas Vestra pervidere potest. Consimilia aut minora attentata aggredi ei facile erit, quæ hæcce tum in facie Imperii agere non est verecundata. Quantum vero in eo pacta Osnabrugensia, quæ ne vestigio quidem ullo hanc figuratam Imperii Immedietatem concedunt, adeoque particularem Nobiscum Recessum Stadæ erectum, qui hanc controversiam, salvis nostris super prætensa immedietate juribus, in alia tempora differt debitumque homagii vinculum aliaque multa

ta interea injungit, quibus Civitas nimium quantum per hos annos prævaricata temerarit & læserit, nemini a partium ſtudio alieno obſcurum eſſe poteſt.

Atque ut fundamentum ipſum, unde inſolentiæ hujus robur perperam mutuari conantur, paulo altius attingamus; Notum eſt Majeſtati Veſtræ usque ad ſubſcriptionem Pacificationis Osnabrugo-Monaſterienſis Civitatem Bremenſem inter liberas Civitates Imperii non fuiſſe rite unquam numeratam: Imo a divo Majeſtatis Veſtræ parente glorioſiſſimæ memoriæ, cum clanculum per temporum confuſionem in Collegium Civitatum Imperialium temere irrepſiſſet, jure rurſus extruſam ac ad ſuum Archiepiſcopum, modernum videlicet Sereniſſimum Daniæ Regem, cui etiam de novo ſolitum homagium, ut Civitas mediata, præſtitit, remiſſam fuiſſe. Sub ea qualitate plane permanſit, cum virtute Inſtrumenti Pacis Ducatus Bremenſis atque in eo expreſſa jura, quæ ultimi Archiepiſcopi habuerant, pacis publicæ cauſa & in ſatisfactionem Sereniſſimæ Reginæ Chriſtinæ, Regibus & Regno Sveciæ concederentur. Tentatum equidem tunc eſt circa Pacis negotium projectis quibusdam, ut titulus Civitatis Imperialis oblique ipſis attribueretur, ſed vigilantia Legatorum Svecicorum negatum hoc eſt. Præſens vero ſtatus, qui non alius, quam mediatus erat, conceſſus eſt, etiamſi per tractatum deniq; illum conſequi allaborarit immediatæ Civitatis characterem, utique antea ejusmodi qualitate non gaudebat. Atque ſi poſtea beneficio tractatus non aliud jus, quam qui præſen-

 tem,

tem, i. e. mediatum concerneret statum, §. in pacificatione impetravit, utique plura eam sibi nunc arrogare, quam quæ debeantur, in confesso est. Constat etiam in Recessu Stadensi componendo publicæ tranquillitatis causa, tumultu quæsitam hanc Bremensibus immedietatis controversiam in aliud tempus dilatam ac in suspenso relictam esse. Cumque circa investituræ Ceremonias oppositionem moliri Civitatis ejusdem Deputati aggressi sunt, non alio, quam Instrumenti Pacis §. acquiescere rursus jussi sunt, adeo ut variis vicibus titulum Civitatis immediatæ affectantibus duntaxat repositum sit, præsens ille in instrumento Pacis expressus Status, qui qualis tempore conclusæ pacis fuerit, in superioribus indigitatum est.

Igitur cum res ita comparata sit, uti revera constat, Majestatem Vestram amanter rogamus, ut pro sua justitia, fide & æquanimitate pensitare velit, qua fronte quidam ex Magistratu Bremensi nunc hisce, quæ fide Imperiali & Regum, ut & Electorum, Principum & Statuum tam rite & palam acta sunt, contravenire, ac a debito Nobis, ut Duci Bremensi obsequio obligationeque antiqua, & tenore pacis publicæ firmata, sese eximere & vindicare tentent. Sane si Majestas quoque Vestra huic eorum insolentiæ, & libidini frena adhuc laxaverit, nec eos Instrumenti Pacis, quod solum a Nobis legem esse & Cynosuram voluerit, observantes esse jusserit, majora inde timenda sunt mala, quandoquidem hoc ipso non solum in obstinatione confirmabuntur, sed etiam jura possessionesque Nostras, quod hactenus assidue fecerunt quotannis

nis plus ultra involare, eaque ſibi ſupra modum asſerere ac cum alicubi faſtus eorum reprimatur, nomen Noſtrum cum omni cavillatione apud Majeſt. Veſtram ac alibi paſſim in aulis traducere non ſuperſedebunt. Hinc vero illud pertimeſcendum eſt tranquillitati publicæ periculum, quod Majeſtas Veſtra in ſuis literis amanter monere voluit, ac Nos, quantum in Nobis eſt, etiam tum, cum occaſio ſatis bona offerretur inſolentes caſtigandi, publicæ quietis cauſa avertere conati ſumus, ac deinceps etiam cum bono Deo avertemus, ſi jura Noſtra ſine impetitione intacta relicta fuerint, ac Civitas illa a Machinationibus circa quamvis periculi, Noſtro Statui accelerandi, occaſionem hactenus intentatis dehinc abſtinuerint.

Etenim habemus rationes non exiguas, cur Imperii Romani tranquillitatem conſervare ſtudeamus, utpote in qua pars non minima ſalutis proprii Regni innexa eſt. Honor etiam pertractatæ conſervandæque pacis, tum etiam vicinitatis, amicitiæ & ſanguinis neceſſitudines, quæ Nobis cum præcipuis Imperii Romani membris intercedunt: Potiſſimum vero illa, quam cum Majeſtate Veſtra novis benevolentiæ vinculis inſtituere, ac in ſecuritatem publicam condere non detrectabimus, alias rationes Nobis non ſubminiſtrat, quam ut cum Majeſtate Veſtra tranquillitatis & ſecuritatis conſervandæ ſtudio certatim contendamus. Speramus etiam Majeſtatem Veſtram amicitiam Noſtram ſic æſtimaturam eſſe, ut cum benevolam mutuum foveamus inclinationem, quorundam ex Magiſtratu Bremenſi, plebem propter

aliquam suam gloriolam ad obstinationem contra Nos & Pacem publicam incitantium vanas insolentias Pacis beneficio, & tam salutari operi reciproce instituendo, facile posthabeat.

Justum est, quod Bremenses apud Conventum circularem admissi non sint, & si rationes Nostræ tam superioribus quam præsentibus Comitiis Ratisbonensibus locum aliquem invenissent, justum quoque ibi fuisset, ut in Collegium Civitatum Imperialium non fuissent admissi, quemadmodum contra id quoque meliori forma protestati jura Nostra porro servaturos Nos esse confidimus. Atque ut tam a dictis Imperialibus, quam Circularibus, in totum deinceps quoque excludantur, sicuti cum tenore & legibus pacis hoc tam est congruum, ut a sana ratione negari non possit, ita sententia aliqua unius partis, ad quam sola interpretatio pactorum non pertinet, jura in Civitatem illam evelli, Majestas Vestra, quod confidimus, facile non permittet, utpote cui ex promisso & virtute legum pacis incumbit jurium Nobis concessorum securitatem præstare atque in possesione quieta contra quemcunque inviolabiliter conservare & manutenere. Quæcunque autem Privilegia Libertatis & jura Civitati Bremensi, cum Pax Westphalica concluderetur, legitime competebant, tam in Ecclesiasticis, quam in Politicis, ea non modo sine impetitione hactenus reliquimus, ac porro relinquemus, sed etiam tantum aberit, ut aliquid eis detrahamus, ut, ubi ad debitum redierit officium, majoribus ornare parati simus. Qua declaratione Majestatem Vestram contentam fore confidi-

fidimus, obtestantes eandem quam amantissime, ut perceptis a supradicto Legato Nostro rationibus actionum Nostrarum justissimis, causæ potius Nostræ, quam insolentis Civitatis criminationibus fidem favoremque adhibere sustineat, & sæpedictam Civitatem Bremensem ad pacta & statum præsentem, i. e. conditionem Civitatis Ducalis, cum mandato remittere velit, ut Nostra jura actionesque justas porro fodicare & traducere desinat. Quemadmodum in eo ex præscripto pactorum Majestatem Vestram acturam esse expectamus; Ita non omittemus ullam occasionem, ubi sinceram erga Majestatem Vestram prolixumque affectum nostrum rursus declarare poterimus. Qui Majestatem Vestram de cætero divinæ commendamus Protectioni. Dedimus in Arce Nostra Holmensi die 10. Julii, Anno 1665.

*Nomine altissime memoratæ S. Reg. Majestatis respective filii Nostri charissimi, ut & Regis ac Domini Nostri Clementissimi*

HEDWIG ELEONORA

Petrus Brahe, Comes in Wisingborg, R. S. Drotzetus.

C. G. Wrangel, R. S. Marescallus.

Magnus Gabriel de la Gardie, R. S. Cancellarius.

Gustavus Otto Steinbock, R. S. Architalassus.

Gustavus Soop, loco R. S. Thesaurarii.

Eduard Ehrenstein.

CCCCXX.

CCCCXX.

*Literæ EPISCOPI CRACOVIENSIS, ad GEORGIUM LUBOMIRSKIUM, Magnum Regni Poloniæ Mareſchallum, Patria pulſum, cui, ut omiſſis violentis vindictæ mediis curam cauſæ ſuæ amicis committat, candide ſuadet, 1665.*

Illuſtriſſime Domine Magne Regni Mariſchalce, Domine & Frater colendisſime.

PRout in principio ſtatim exortæ contra Excellentiam Veſtram tempeſtatis ex corde & quam diligentiſſime curavi, ut illas avertere potuiſſem, quod non dubito vel ipſa Excellentia Veſtra agnoſcit, ita non deſiſto hucusque operari, ut videam Excellentiam Veſtram priſtino ſtatui reſtitutam & charam ſimul Patriam pacatam; ideoque Varſavia redeundo ex itinere ſtatim miſi meas ad Excellentiam Veſtram literas Vratislaviam, confidenter negotio compoſitionis conferendo. Sed cum heri notitiam acceperim, quod Excell. Veſtra 2. Aprilis Vratislavia moverit & Lubomliam tendat; illuc quoque occurro meis ad Excellentiam Veſtram literis & ſignifico, quod res per Dei gratiam ſint optime inclinatæ, ad ſatisfactionem Excellentiæ Veſtræ. Proinde quam diligentisſime obſecro, ut Excellentia ſua dolorem moderari velit, nec ad violenta recurrat media; Non tantum parcendæ Reipublicæ, quæ acriori alias progreſſu commoveri deberet, plurimiq; innocentes multa innocenter perferre deberent mala, ſed etiam ſui ipſius ratio

tio habenda eſt. Omnia enim violenta conſilia improſpere terminari ſolent, & ſi in principio bonum aliquando videantur habere ſucceſſum, tragico tamen ſemper & funeſto eventu recidunt in autorem. Dignetur itaque Excellentia Veſtra Nobis amicis ſuis committere curam cauſæ iſtius ſuæ & aſſecuro, quod Excellentia Veſtra celeri ſatisfactorio effectu lætabitur. Quæ omnia uberius domeſticus meus familiaris, quem ad Excellentiam Veſtram mittam, exponet, nunc vero per literas ante ipſius adventum præcurſorias hoc tantum ſignifico, quod res ſint bene diſpoſitæ ad mutuam compoſitionem, quam Excellentiæ Veſtræ animitus paſtoralique & fraterno affectu, optandæque ejus gratiæ me recommendo. Datæ Bozzein 12. April 1665.

P.S. propria manu: Nemo prudens & bene propenſus poteſt Excellentiæ Veſtræ ſuadere media violenta ibi adhibere, ubi civilibus artibus tranſigi poteſt, Deusque avertat, ut poſtpoſitis pacatis conſiliis Excellentia Veſtra turbidis uti debeat; Non poſſum tantum ſiniſtrum ſed & infauſtum eventum ominari: recte enim quaſi digito monſtravit Deus per iſtos 17. annos peculiari ſua interpoſitione Regem eſſe, quando illum ex tot tantisque liberavit periculis, & tot perſonas, quæ ipſi capitales erant hoſtes, ſuſtulit. Quid igitur faciendum? ut cœli injurias & tempeſtates patienter toleramus, ita & Dominos, quales Nobis a Deo dantur, & illud quod ab ipſis provenit, tolerare neceſſe eſt; Habeo ſpem, quod Excellentiæ Veſtræ brevi ſatisfactio fiet.

CCCCXXI.

CCCCXXI.

*Reſponſoria* GEORGII LUBOMIRSKI, *Mareſchalli Regni Poloniæ Magni*, *ad præinſertas* EPISCOPI CRACOVIENSIS *literas* 1665.

P. P.

Literis Excellentiæ Veſtræ lectis, quæ de Bozzein de dato 12. Aprilis erant, in magnam debui admirationem rapi, quod Excellentia Veſtra perſuadeat mihi, ne ad violenta deſcendendo media inauditam meam Juſtitiæque injuriam, alio modo quam per intervenientem Amicorum interpoſitionem componi permittam. Cui enim melius quam Excellentiæ Veſtræ patet, quantopere alienus ſemper fui non tantum a violentis, ſed etiam fervidioribus conſiliis, quantaque humilitate, & qualibus ſupplicationibus, quamvis non tantum innocens, ſed (ſi livor abſit) bene meritus Cives ad pedes Sacræ Regiæ Majeſtatis proſtratus gratiam mendicare volui. Audivit vel ipſa Excellentia Veſtra cum ignominioſum illud non mandatum, ſed libellus pasquinatorius mihi objiceretur, cum voce præconis horribilis illa & nunquam ſolita in templo Proszovienſi promulgaretur meæ perſonæ publicatio, quam innocentem in concurſu Nobilitatis, humilitatisque erga Majeſtatem Regiam debitæ plenam dederim ſatisfactionem. Vidit Excellentia Veſtra meas lachrymas ruinæ Reipublicæ prænuncias & futurorum malorum divinatrices non imbelles; nam forſan alia poſſent mihi non deeſſe media, niſi illa mihi a veneratione erga Regi-

Regiam Majeſtatem & ab amore in patriam ex manibus extorquerentur, ſed luctantium inter affectum vi expreſſa: Legit Excellentia Veſtra meas ad ſe, ad Senatus, ad Conventus particulares, ad Comitia, ad Regiam Majeſtatem, ad inimicos denique meos, qui me non chriſtiana humanitate & per interitum ipſius Patriæ perſecuti ſunt, literas ſubmiſſionis, humilitatis, patientiæ plenas. Habeo itaque jam teſtimonia per totum orbem publica, quod per civilia volui agere media, denique vix non per proprium honoriſque mei exitium placare Dominum, pacare Patriam. Quæro, utrum poſſit aliquid inveniri erga Regiam Majeſtatem humilius, erga hoſtes æquanimius? Quid non explevi? Innocens deprecari volui, proſtratus ad pedes injuriatus meo cum damno Patriæ tranquillitati ſatisfieri exoptabam, diffamatus adeo graviter, literis per Poloniam ſatis modeſtis honorem meum ſum tuitus, contra proceſſum perjuriorum plenum, per Europam divulgatum, manifeſtationem meam, falſitates & injuſtitias hujus judicii aperte declarantem, adhuc ad Chriſtianam recollectionem ſupprimo. Judicet me itaque Excellentia Veſtra, utrum violentorum tam cupidus, utrum motibus civilibus & interitu Patriæ cupiam ſanare injurias meas, utrum quid contra Principem Dominum meum delinquo, cujus, etſi Regia eſt, hominis tamen in homines limitata juſtitiæque finibus & legibus circumſcripta poteſtas. Sed altera ex parte non minus mirari quoque debeo, quod mihi Excellentia Veſtra ſpem pacis & reſtitutionis honoris mei gratiæque polliceatur,

ego

ego vero hic exul aliena oberrando Dominia securus etiam contra patriam esse a persecutionibus non possim. Empti in vitam meam sicarii & a Pseudo-Theologis dispensati (prout & ille impius delator emptus erat) modum & occasionem tollendi me rimantur, cibum nedum potum sine singulari cautela sumere non possum: nunc mihi per montes in Scepusium transeunti insidiæ structæ, & colluvies montanorum latronum ad id appretiata. Brion aliquis ubique meos itineris passus observat & intercipit, irritat & necessitat descendere ad aliquid violentum. Compendio complector. Nihil est non tentatum violentorum mediorum in vitam meam. Hæccine sunt pacis, hæc civilia media? Illa ne est fides nuper mihi per Dominum Vexilliferum Ruvensem data, quod non tantum Lubomliam, sed & in Poloniam & ad ipsum exercitum, tanquam Generalis securus ire possim? Recipio nihilominus ea, quæ suadentur mihi ab Excellentia Vestra, tanquam a Pastore meo, cujus integritatem & eximias virtutes semper veneratus sum, & veneror debita observantia, pacatæ compositionis media; Protestorque coram Excellentia Vestra, quod Patriæ nihil adversum molior, & quod per civilia media meam hanc & Patriæ injuriam componi ex totis opto præcordiis, & quod certo certius quicquam violenti non tentabo, nisi ultima necessitate adactus & inculpatæ tutelæ jure naturali munitus. Adinveniat Excellentia Vestra aliquid ita efficax (quod ego ruptis Comitiis, spreta totius Reipublicæ Principumque exterorum tam fervida tantotiesque repetita interpositione spera-

ſperare non poſſum) ut ſecuritati imprimis meæ, honorique tam crudeliter enecato, violatæ denique libertati & juſtitiæ ſatisfieri poſſit: Ego omne tale medium paratus ſum manibus pedibusque amplecti. Datæ in oppido Zelina, die 22. April.1665.

## CCCCXXII.

*Litera JOH. GEORGII II. Electoris Saxoniæ, ad ROBERTUM DE GRAVEL, Legatum in Germania Gallicum, cui Regis Chriſtianisſimi literas & oblata ſibi ipſius ſtudia gratisſima fuiſſe, refert, 1665.*

Johannes Georgius II. Dux & Elector Saxoniæ, Sacrique Romani Imperii Princeps, Salutem & benevolentiam Noſtram Excellentiæ Veſtræ adſcribimus.

*Excellentisſime Domine ſingulariter Nobis dilecte.*

Redditæ ſunt Nobis literæ Excellentiæ Veſtræ una cum illis, quas Regia Sua Majeſtas ad Nos dare dignata eſt. Charum Nobis fuit intelligere Excellentiæ Veſtræ erga Nos ſtudium, & nullam occaſionem prætermittemus promptam hanc animi ſui Declarationem debito modo rependendi, unde egregia ſua merita, ut par eſt, æſtimantes, Ipſi benevolentiam Noſtram perpetuam pollicemur, Eandemque divinæ gratiæ commendamus. Datum in Electorali Noſtra Dresda, die $\frac{12}{2}$. Maji, 1665.

Excellentiæ Veſtræ

*Amicus*

Johannes Georgius, Elector.

CCCCXXIII.

*Litera CAROLI XI. Suecorum Regis, ad CAROLUM LUDOVICUM, Electorem Palatinum, quibus gliscentes inter ipsum & Moguntinum Electorem animorum simultates in apertas belli flammas eruptas dolet, seque omni conatu in id sedulo enixurum pollicetur, ut amicabili eas compositione opprimere valeat, 1665.*

Nos Carolus, Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex & Princeps hæreditarius, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Esthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandaliæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Vismariæ; Nec non Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux &c. Serenissimo & Celsissimo Principi Consanguineo & Amico Nostro Charissimo, Domino Carolo Ludovico, Comiti Palatino Rheni, Sacri Rom. Imperii Archithesaurario & Electori, Duci Bavariæ &c. Salutem & prosperos rerum successus!

*Serenissime & Celsissime Princeps, Consanguinee & Amice Charissime.*

EManarunt antea ad Nos etiam per relationes ex Germania nobis factas dissidia & simultates, quæ inter Celsitudinem Vestram Electoralem ac Dominum Electorem Moguntinum in vicinia subnatæ perhibebantur, non tamen eo profectum iri putabamus, ut in belli flammam erumperent, priusquam hoc docerent nunc literæ Celsitudinis Vestræ Electoralis Friderichsburgi, die 27. Maji pro-

proxime præcedentis ſcriptæ. Sicuti vero hoc cum propter communem neceſsitudinem amicitiæ, quam ubivis in Imperio Romano ſartam tectam cupimus, tum etiam ob arctum Nos inter & Celſitudinem Veſtram Electoralem ſanguinis vinculum Nos haud parum afficit, ita aliquo remedio occurrendum tentandumque putavimus, utrum ſimultatibus & armis inter tam egregia Imperii membra rurſus poſitis, bona ac fida amicitia redintegrari poſſit; Quemadmodum in eum finem ac in anteceſſum literas Noſtras monitoriales ad Electorem Moguntinum tales præſcripſimus, quales adjunctum exhibet exemplum. Apprime itaque gratum Nobis foret, ſi Celſitudo quoque Veſtra Electoralis quemadmodum hactenus egregie fecit, ita porro omni poſſibili ratione, Noſtri quoque cauſa, quantumque æquitatis ac reconciliationis unquam ſuaſerint aut permiſerint, ſeſe pariter ſic comparare & accommodare ſuſtinuerit, ut Noſtrum tranquillitatis reſtaurandæ ſtudium locum aliquem reperire queat. Si vero præter ſpem contigerit, ut remedia Inſtrumenti pacis & Conſtitutionibus Imperii conſentanea nihil juverint, ſed fodicationem pactorum ruinamque Status Celſitudinis Veſtræ Electoralis intentari experti fuerimus, profitemur, eam eſſe debere & pactorum & Neceſſitudinis Noſtræ cum Celſitudine Veſtra Electorali curam, ut nec tranquillitatem publicam, nec vinculum ſanguinis Noſtri derelictum videri debeat. De quo aſſecurantes Celſitudinem Veſtram Electoralem expectabimus, quid commiſſiones ad compoſitionem deſtinatæ efficere valuerint. Nos

interea per literas ac per Legatum Noſtrum nihil omittemus in Gallia, quod boni rationes officii erga Celſitudinem Veſtram Electoralem demonſtrare poterit; Deus Celſitudinem Veſtram Electoralem ſtatumque ejus diu conſervet integram & incolumem. Dedimus in arce Noſtra Holmenſi die 6. Julii, Anno 1665.

*Nomine altisſime memoratæ Sacræ Regiæ Majeſtatis reſpective Filii Noſtri charisſimi, ut & Regis ac Domini Noſtri Clementisſimi*

HEDWIG ELEONORA.

Petr. Brahe, Com. in Wiſſingsborg. R. S. Drotzetus.
Carol. Guſtav. Wrangel, R. S. Archiſtrategus.
Guſt. Otto Steinbock, R. S. Architalaſſus.
Magnus Gabriel de la Gardie, Cançellarius.
Guſtavus Bonde, R. S. Theſaurarius.
Eduard. Ehrenſtein.

## CCCCXXIV.

*Literæ CAROLI XI. Suecorum Regis, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, quem amice requirit, ut Electorem Moguntinum, Palatinas ditiones armis infeſtantem, a facti injuris viam deducere haud gravetur, 1665.*

Nos

Nos Carolus, Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex & Princeps hæreditarius, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Esthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandaliæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ, & Vismariæ; Nec non Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux &c. Serenissimo & Potentissimo Principi, Domino Ludovico XIV. Franciæ & Navarræ Regi &c.

Salutem!

*Serenissime ac Potentissime &c.*

NOn dubitamus ad aures Majestatis Vestræ dudum perlatum esse, quemadmodum inter Serenissimum & Celsissimum Principem, Dominum Electorem Palatinum, & Dominum Electorem Moguntinum nonnulla antehac dissidia orta sint, quæ nuper in ipsam quoque flammam belli erupisse audiuntur, armis nimirum Electoris Moguntini in jura, terras ac ditiones Electoris Palatini inductis, modo ac via longe diversa, quam instrumentum pacis præscribit, si quando simultates & controversiæ aliquæ suboritentur. Cum igitur plurimum intersit amborum respective Regnorum Nostrorum, ut talia in tempore bono consilio sistantur, & tranquillitas Germaniæ, utriusque coronarum mutua opera restabilita, porro sarta tecta conservetur, ne novæ subinde suscitentur lites & tumultus, præsertim, cum Elector Palatinus ad leges pacis & Constitutiones Imperii provocet. Proinde causam alte memorati Electoris Palatini

Majeſtati Veſtræ majorem in modum commendare voluimus, eandem amice obteſtantes, velit intuitu æquitatis cauſæ, tum etiam commendationis Noſtræ, dehortari Electorem Moguntinum a via facti, demonſtrareque, illi licitum non eſſe, quodcunque prætenſum jus ſuum vi vel armis perſequi, vel alienum oppugnare, Eundemque, ſi conſiliis & admonitionibus Regiis non paruerit, aliis mediis ab iniquitate ad juris viam abſtrahere, ne commiſſo rurſus contra leges publicæ pacis exemplo, miſceantur porro illa, quæ haud dubie ingens publicæ tranquillitati tandem acceleratura ſint periculum. Quicquid vero favoris Majeſtas Veſtra ſæpe alte memorato Domino Electori Palatino, Conſanguineo Noſtro, propinqua neceſſitudine Nobis devincto, declarare dignata fuerit, illud in acceptis Majeſtatis Veſtræ ſic referemus, quaſi Nobismet ipſis hoc præſtitum eſſet. Qui Majeſtatem Veſtram protectioni divinæ commendamus, felicia eidem Imperii incrementa ex animo optantes. Dedimus in Arce Noſtra Holmenſi, die 6. Julii, Anno 1665.

*Nomine altiſſime memoratæ Sac. Reg. Majeſtatis reſpective Filii Noſtri Chariſſimi, ut & Regis ac Domini Noſtri Clementiſſimi*

HEDWIG ELEONORA

Petr. Brahe, Comes in Wiſſingsborg. R.S. Drotzetus.

Carol. Guſt. Wrangel, R.S. Archiſtrategus.

Guſt.

Guſt. Otto Steinbock, R. S. Architalaſſus.

Magnus Gabriel de la Gardie, Cancellarius.

Guſtavus Bonde, R. S. Theſaurarius.

Eduardus Ehrenſtein.

## CCCCXXV.

*Litera CAROLI XI. Suecorum Regis, ad JOHANNEM PHILIPPUM, Electorem Moguntinum, quibus eum hortatur, ut armis depoſitis, controverſias cum Palatino Electore gliſcentes amico componere modo haud renuat, 1665.*

Nos Carolus Dei gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex & Princeps hæreditarius &c. Eminentiſſimo & Celſisſimo Principi, Amico & Fœderato Noſtro Chariſſimo, Domino Joanni Philippo, Archiepiſcopo Moguntino &c. Salutem & proſperos rerum ſucceſſus!

*Eminentisſime & Celſisſime Princeps, Amice & Fœderate Charisſime.*

RElationibus ex Germania Nobis ſubinde factis ad aures Noſtras pervenit, inter Dilectionem Veſtram & Conſanguineum Noſtrum Dominum Electorem Palatinum in vicinia nonnullas primum controverſias & diſſidia ſuborta eſſe, quæ poſtea in quandam animorum acrimoniam, nunc etiam armorum ſtrepitum præter ſpem erupiſſe intelligimus; Ita ut Dilectionem Veſtram conquiſi-

to undique milite, arma in ditiones alte memorati Electoris intulisse constans fama sit. Ea res cum non possit non per se paci publicæ tranquillitatique communi damnosa videri, quandoquidem nemini Statuum Imperii jus suum, sive vere tale, sive prætensum, vi vel armis persequi licet: facere non possumus, quin Dilectionem Vestram certiorem faciamus, quantum hoc nos afficiat, & quam gravem porro & discriminis in futurum plenam consequentiam secum tractúrum sit, si pro lubitu adversus præscriptum Instrumenti pacis, & contra eum, qui ad illud legesque & Constitutiones Imperii provocat, arma arripere cuique integrum sit. Putavimus nuper perpetratum exemplum si non alio, saltem tranquillitatis dehinc studio & abstinentia armorum complanatum iri, nunc vero res eum induere habitum videntur, quasi bellum ex bello seri intendatur. Verum enim vero si pax publica pluribus tentaminibus perstringatur, haud dubie fieri possit, ut ex hujusmodi scintillis incendium ipsum non sine detrimento ingenti Imperii Romani timendum sit. Non dubitamus equidem, videri causam Dilectionis Vestræ credique ab eadem æquam, neque Nobis hac vice propositum est, controversiam illam determinare, id tamen Dilectioni Vestræ judicandum relinquimus, utrum Eidem competat jus vel suum vindicare vel alienum oppugnare, posthabitis, quæ in legibus pacis præscripta sunt, amicæ compositionis mediis. Nos vero in hoc casu reputantes arctam sanguinis necessitudinem, qua Domui Palatinæ, imprimis Celsissimo Domino Electori moderno

derno obligamur, non possumus eidem nos meliores vices optare, quemadmodum & ob multas rationes intermittere non debemus votis ipsius, justis quidem & æquis, hoc est, in Instrumento pacis, jure ac Constitutionibus Imperii fundatis, imprimis si bello præter meritum & contra definitum pacis modum pressus fuerit, quantum licuerit, ope nostra favere: Neque perspicere possumus, quid Dilectionis Vestræ Statui hujusmodi inimicitiæ, nedum bellicæ persecutionis in præsens aut in futurum conducant, præsertim si concepta odia in se & posteros derivari patiatur. Proinde ad amicitiam, quam cum Dilectione Vestra non minus, quam cum Domino Electore Palatino constanter colere insistimus, plane sinceram pertinere putavimus, ut ab eadem requireremus, quemadmodum hisce amice & studio omni requirimus, ut depositis armorum minis, omni violentia dehinc abstinere, cunctaque in priorem restituere statum, ac eam rursus amicitiam redintegrare velit, quæ bonos vicinos & unius commembra Collegii decet, hoc est, talem, quæ in posterum solida, publicisque legibus & juri cujusque conformis haberi possit. Ut autem hæcce suadeamus, propterea adducti sumus, quod inter Amicos Nostros, præcipuos Imperii Romani Con-Status, amice convenire cupiamus. Et sicuti hoc non modo ad communem publicæ Rei tranquillitatem, sed etiam ad utriusque terrarum & ditionum Electoralium salutem quoque facere arbitramur: Ita si secus factum fuerit, consanguineique Nostri Statum armis pro libidine obruere fixum esse cognoverimus, mirari non debet Dile-

ctio Vestra, si in eundem propensionem Nostram sic testatam reliquerimus, ut nec præscripta pacificationis media prorsus dereliquisse videamur. Speramus autem a Dilectione Vestra meliora, ut sicut ad componendum quondam pacem publicam, eandemque per complures hos annos egregie conservandum magnum habita est instrumentum, ita porro allaboret, ut eadem gloria ad sera Dilectionem Vestram maneat tempora sibique persuadeat, quod hæc benevola hortandi intentio nostra ex sincero plane proficiscatur animo. Deum precamur, ut Dilectionis Vestræ tranquillum animum statumque largiatur, ac eandem diu incolumem conservare velit. Dedimus in Arce nostra Holmensi die 6. Julii Anno 1665.

## CCCCXXVI.

*Responsoria JOHANNIS PHILIPPI Electoris Moguntini ad præinsertas CAROLI XI. Suecorum Regis literas, quibus totam ipsi controversiarum a Palatino Electore excitatarum seriem explicat, 1665.*

## Serenissime & Potentissime Rex, Domine & Amice observandissime.

EX literis Regiæ Vestræ Majestatis in Arce Holmensi sexta Mensis Julii die anni hujus currentis ad Nos datis intelleximus: Relationes ex Imperio & famam insinuasse, ac si inter Nos & Electorem Palatinum controversiæ & diffidia suborta in armorum strepitum erupissent, & conquisito undique milite ditiones Palatinæ a Nobis essent petitæ;

tæ; Percepimus quoque, quibus rationibus Regiæ Veſtræ Majeſtati, ut armis depoſitis & violentiarum timore ſublato, omnia in priſtinum reſtitueremus ſtatum, ſuadere placuerit. Mirum Nobis non eſt, ſi juſtiſſimæ Noſtræ & inculpatæ actiones ſiniſtris inſimulationibus perſtringantur, quandoquidem perſpectum habeamus, Domino Electori Palatino id moris eſſe, ut aliena jura & territoria violenter invadens, ſi legitima & omni jure licita opponantur defenſionis media, ſibi vim fieri, pacem publicam turbari, clamitet. Fama, quæ Regiam Majeſtatis Veſtræ intravit aulam, quemadmodum ſpecialem de Noſtris actionibus non attulit querelam, ſed in incerto rumore ſtetit, ita ut ut conſtans ſit, iniqua tamen eſt: longe ſcilicet aliter ſeſe res habet, quam ut alicujus moliminis paci Monaſterienſi vel aliis Imperii ſanctionibus adverſantis accuſari poſſimus. Quandoquidem Sacrum Romanum Imperium priſtinæ tranquillitati reſtitutum eſt Coronæ Sueciæ indefeſſa cura & Noſtra qualicunque cooperatione; Ita perſuaſum ſibi habere velit Regia Veſtra Majeſtas, Nobis nunquam in mentem veniſſe, contra pacem conciliatam ulli ex Statibus Imperii vel minimam intendere offenſionem; ſed tantum eo Nos laborare, ut violentia injuſta a Noſtris territoriis & poſſesſionibus avertatur. Ut autem Regiæ Veſtræ Majeſtati pateat, quæ controverſiæ ſubortæ origo ſit & ratio: paucis id recenſendum eſt. Tentare ceperunt ſuperioribus annis Electores Palatini ſub prætextu quidem informis cujusdam & invalidi privilegii, ſed tamen contra tenorem ipſius, in circumjacentibus ditionibus homines

mines aliunde adventantes inquirere, illosque tanquam Wildfangios, ſibi violenter adſcribere proprios: tentarunt etiam ſuos proprios homines in Palatinatu jam ante collocatos in vicina territoria intrudere: conabantur deinde in hos homines, etiamſi in alieno habitarent territorio, ſuperioritatis territorialis jura exercere: Quam moleſtiam vicini Electores, Principes, Comites & Nobiles immediati cum ferre nec poſſent nec deberent, implorato ſummo Tribunali facile Proceſſus contra violentias obtinebant, qui talem ſemper ſortiebantur finem, ut Electores Palatini in Poſſeſſorio ubivis ſuccumberent, petitorio autem ob defectum legitimi tituli jus intentum proſequi non auderent. Vix ſemel atque iterum privilegium, quod tamen judex non attendit, allegarunt, & ubi id fecerant, liti judicialiter renunciavere, contradicentibus adverſariis, quibuscunque lis erat, & eandem proſequi urgentibus. Ita judiciali auctoritate Palatini Electores a tentata invaſione alieni juris ejusque poſſesſionis ſemper repulſi, vicini vero in ſua posſesſione vel quaſi libertatis firmati fuerunt. Inauditum quippe in Imperio eſt, ut aliquis in Territorio ad ſe non pertinente ſubditos ſibi creet, in eosque jura ſuperioritatis exerceat; Unde etiam Electoribus Palatinis non jure experiri, ſed vim vi cumulare potius placuit, quibus tamen conatibus & juris & facti remedia ſemper fuerunt oppoſita. Poſt pacificationem Monaſterienſem modernus Elector Nobis aliisque Vicinis moleſtisſimus eſſe cœpit; ab aliis potentioribus vis vi contraria repulſa eſt: Et quamquam exercitium jactati privilegii

nun-

nunquam admiſſum, ſed potius in ſummo tribunali contra Electores Palatinos deſuper judicatum fuerit, Nos tamen amore tranquillitatis & ſtabiliendæ amicitiæ ac bonæ vicinitatis gratia, neutiquam vero juris Imperio adducti, relictis ultro aliquot pagis moleſtiam amovimus, confiſi, fore, ut etiam cum reliquis imbecillioribus amice & reſpective benigne Elector Palatinus conveniret. Sed contra ſpem conceptam non ceſſavit ſua Dilectio Vicinorum Statuum & immediatorum nobilium territoria violenta manu continue invadere ſub obtentu privilegii ſui, in judicando nunquam recepti, recenter adventantes & domicilia in pagis devaſtatis figentes, plerumque etiam de uno tantum pago ad alium in eodem unius domini territorio migrantes, mares & fœminas ſibi proprias adſcribere, easque, ut mancipatui nomina darent, vi cogere, ſuos etiam proprios homines in vicinorum ditiones intrudere: poſtea proprietatem corporis ad jurisdictionem, jura territorialia atque Regalia extendere, adſcriptos ſibi jurejurando conceptis verbis adigere, & ſibi aſſerere jus delectus, luſtrationis, ſequelæ, collectarum Imperialium & provincialium, protectionis, perſonalis & realis citationis, evocationis, vetandi, jubendique, mulctandi, cognitionis in rebus controverſis, conſtitutionis tutorum, inventarii conficiendi, hæreditatis dividendæ, operarum angariarumq; exigendarum, & alia jura quamplurima, quæ tamen cum proprietate corporis nihil unquam commune habuerunt aut habere potuerunt, quorum etiam privilegium (quod tantum exteros & dominum perſequentem non habentes,

tan-

tanquam Wildfangios, sibi adscribendi proprios facultatem Electori dare intendit) nullam ullibi unquam mentionem facit. Præterea in locis, ubi proprios sibi adscripserat, sub prætextu sui privilegii jus Conductus publici vi exercuit, eoque ex principio quibusdam in locis jurisdictionem Criminalem, Jus Assisiarum & Religionis arbitrium etiam contra Augustanam Confessionem sibi asseruit, vectigalia nova pro lubitu erexit, aliisque mille modis contra vicinos in illorum territoriis grassatus est, nullo alio, quam propriæ voluntatis & potentiæ prævalentis titulo. Et cum Elector Palatinus numerum propriorum hominum in alienis territoriis quotidiana vi augeret, atque pro subditis suis habere soleret, res eo fere devenit, ut Status & Nobiles Vicini possiderent terras sine subditis, territoria sine jurisdictione, superioritatem & regalia sine exercitio, uno verbo: ut status & immediata Imperii membra essent, destituti tamen omni illo, in quo dignitas illa consistit, & sine quo ea consistere nequit. Hæ factorum enormitates, quamquam in Comitiis superioribus Ratisbonensibus ad Imperatorem Ferdinandum III. gloriosissimæ memoriæ delatæ fuerint, & sua sacra Cæsarea Majestas, præhabito Ordinum Consilio, Commissarios qui causa cognita controversiam dirimerent, constituerit, inhibitis interea grassaturis ulterioribus; Elector tamen Palatinus neque Commissioni sese submisit, neque inhibitione acquievit; & quæcunque postea a laudatissimo Imperatore hac in causa decreta fuerunt, contemtui habuit, forum semper declinavit, Judicium Camerale tanquam suspe-

suspectum recusavit propter emissos tantum semel contra ipsum processus, Aulæ vero Cæsareæ jurisdictioni se nunquam sistere, neque ullam causæ cognitionem ferre voluit, justitiam omnem & judicem aspernatus est: Loco responsionis in jure minatus & minas executus est, sævitiam sævitiæ addidit, spolia spoliis, tantamque violentiam exercuit in territoriis Vicinorum, ut infensus eorum hostis videri posset, cum quæ hostium sunt, indesinenter patraret. Quomodo afflixerit & laceraverit Elector Palatinus Nostrum Episcopatum Wormatiensem, ex eo patet, quod ex bis mille septingentis viginti duabus animabus certos per pagos habitantibus, vix quadraginta & octo hac lue non infectæ Nobis supersint, in reliquas omnes, violento mancipatu subactas, jura superius recitata (quæ tamen utpote territorio inhærentia jure territorii ad Nos spectant) ipse contra Nos hostilem in modum exercet: hoc scilicet est, totas ditiones absorbere, & Principes Imperii subditis suis & Regalibus destitutos in exilium agere. In oppido Nostro Hemspach, ubi Palatinus Elector proprium hominem non habet, sed certo tantum pacto, telonium, hospitationem militarem Nobis negat, præterlapsa hyeme equites eo missos & per hospitia dispositos turbavit inde & ejecit: ita Nobis non licet recipere hospitia in Nostro territorio per vicinum inquietum. Urbem Laudenburgum ad Episcopatum quoqueNostrum Wormatiensem pertinentem, repetitis vicibus magno armatorum equitum peditumq; numero invasit, aulam Nostram Episcopalem ingressus, portisque partim revulsis, partim

partim occlusis, ministris liberum interdixit exitum atque accessum, hortum Nostrum prope aulam qui est, devastavit, muros urbis diversis in locis perruptos in fossas projecit. Arcem Nostram Stein injuria bellorum semidirutam ex fundamento evertit. Quo jure? dictam urbem Laudenburgum cum pertinentiis Elector Palatinus pro parte quidem dimidia Nobiscum in communione indivisa (excepta aula & nonnullis juribus) ut pignus possidet: Sed possessori pignoris ejusmodi licere etiam contra pactorum leges, quis unquam audivit. Enormia sunt, non tamen sufficiunt: omnes quippe homines in tota hac communione habitantes, quasi essent Wildfangii seu exteri, dominum non habentes sibi proprios violenter adscripsit: Jurisdictionalia inter Nos & ipsum communia pleraque ipse solus usurpavit, novos cives, ne Nobis homagium præstarent, & omnes alios, ne citati a Nostris officialibus, in aula posthac comparerent, prohibuit: Atque, ne careat titulo, jus præcipuum allegat sua Dilectio: cum tamen de ejusmodi jure ex Instrumento contractus non appareat, nec pignoris possessionis titulum præbeat, contra Dominum proprietatis (a quo omnis habetur causa & quo cum res obligata possidetur in communione) præcipui quid juris effingendi. Sola integrum Nostrum Episcopatum occupandi libido & eam concomitata hactenus vis prævalens pro titulo est. Utrum autem Sacra Cæsarea Majestas cum Sacro Imperio ferre possit aut debeat, ut tam illustris Status, cui dignitas Directorii in Circulo superiori Rhenano annexa est, subvertatur & ex matricula

Impe-

Imperii deleatur a Constatu, rogamus, Regia Vestra Majestas pro animi sui magnitudine & æquitate consideret. Certe pax publica, tranquillitas & salus Imperii atque quæ eo tendunt, Constitutiones id non sinunt. Omnia gravamina recensere nec hujus loci est, nec possibilitatis, ex paucis, quæ in specie attulimus, colligere licet, aliis Vicinis quid contigerit: Et hæc est egregia illa ad Instrumentum pacis, ad leges & Constitutiones Imperii ab Electore Palatino ingeminata provocatio, quæ Regiæ Vestræ Majestati in tantum laudata est. Cum igitur vicini Status re ipsa hactenus & magno suo dispendio essent comperti, neq; Imperatoriæ Majestati neq; Justitiæ, nec amicitiæ, nec deprecationibus & supplicationibus hic locum dari, sed exitiale propositum longius latiusque grassari: Igitur gravati Electores Trevirenses ac Colonienses, Dux Lotharingiæ, Episcopi Spirensis & Argentinensis, Rheingravii & immediata Imperii nobilitas, alii propter semetipsos, alii propter suos Vasallos, de resistentia reali & defensione mutua sui cujusque territorii consilia necessaria susceperunt; quibus Nos, ut Episcopus Wormatiensis ac Herbipolensis, cujus ditiones etiam invadere cœpit, quin subscriberemus, nec potuimus nec debuimus intermittere. Militem igitur Nostrum postquam Elector Palatinus de sistendis violentiis & restituendis spoliis frustra requisitus esset, in suo quisque territorio disposuit (neutiquam vero in ditiones Palatinas, ut fama fallax sparsit, deduxit) seque ac suos, cum sua jurisdictione, superioritate territoriali ac Regalibus antiquissimis adversus insultus Pala-

tinos defendere atque tutari constituit. Qua enormitate facinorum ad hanc necessitatem fuerimus omnes compulsi, quam justa & naturalis sit defensio, quantum Imperii intersit, tot & tam præclara ejusdem non lacerari, avelli & absorberi membra, publico hoc scripto, quod hæc Nostra secum adfert epistola, delaramus: & non solum Sacræ Cæsareæ Majestati & Imperio, sed etiam omnibus totius Europæ Principibus, imprimis autem Regiæ Vestræ Majestati dijudicandum relinquimus, quid sibi quisque consultum putaret, aut quæ alia defensionis contra vim summam media alicui superesse possent, si contra dignitatem suam tam indigno tractaretur modo; Esto, nemini Statuum licere jus suum armis prosequi, vel alienum oppugnare posthabitis compositionis remediis: Quomodo igitur licere potuit Electori Palatino, fracta tot infinitis vicibus pace Imperii publica, aliena territoria armata manu invadere, subditos alienos, ut mancipatui nomina darent, vi cogere, jus deinde Mancipatus extortum ad omnia superioritatis jura & Regalia propria auctoritate extendere? Rem hanc esse gravem, scandali publici & pessimæ consequentiæ plenissimam, atque ad internecionem tot præclarorum Statuum & membrorum Imperii, adeoque ad diminutionem ejusdem summo studio directam, nemo non videt. Ut ut jus suum armis prosequi Instrumentum pacis vetet, se tamen atque sua adversus invasiones hostiles armis defendere, vim vi contraria repellere nunquam vetuit, nec vetare potest; cum & privato cuilibet a possessionibus suis violen-

lentum aggressorem rejicere liceat, jure Naturæ id permittente, imo dictante & jubente: Cum Elector Palatinus in Hasso-Darmstadina, Badensi, Wurtenbergiæ, nec non in Regiæ Vestræ Majestatis dilectissimi Patrui ditionibus prope Weissenburgum proprios sibi tentaret adscribere homines, vim repulsivam certe sustinuit, & eam passus deinceps abstinuit, neque de injuria illata unquam conqueri fuit ausus, annon eadem defendendi facultas penes Nos erit? sane! eodem Nos jure utimur, qui non minori dignitate ab Imperio sumus condonati. Hæc plana sunt & certa: Quemadmodum autem atrocitas violentiarum gravatis Nobis defensionis necessitatem imperavit, ita nil magis optamus omnes & singuli, quam si cessantibus violentiarum minis defensionis tolleretur necessitas: Unde etiam auctoritatem Sacræ Cæsareæ Majestatis, quæ etiamnum hac in causa Cæsareo suo fungitur officio, humiliter imploravimus, & Domini Electoris Brandenburgici interpositionem libenter admisimus; quin imo propter evidentissimam causæ Nostræ justitiam judicem quemcunque sustinere non veremur. Bellum ex bello serere, uti nec moris Nostri est nec genii, ita longius a Nobis abfuit hactenus, aberitque in futurum. Exemplum cujus mentio fit, non fuit injusta offensio, sed justa rei legitime judicatæ executio, & rebellium subditorum justissima, necessaria & salubertima, sine damno tamen cujuscunque facta, coercitio. Et cum certo Nobis constet, Regiæ Vestræ Majestati tanquam præcipuo Imperii Con-Statui imprimis

curæ cordique fore, ut præcaveatur omnibus modis, ne quid Respubl. detrimenti capiat; Imperio autem Romano detrimentoſum maxime & ignominioſum eſſet, ſi media pace Status Imperii a Con-Statu ſupprimerentur, delerentur, atque ex Electoribus, Principibus, Comitibus ac Nobilibus immediatis Landſasſii, Servi, Mancipia efficerentur: Ideoque non volumus Nobis perſuadere, Regiam Veſtram Majeſt. fauturam illi, qui talia contra pacem publicam & Conſtitutiones Imperii conatur; neque credimus Reg. Veſt. Majeſtatem non meliores optaturam vices illis Sacri Imperii Statibus & immediatis membris, qui vim injuſtam propulſant, conſervationemque ſui & Imperii incolumitatem unice quæſitam volunt, quam quibus hactenus ab Electore Palatino afflicti fuerunt & divexati. Quam ob rem Regiam Veſtram Majeſtatem debite & officioſe obteſtamur, dignetur Electorem Palatinum cohortari, ut territoria Jurisdictionalia & Regalia gravatorum dehinc invadere & violare deſinat, a violentiis & offenſionibus abſtineat, Conſtitutionibus Imperii & Inſtrumento pacis, juribus denique Gentium & naturalibus Nos frui ſinat: ſin autem quid prætenſionis ſibi ſupereſſe crediderit (ſi quidem concordiæ diſplicuerit Tractatus) jure experiatur, & eo, quod coram Tribunali definitum fuerit, contentus vivat. Hoc ſi fecerit ſua Dilectio, amiciſſime, prout ex animo optamus, conveniemus invicem, Noſtræque omnium tranquillitati ex voto erit proſpectum: Regiæ autem Veſtræ Majeſtati immenſas debebimus gratias nun-

quam

quam non pro possibilitate Nostra operose exhibendas. Tentat modo Sacra Cæsarea Majestas, quod æqui judices facere solent, amicabilem controversiæ ab Electore Palatino Nobis motæ, compositionem. Gravati Nos omnes proni sumus, atque ut conveniatur amice, propensi; sed Elector Palatinus ad hanc compositionis metam hactenus flecti nullo prorsus modo, nulla ratione potuit: Insistit modo Delegatus ad istud negotium Cæsareus: Quod si sua Dilectio in sua sententia inflexibilis hærere perrexerit, sacra tunc Cæsareæ Majestati ratione officii incumbet, ut, utrum Elector Palatinus prætensum privilegium habeat, & in præjudicium jurium Con-Statibus quæsitorum & firmatorum habere possit, deinde, utrum id ipsum ad exercendas jurisdictiones, jura superioritatis & Regalia in alienis territoriis atque sic ad absorbenda integra territoria, ad evertendos & ex Matricula eliminandos Status & Membra Imperii extendi possit aut potuerit, definiat. Hoc scilicet æquo animo ferre debebit Elector Palatinus per legem Imperii. Regiæ autem Vestræ Majestati nos totum negotii hujus statum quin exponeremus, non potuimus nec debuimus ad literas acceptas intermissum linquere; Cui interea florentissimum Regnorum statum & incolumitatem perpetuam officiose precamur. Dedimus in Arce nostra Sancti Martini Moguntiæ 20. Mensis Augusti die, Anno 1665.

CCCCXXVII.

*Litera S. R. IMP. ELECTORUM, PRINCIPUM ET STATUUM LEGATORUM, in Comitiis*

 *Ra-*

*Ratisbonensibus degentium, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ & Navarræ Regem, quibus ipsum, ut controversias inter ipsius in Præfectura Hagenoënsi Ministros & Civitates ac Nobiles per Alsatiam liberos de jure feudali gliscentes, amicabili Ratisbonæ conventione componi permittat, submisse requirunt, 1665.*

P. P.

COnquestæ sunt tam Sacræ Cæsareæ Majestati ejusdemque ad hæc Comitia constituto supremo Commissario, Celsissimo principi Domino Archiepiscopo Salisburgensi &c. quam Nobis decem Civitates Imperiales in Alsatia unitæ, Regiæ Majestatis Vestræ Christianissimæ Præfecturam Hagenoënsem certa lege agnoscentes, se contra immedietatem in Instrumento Pacis, ipsis & Imperio reservatam, variis viis ac modis Paci Monasteriensi minus convenientibus ab ejusdem Præfectura Regia & aliis Ministris Regiis premi, quin & insolitum juramentum fidelitatis ipsis præscribi, aliaque præjudicia inferri, eorumque approbationem a Civitatibus juxta tenorem adjunctorum Memorialium severius exigi, nec non insueta majoremq; in modum aucta Vectigalia contra privilegia Civitatum, a ConductoribusRegiorum vectigalium vulgo Admodiatoribus imponi. Sunt præterea alii Imperii Status, Nobiles & Subditi, qui conqueruntur sibi ob feuda, quæ recognoscunt a Metensi, Tullensi & Virodunensi Episcopatibus varia gravamina & impedimenta contra jura immedietatis in dispen-

dispendium tam sibi, quam Imperii intentari, & sub nomine supremi Dominii in dictos Episcopatus per allegatam pacem concessi, Regiam Jurisdictionem ultra horum districtum & territorium extendi, quantumvis his ante dictam pacem extra casus jure communi Feudali determinatos nulla in memorata feuda, sed tantum Romano Imperio competierit, & adhuc competat jurisdictio. Verum prout novimus Regiæ Majestati Vestræ pacis Monasteriensis conservandæ studium adeo curæ esse, ut omnino incredibile sit, ipsam ullas Instrumenti pacis Contraventiones suis Ministris permissuram esse, ita optime confisi de Regiæ Majestatis Vestræ æquanimitate, eandem pro muneris nostri ratione decenter & instantissime rogamus, ut controversias, quæ ratione jurium Imperialium & eorum, quæ Præfecturæ annexa sunt, ex Interpretatione Instrumenti pacis ad amicabilem compositionem, quæ in hisce Comitiis commodissime peragi posset, remittere, eumque in finem sua ex parte, quod idem ab Imperio & dictis Civitatibus fiet, arbitros denominare, & ne ratione memoratarum Civitatum, nec non allegatorum Vasallorum, vel a Ministris Regiis aut ullo alio modo contra prætactum Instrumentum pacis aliquid fiat, pro sua Regia autoritate providere velit. Quæ omnia ut inter Sacram Cæsaream Majestatem ejusdemque Celsissimum Commissarium ac Nosmet ipsos totius Imperii Statuum nomine in his Comitiis convenerunt, ita Regiæ Majestati Vestræ exponenda esse duximus; cui perpetuum Regni decus & glo-

riam cum longæva vita & animitus exoptamus; eidem nos impense commendantes.

Regiæ Vestræ Majestatis

*Ratisbonæ e Comitiis 19. Aug. Anno 1665.*

*Humillimi*

S. R. Imperii Electorum, Principum & Statuum Consiliarii & Legati ibidem congregati.

CCCCXVIII.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Electoris Saxoniæ, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, cui pro candida animi sui benevoli erga familiam Saxonicam declaratione ingentes grates, Dominumque de Gravel, Legatum ejus muneri sibi concredito omni ex parte satisfecisse refert, 1661.*

P. P.

Literæ, quas Regia Vestra Majestas sub die 1. Septembris ad Nos dare dignata est, a suo Consiliario Status & per totum Imperium Plenipotentiario Domino de Gravel, recte traditæ Nobis sunt, & ut ex earum tenore summa lætitia perfusi libenter percepimus, Regiam Vestram Majest. benevole de Nobis sentire, & animum suum pro innata sua generosa propensione satis abundeq; declarasse, ita conceptum hoc Nostrum gaudium, non mediocriter auctum fuit, cum ex ore prædicti Domini de Gravel prolixe audivimus, quam confidenter

ter & amice Regia Vestra Majestas Nostri Nostrorumque curam gerat, communisque boni ac salutis rationem habeat, pro quo Regio beneficio non possumus, quin illi condignas agamus gratias, atque vicissim omnia studia & officia promptissima polliceamur, id certe, si quando contigerit occasio, re ipsa & in effectu comprobaturi: Nec dubitamus fore, ut Dominus de Gravel pro sua consueta & ubique cognita dexteritate ac prudentia pluribus relaturus sit omnia illa, quæ ad proposita ab ipso negotia juxta Nostram in Regiam Vestram Majestatem propensionem respondimus. Præstat enim ille sese egregium aptissimum & faustum in promovenda publica utilitate instrumentum, ita ut & hoc nomine plurimum Regiæ Vestræ Majestati Nos devinctos profiteamur, quod nimirum Ipsi collibitum fuerit, talem Ministrum ad Nos ablegare. Hisce divini Numinis Protectioni Regiam Vestram Majestatem pro diuturno & felicissimo regimine quam optime commendamus. Datum in arce Nostra prope Zwiccau die $\frac{1}{7}$. Septembris 1665.

## CCCCXXIX.

*Breve ALEXANDRI VII. P. P. ad CHRISTOPHORUM BERNHARDUM, Episcopatus Monasteriensis Præsulem, cui persuadere satagit, ut sibi Coadjutorem substitui patiatur, 1665.*

## Alexander VII. Papa.

*Venerabilis frater, Salutem & Apostolicam Benedictionem!*

QUanto cum animi Nostri gaudio acceperimus, Fraternitatem tuam ab initio commissi sibi gregis, omni cura ac industria in firmanda ac promovenda Religione catholica laborare, tum Civitatem Monasteriensem diu tumultuantem ad obedientiam pristinam reduxisse, testes Tibi esse possunt literæ nostræ antehac ad Te missæ. Porro autem ex anteactis rebus & annalibus constat, non valde gloriosum esse vincere, nisi & parta tueamur, eaque remedia usu malisque edocti adhibeamus, quibus imposterum Religio ac pax publica in tuto consistere possit. Timendum vero, ne Te quondam ad æterna præmia vocato, cum de successore agetur, dissensio & paucorum ambitio, prioribus malis denuo latus aperiant, illaq; bona & commoda, quæ multo auro & sanguine parta sunt, perdantur, ac partibus in diversa scissis, patria novis motibus involvi possit: Cum autem opportunius remedium non occurrat, quam ut de Coadjutore cum futura successione deliberes, illaque ratione omnem aditum ambitioni & discordiæ præcludas, serio te in Domino adhortamur, ut quanto citius cum tuo Capitulo de Coadjutore cum futura successione eligendo agas, Nobisque rei gestæ seriem deinde exponas; interim Te, si fortassis more aliquorum Capitulorum Germaniæ Capitulatione inita de Coadjutore invito, aut nisi tractatu præeunte cum capitulo non petendo inoda-

nodatus exiſtas, ab iſtiusmodi vinculo per præſentes abſolventes, Fraternitati Tuæ benedictionem Apoſtolicam peramanter impertimur. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem ſub annulo piſcatoris, die 26. Septembris M. DC. LXV. Pontificatus Noſtri anno undecimo.

J. Florentin.

## CCCCXXX.

*Breve ALEXANDRI P. P. VII. ad CAPITULUM MONASTERIENSE, quo ei curas de eligendo quamprimum Coadjutore Præſuli ſuo ſubſtituendo habendas ſollicite injungit, 1665.*

Alexander VII.

*Dilecti filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem!*

Non mediocrem certe laudem promeriti eſtis, quod Epiſcopo Veſtro in pacanda Civitate Monaſterienſi & ſtabilienda Religione Catholica ope & auxilio adfuiſtis, majoribus encomiis digni, ſi quæ feliciter parta ſunt, unanimi conſilio perficiantur & conſolidentur. Cum vero in comperto ſit, proſpere finita navigatione, nullum majus periculum, quam in ipſo ingreſſu portus eſſe; ſic & Vobis timendum, ne rectore & Epiſcopo Veſtro e vivis poſthac ſublato, ſi de alio ſucceſſore in ejus vita Vobis proviſum non ſit, diſcordiarum & ambitionis venti navem Veſtram in periculoſos ſcopulos adigant, & quod multo ſudore ac labore partum eſt, undis hauriatur. Quare Vos in Domino hortamur, ut Noſtræ & Antiſtitis Veſtri volun-

luntati, cui hac de re quoque mentem Nostram motu proprio aperuimus, annuentes, rejectis partium studiis, in commune consulatis, illumque Coadjutorem, cum futura successione quantocyus eligatis, qui virtute meritisque ornatus, tanto oneri ferendo par sit. Vobis, dilecti filii, benedictionem apostolicam paterne largimur. Datum Romæ, apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris, Die vigesima sexta Septembris M. DC. LXV. Pontificatus Nostri anno undecimo.

J. Florentin.

CCCCXXXI.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Saxonum Electoris, ad CAROLUM EMANUELEM II. Ducem Sabaudiæ, cui secundum ad secundas nuptias transitum magnopere gratulatur, 1665.*

P. P.

Divinis auspiciis Regiam Vestram Celsitudinem augendæ Domus & subditorum bono ad secundas nuptias cum delecta in Uxorem Nemorosia Principe, propinqua sanguinis gloria non minus ac animi dotibus insigni, feliciter transiisse, pro antiquissimis Nostris in Eandem benevolentiæ studiis, hoc impensius gaudemus, quo uberius ex tam gratæ rei nuncio pristinæ olim inter utramque Domum necessitudinis vigor & singularis Regiæ Vestræ Celsitudinis erga Nos humanitas eluxit. Quo ipso quidem, sicuti pro mutuo conjunctionis cultu jucundius Nobis nihil accidere potuisset; Ita equidem Eidem de tam secundo connubii

nubii ſucceſſu magnopere gratulamur, atque ut prolixa inde omnigenæ felicitatis incrementa ſumat inclyta Domus Veſtra, in quam conjunctisſimi animi zelus, ſinceritas & ſtudia noſtra vicisſim omni tempore conſtabunt, cœlitus etiam atque etiam vovemus. Dabantur Dresdæ die 26. Setembris Anno 1665.

## CCCCXXXII.

*Litera GENERALIUM FOEDERATI BELGII ORDINUM, ad CHRISTOPHORUM BERNHARDUM, Præſulem Monaſterienſem, de ſimultatibus & belli inde inter ſe exorti motibus agentes, 1665.*

Literæ Celſitudinis Veſtræ ſcriptæ Lutgersburgi 14. hujus menſis, redditæ nobis ſunt fideliter per Tubicinem, & inviti omnino ex iis intelleximus querelas de damnis, contumeliis & immerita hoſtilitate, quibus Celſitudo Veſtra ſe a Nobis affectam eſſe affirmat, quasque huic ex ſuperabundanti & ad majorem ſatisfactionem nobis repræſentare & ſignificare placuit, idque cum certa & vicinis digna confidentia, fore ut Nos ad præcavendas calamitates, inimicitias & moleſtias exinde orituras, promptum adhibeamus remedium, eoque nomine illico, & ſine ulteriori dilatione pro illata hoſtilitate, damno & contumelia convenientem ſatisfactionem, reſtitutionem, & præ omnibus certam & ſufficientem in futurum præſtemus ſecuritatem, talemque declarationem ſine mora per prædictum remittamus Tubicinem: ſin minus, Celſitudinem Veſtram excuſatam eſſe velle ab omni-

omnibus damnis, calamitatibus & molestiis inevitabiliter exinde proventuris, utpote quæ copiis suis militaribus jam bellicum cani jussisset. Quamvis vero prædictam epistolam plerique contemplati fuerimus haud aliter ac sonum classici & manifestam provocationem ad bellum, nos nihilominus in signum moderationis & sinceritatis nostræ, quo non solum cum universo Imperio Romano, omnibusque ejus membris, sed etiam sigillatim cum Celsitudine Vestra in bona & secura amicitia vivere possemus, post habitam deliberationem recte nos facturos judicavimus, literis hisce significare, Nos prædictam Epistolam, utpote complectentem multos & discrepantes admodum articulos & positiones variarum rerum, quæ non proxime tantum elapsis annis, sed etiam ante annos quadraginta & plures, nonnullæ etiam ante hominum contigissent memoriam: tradidisse in manus D. D. Deputatorum e corpore nostro, & item e Collegio Statuum Fœderati Belgii, ut inquirerent & examinarent in ea, quæ olim circa hoc negotium gesta essent, ac item ut formulam rescriptionis quam citissime chartæ mandarent, quæ Celsitudini Vestræ una cum declaratione nostra ad requisitos articulos satisfactionis, restitutionis, & securitatis in futurum quamprimum transmitteretur. Non jam sigillatim commemorabimus omnes litis articulos, qui nobis in prædicta epistola intentantur, verum ad nostram defensionem illud obiter monebimus, nos sancte testari, quod minime nobis conscii simus ullius belli aut hostilitatis illatæ Celsitudini Vestræ aut terris huic subjectis,

jectis, aut ita unquam animatos fuisse, ut vel damno vel contumelia aliqua illam afficere voluerimus; sed illud libenter agnoscere, quod superiori anno cum Celsitudo Vestra vi armata occupasset munimentum de Deiler situm in Ost-Frisia extra Jurisdictionem & limites suos, copiis nostris coacti fuerimus efficere, ut milites Celsitudinis Vestræ relicto munimento alio migrarent, ad hoc ipsum compulsi multis justissimis & peremtoriis rationibus, quas non tantum Celsitudini Vestræ, sed & Cæsareæ Majestati jam ante exposuimus: præcipue cum teneamur terram Ost-Frisiæ contra omnem vim & invasionem pro viribus nostris defendere, utpote, quæ a multis retro annis, diversis tractatibus & aliis obligationibus Fœderato Belgio ita annexa sit, ut pro limite hujus Status haberi debeat, ac præterea quod prædicta terra in omnibus occasionibus a nobis protecta fuerit, & insuper quod huic statui arbitrium delatum sit componendi controversias inter Comitem & Ordines illius Territorii, uti Celsitudini Vestræ ac toti Imperio Romano notum est: Nec non quod prædicta regio, quam Celsitudo Vestra ita, ut diximus, invaserat, jam antea nobis oppignorata & hypothecata fuerit, pro magnis pecuniæ summis, quas tam prædicto Comiti, quam Ordinibus hujus terræ annumerari curavimus. Itaque prætermittere non potuimus, quin prædictam regionem liberaremus ab oppressione, quam prætermittendo, merito ipsi pro oppressoribus haberi potuissemus: continuatione quippe executionis terræ & subditi defuncti Principis Ost-Frisiæ premebantur, non obstante prom-

prompta & sincera oblatione earum pecuniarum, quæ nomine Principis de Lichtenstein demum elapso præstito tempore exigi debebant. Et mirum sane Celsitudinem Vestram autoritatem & mandata dedisse, ut prædicti nummi per executionem a villicis & rusticis Ost-Frisiæ exigerentur, adjunctis gravioris executionis minis, nisi spatio mensis postulatas summas ad munimentum Deiler prompte deferrent. Et quamvis integra summa, quæ militari executione exigebatur, etiam ante exspirationem præfixi temporis sincere & legitime offerebatur, nihilominus illi, qui autoritate Celsitudinis Vestræ erant instructi, declarabant se nulla mandata habere oblatas pecunias accipiendi, multo minus, ut ab incepta executione desisterent, aut milites ex prædicto munimento Deiler reducerent. Ita ut pecuniæ moleste & operose cum pernicie agrorum & hominum exigerentur, quæ aliunde pacate & benevole oblatæ recusabantur: & non obstante isthac oblatione, continuabatur executio, ut nempe hac ratione possessio munimenti Deiler stabiliretur, cum tamen jus gentium doceat oblatione debiti pignus solvi. Atque hæc quamvis breviter, paulo tamen fusius, quam propositum fuerat, visum nobis fuit explicare, quoniam Celsitudinis Vestræ querelæ maxime provenire videntur ex iis, quæ anno præterito ad munimentum Deiler gesta fuere, quo tamen in negotio scopus noster unicus fuit, ut Comitatum Ost-Frisiæ contra omnem oppressionem & invasionem protegeremus, speciatim vero ut munimentum Deiler, magnis & conspicuis pecuniæ summis Nobis a Prin-

a Principe Ost-Frisiæ oppignoratum, tueremur, absque ut animus nobis fuerit Celsitudinis Vestræ personam ulla afficere contumelia, aut subditis hujus damni aliquid inferre. Illud quidem agnoscimus, copias nostras per angulum terrarum Celsitudinis Vestræ iter instituisse, verum etiam hoc sincere possumus affirmare, nunquam nos mandata dedisse, ut in prædicto terrarum angulo aliquid hostile patrarent, aut quemquam habitatorum læderent, sed e contrario, Generali copiarum nostrarum expresso mandato injunximus, ut militarem disciplinam exactissime observaret, & diligenter & sub pœna vitæ caveret, ne cui aliqua infligeretur injuria. Et quidem, quoad fieri potest, executus est hoc mandatum, & inter alias pœnas culpæ alicujus obnoxiis inflictas etiam equitem in conspectu totius exercitus morte multavit, quemadmodum ipse literis 27. Junii annó præterito scriptis, in testimonium bonæ nostræ intentionis & mandatorum exacte a se observatorum indicium, nobis significavit. Celsitudini Vestræ pro sua magna experientia optime constat, incessum militarium copiarum per quascunque terras aliquid semper afferre incommodi, verum ut istiusmodi injuriæ a nostris illatæ fuerint, quales Celsitudo Vestra in suis commemorat literis, ægre admodum propter præfatas rationes possumus persuaderi. Quin potius existimamus prætextus gratia hæc dici, ut aliquem conatibus suis affingat colorem. Quod si nihilominus hac in parte aliquid contra intentionem nostram commissum fuerit, in tempore, & non post expirationem sesqui anni propemodum reparatio &

compensatio illati damni postulari debuerat: quod tamen postulatum secundum judicium æquorum judicum nobis potius competebat, in compensationem impensarum, quas provocati facere necesse habuimus, utpote qui ad recuperandum pignus nostrum, munimentum nempe de Deiler, exercitum conscribere coacti fuerimus, quam Celsitudini Vestræ, quæ moderationem & facilitatem nostram exinde facile potuit colligere, quod cum præsens nobis adesset facultas, qua impensarum belli compensationem in ipsius Celsitudinis Vestræ terris quærere potuissemus, id tamen facere noluerimus, sed copias nostras ad sua præsidia illico remiserimus. Satis præterea Celsitudini Vestræ constat, quam longe a majoribus nostris absit, ut cuiquam injuriam faciamus, aut cuiquam, quod suum est, detineamus, ut in negotio Bevergardensi Celsitudinem Vestram spectante indulgentiam nostram satis testati sumus. Quapropter impensius miramur, Celsitudinem Vestram ita mentionem facere de negotio Borkloënsi, ac si aperta vi Dominium hoc detineremus, cum tamen unicuique notum esse possit, Dominum Comitem de Stirum per competentes judices ad possessionem hujus Dominii legitime esse admissum, quod literis nostris scriptis anno præterito 17. Junii, illud unice impetrare conati simus, ut Celsitudo Vestra summam juste debitam Comiti de Stirum persolveret, secundum sententiam curiæ Gelricæ aliorumque Consiliariorum in aliis justitiæ Curiis Anno 1613. 1615. & 1622. legiti-

me

me decisam, non incompetenter & nulliter, sed postquam partes utræque judicio voluntarie se submisissent & in causa litis contestationis ac proinde cum renunciatione ulterioris productionis juste conclusa. Quod Monasteriensem civitatem attinet, vere possumus testari, quod ex postulato hujus civitatis, & communis commercii gratia, nihil aliud conati fuerimus, quam ut inter Celsitudinem Vestram & dictam Civitatem, uti bonos decet vicinos, æquam & Christianam pacem stabiliremus, & omnem sanguinis effusionem & vastationem agrorum præveniremus, quod etiam præstitimus, absque eo ut postmodum consecutis controversiis & contentionibus nos immiscuerimus, nisi amice nos interponendo ad reducendam pacem & concordiam salutarem, ita ut iniquissima & injustissima sit exprobratio, quod præsenti etiamnum tempore secretum & periculosum cum hac civitate habeamus literarum commercium. Quod Domini Ordines Gelriæ ad detegendas clancularias conspirationes & proditiones ad securitatem Provinciæ & Urbium suarum facere aggressi sunt, id a nemine potest culpari, nisi ab illis quorum interest, ut istiusmodi conspirationes succedant. Quod tamen a functione & generositate Celsitudinis Vestræ alienissimum fore libenter credimus, confidimusque illam æque ac Nos, & quotquot veri sunt Christiani, istiusmodi conspirationes & proditiones detestaturam, ac reos hujus criminis, qui in ditionem Celsitudiuis Vestræ se receperunt, examini & supplicio tradituram, aut remissuram nobis, ut de illis, quod æquum

Cc 2 sit,

ſit, ſtatuatur. Quid autem de hac conſpiratione ſentiendum ſit, tempus & veritas propius revelabit: nos quidem iſtam inquiſitionem judicibus ordinariis, ipſam vero averruncationem Deo Omnipotenti & æquitati cauſæ noſtræ committimus. Interim Celſitudini Veſtræ iſtud affirmamus, nihil in hoc negotio a nobis fieri odio religionis, ſed unicam noſtram curam & ſupremam legem eſſe ſalutem, conſervationem & proſperitatem patriæ, cui omnes magiſtratus obſtrictos & obnoxios eſſe decet. Quid vero ſeu de hoc, ſeu de aliis negotiis in noſtris terris typis divulgatum eſt, de iis aliud nihil dicemus, niſi illud ſolum, non tantum hic, verum paſſim in aliis quoque regionibus ægre admodum frenari & inhiberi poſſe typographicas licentias, quantumvis diligens fuerit cautela: Nosque ipſi contra iſtiusmodi abuſus ſevera ſæpe promulgaverimus edicta, eademque ſævis & rigidis confirmaverimus executionibus. Reliquos accuſationis articulos, quod nempe præteritis temporibus Comitatum Oſt-Friſiæ per admiſſionem copiarum Mansfeldicarum ac poſtmodum Haſſiacarum, ac inſuper fovendo diſcordiam inter Principem & Ordines territorii opprimere ſtuduerimus, alio reſervamus loco: nunc hoc ſolum obiter monemus, nos etiam media & pecunias hujus Status promte obtuliſſe & contuliſſe ad liberandum hunc Comitatum a copiis Mansfeldicis, & remotiſſimum eſſe ab omni veriſimilitudine, ut contra propriam noſtram utilitatem alias poſtmodum copias introduxerimus, quarum admisſione prædictus Comitatus minus idoneus fuiſſet redditus ad refunden-

fundendum eas pecuniæ summas, quas in levamen maximæ suæ indigentiæ erogaveramus, quarum compensationem, non per intromissionem alienarum copiarum, nec per fomentationem discordiarum inter Comitem & Ordines Provinciæ, sed per evacuationem externæ militiæ & instaurationem mutui amoris & concordiæ inter Principem & Ordines regionis multo facilius & verosimilius consequi poteramus. Quod postremum ita feliciter nobis assecuti videmur, ut totus Comitatus & hujus membra salutaris hujus remedii effectu præsenti etiamnum tempore gaudeant & acquiescant, cum nihil nobis æque cordi esset, quam ut ille Comitatus constanti pace & prosperitate semper frueretur. In cujus rei testimonium complures in Graphiario nostro conservantur literæ, tam a Comite, quam ab Ordinibus hujus Provinciæ scriptæ, in quibus expresse & signanter pro officiis successive præstitis summas nobis referunt gratias. Hæc omnia expedire censuimus, quæ Celsitudinis Vestræ literis in antecessum rescriberemus, cum certa affirmatione, nos nequaquam defuturos fuisse, in conservanda bona & vicinis digna amicitia & concordia, si Celsitudini Vestræ parem animum & affectum conferre placuisset; sed quandoquidem illa præsumpsit diversa Status nostri loca & oppida inexpectato & hostiliter militaribus suis copiis invadere & vastare, Celsitudinem Vestram præsentibus hisce admonere voluimus, Nos a parte nostra nequaquam otiosos fore, quin potius iis usuros mediis, quæ Deus Opt. Max. nobis suppeditare dignabitur, donec aspirante ejus Divina

gratia Celsitudinem Vestram compescamus, & pro illatis damnis & contumeliis justam consequamur satisfactionem. Tunc ut confidimus, Celsitudo Vestra memor fiet, quod qui se accingit, non debeat æque gloriari atque is qui arma deponit. Datum Hagæ, die 29. Septembr. 1665.

## CCCCXXXIII.

*Litera JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad ISABELLAM CLARAM, CAROLI III. Ducis Mantuæ Viduam, quam ob inopinatum Serenissimi Mariti mortem impense solatur, 1665.*

P. P.

NOndum superato ex gemina non ita pridem Serenissimorum Fratrum Archiducum Austriæ jactura percepto dolore, Dilectionem Vestram graviori adhuc mœroris vulnere ex obitu Serenissimi quondam Mariti sui Domini Caroli, Mantuæ Ducis, inclytæ memoriæ, afflictam esse, molesto animo tulimus. Pro Nostro enim in Serenissimam Domum Vestram singulari affectu non sine animi perturbatione accepimus funestum istum casum, cujus Nos Dilectio Vestra participes reddere voluit: Verum enim vero cum Nostræ mortalium sortes in benigna Dei manu sitæ sint, in divino ejus beneplacito Eandem amice acquieturam confidimus. Nihil quidem pro mutua utrinq; necessitudine omissuri, quod muneris Nostri pro rerum exigentia esse, atque ad Vestri consolationem pertinere videbitur: Deum optimum maximum

ximum precati, ut ab ejusmodi luctuoso eventu imposterum Serenissimam Domum Vestram benigne tueatur. Cujus protectioni Dilectionem Vestram etiam atque etiam benevole commendamus. Dabantur Torgaviæ, die 5. Octobr. 1665.

## CCCXXXIV.

*Litera CAROLI XI. Suecorum Regis, ad LEOPOLDUM, Romanorum Imperatorem, quibus ab eo, ne Electoris Palatini evidentia jura, per adversas Electoris Moguntini machinationes vellicari permittat, sed potius ejusdem causæ patrocinium in se suscipiat, obnixe contendit, 1665.*

**Nos Carolus, Dei Gratia Suecorum, Gothorum,** Vandalorumque Rex, Princeps Finlandiæ &c. Serenissimo & Potentissimo Principi Domino Leopoldo, Romanorum Imperatori, Semper Augusto &c.

*Serenissime & Potentissime Imperator, Domine Frater, Consanguinee & Amice Charissime.*

Fama primum, deinde justa notificatione Nobis expositum est de armata invasione Domini Electoris Moguntini in ditiones, Terras & Jura Domini Electoris Palatini. In causas rei inquirere nihil hac vice attinet, cum illæ ab utraque controvertentium parte Majestati Vestræ haud dubie ante hac insinuatæ sint; Illud tamen reticere non possumus, videri hoc factum modo & via longe diversa, quam instrumento pacis Westphalicæ præscribitur, perpetratum esse. Provocavit hac-

tenus Dominus Elector Palatinus ad Majestatem Vestram, ad Imperii Constitutiones & legitimas instantias, dicitque non alio se uti nunc Privilegio, quo Dominus Elector Moguntinus tanquam Episcopus Wormatiensis offenditur, quam quod Antecessores ipsius, imo & Electoratus sub priori bello Detentores exercuerunt, nempe illo, quod virtute Pacificationis Westphalicæ Domui suæ restitutum sit, ac postea Divus Parens Majestatis Vestræ gloriosissimæ memoriæ, more antea consueto per investituram ei contulit. Deinde in Civitate Ladenburg, sesquimilliari ab Heidelberga distante, a longa temporum serie & communionem possessionis, & præcipuum præsidii armorumque jus se habuisse profitetur, nec aliud superesse, cur violentis injuriis adeoque & militum transitu, ac postremo etiam aperto bello gravetur. Utut vero illa comparata sint, saltem constat legibus pacis publicæ interdici, ut advocatis copiis de controversia armis mox decernatur, via juris & amicabilis compositionis patente. Augeturque rei gravitas, quod ab Archicancellario Imperii ea committantur, quem legum publicarum, & recti custodem esse convenit. Proinde cum talia exempla haud dubie compluribus quasi pacis virtute incertis de juribus per instrumentum pacis acquisitis suspicionem aliquam injicere possint, e re tranquillitatis publicæ foret, ut in tempore occurratur, ne latius serpendo, arma aliorum quoque excitent, & sic majus quieti communi periculum acceleretur. Putavimus ergo ad Nos tanquam unius partis custodem & vindicem pacificationis West-

Westphalicæ pertinere, ut a Majestate Vestra hac vice peramanter requireremus, quo sicut hactenus per suos Commissarios rei necessitati obviam ire cœpit, porro contendat, ac Dominum Electorem & Archiepiscopum Moguntinum eo adducat, non modo ut armis, restituta re, plane in priorem statum, damnumque per turbatam tranquillitatem publicam datum compenset, sed etiam quæ Domino Electori Palatino, per superiora bella satis attrito, beneficio instrumenti pacis competunt, imposterum intacta relinquat. Sicuti æquitati Majestatem Vestram hoc daturam speramus, ita si commendatione Nostra Domino Electori Palatino, sanguinis necessitudine Nobis devincto, ad exemplum Divi Parentis sui, justum circa institutos Spiræ ulteriores tractatus favorem quoque commodare insuper non habeat, illud ita interpretaturi sumus, ac si Nobismet ipsis præstitum videretur; Qui Majestatem Vestram Divinæ commendamus protectioni, felicia semper Imperii incrementa eidem optantes. Dedimus in Arce Nostra Holmensi, d. 24. Octobris, Anno 1665.

*Nomine altissime memoratæ Sacræ Regiæ Majestatis*

HEDWIG ELEONORA

Petrus Brahe, Comes in Wisingsburg, R. S. Drozetus.

Claudius Tott, loco R. S. Mareschallli.

Gustavus Otto Steinbock, R. S. Architalassus.

Magnus Gabriel de la Gardie, R. S. Cancellarius.

Gustavus Bonde, R. S. Thesaurarius.

Eduard. Ehrenstein.

## CCCCXXXV.

*Litera* OMNIUM PALATINATUUM IN POLONIA NOMINE, *ad* JOANNEM CASIMIRUM, *Poloniæ Regem, quibus campestrium comitiorum institutionem medendis Patriæ malis proficuam, supplices postulant*, 1665.

P. P.

NOn est quæpiam adeo subtilis inventio, quæ posset debitam Nostram erga Sacram Regiam Majestatem Vestram mutare observantiam, quam toties reipsa non tantum per Nuntios Nostros sumus contestati: Unde & præsentia Domini Mareschalli Regni in Castris Nostris ne vel minima quidem in parte Nostram mutavit constantiam. Etsi enim oblatam ab exercitu legum libertatumque avitarum gratissime suscepimus tuitionem, Jurium nihilominus Majestatis & sacrosanctæ personæ Vestræ Sacræ Regiæ Majestatis autoritatem securitatemque optime munitam cautamque volumus. Secura igitur Vestra Sacra Regia Majestas sit, quod non quidquam aliud ferimus ad Majestatem Vestram Regiam, quam humilem supplicationem, ut per Comitia campestria mederi eis omnibus clementissime velit, quæcumq; per injuriam Ministrorum

rum Veſtræ Sacræ Regiæ Majeſtatis ex orbita legum ſunt elapſa. Tantoties agnita Veſtræ Sacræ Regiæ Majeſtatis benevolentia paterna firmam Nobis facit fiduciam, quod his ſupplicibus votis, poſtulatisque Noſtris clementiſſime annuere dignabitur; Proni interim & ſupplices manum Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ deoſculamur. Datum in Caſtris apud Gembice, die 27. Octobris, 1665.

## CCCCXXXVI.

*Litera GEORGII LUBOMIERSKII, Magni Mareſcalli Regni Poloniæ, ad EPISCOPUM CRACOVIENSEM, cui concluſam inter Regem Joh. Caſimirum & ſemetipſum pacem eſſe, amice nuntiat, 1665.*

EN tandem quod Excellentia Veſtra tam anhelantibus optavit votis, quodque tam laborioſè egit, reddita eſt Patriæ ad præſens tranquillitas. Qualem ego ad hoc opus adhibui contulique conatum, palpabile eſt per ſe unicuique, qui trutinabit me propria omnia commoda in hoc tractatu poſthabuiſſe, ut tantum publica pro poſſe meo ſalvari poſſint. Potior mihi erat Majeſtatis veneratio, quam reſtitutio injurioſe mihi ademptorum honorum & ablatarum fortunarum, integritatemque Reipublicæ meæ prætuli propriæ, & ne viderem torrentem ſanguinis Civium, proprias malui perferre adhuc ad tempus infelicitates, meque mole amaritudinum adhuc premi, quam patriam pelago lacrymarum pauperum ac cruore interno obrui elegi. Non moverunt me tot promiſſa

tan-

tantoties mihi & exercitui non servata, non movit violata Strzelnensis Tractatus manu Excellentiæ Vestræ subscripti fides; non movent denique tam privatæ in vitam meam, quam publicæ pacis ad præsens pactæ in atrox bellum futuro Vere renascituræ comminationes. Fui & sum autor pacis, permittendo Excellentiæ Vestræ & omnibus Patriæ zelantibus bonis Civibus spatium, ut agatis & firma pace muniatis Rempublicam. Quod dum & opto ex animo, & Excellentiam Vestram, ut ad idem cooperetur, flagrantissime rogo; uberius plura Domino Bieyscowskio, quem mitto, Excellentiæ Vestræ proponenda commisi. Dat. ex loco, ubi conclusa pax est, die 10. Novembris, Anno 1665.

## CCCCXXXVII.

*Litera JOHANNIS GEORGII II. Saxonium Electoris, ad MARIAM ANNAM, PHILIPPI IV. Hispaniarum Regis nuper defuncti Viduam, quibus ipsam ob mæstissimum dilectissimi Conjugis obitum consolatur, ac Infanti Regio, Carolo II. faustissima gloriosi Regiminis auspicia ex animo gratulatur, 1665.*

**P. P.**

Regiæ Serenitatis Vestræ literas, tam Serenissimi Regis Caroli II. Hispaniarum Hæredis, Filii ac pupilli sui dilectissimi, quam Regiæ Serenitatis Vestræ nomine Mantuæ Capetanorum die tertio mensis Octobris præteriti ad Nos exaratas recte accepimus, mœroris indices sane quam lugubres, quem

quem ex obitu Sereniſſimi ac Potentiſſimi quondam Hiſpaniarum atque Indiarum Regis, Conjugis ſui deſideratisſimi pie nuper defuncti Regia Veſtra Serenitas merito capit intimum acerbisſimumque. Quanquam autem funeſtus hic caſus ad publicam potius calamitatem, quam ad privatam jacturam pertinere omnino cenſendus ſit, quippe eo Principe ac Rege humanis exempto, de cujus incomparabili virtute, ſapientia atque heroica animi magnitudine tanto faſtigio digniſſima (quibus Ille de re Chriſtiana univerſa præclariſſime pace belloque mereri toto vitæ Regnique exacti tempore nunquam deſtitit) nulla neque præſens neque poſtera conticeſcet ætas. Facere tamen non poſſumus pro arctisſima inclytam inter Hiſpaniæ coronam atque Electoralem Saxonicam Domum inde usque a Majoribus quaſi per manus tradita neceſſitudine, proque eximio quo Regiam Illius Serenitatem proſecuti perpetuo ſumus, honoris, amicitiæ & obſervantiæ cultu, quin partem hujuſce luctus non poſtremam peculiari quodam jure Nobismet vindicatum præ aliis eamus. Interim gratiæ immortali Deo debentur ſummæ, quod, cum Ei viſum fuerit, laudatiſſimæ memoriæ Regem e terris ad beatorum ſedes evocare, ejus loco filium Succeſſorem Regiæ Serenitati Veſtræ ſuperſtitem dederit, non modo Regnorum ac ditionum, ſed multo etiam magis paternarum Virtutum hæredem futurum procul dubio (ita vovere atque augurari liceat) longe glorioſisſimum. Quo quidem nomine non minori utique jure, ac de ſuſcepta ex ultimæ Regiæ Voluntatis tabulis, atque publi-

publico omnium applausu feliciter inita Regis impuberis tutela, Regnorumque simul cunctorum gubernatione exoptatissima, sicut Regiæ Vestræ Serenitati Nos peramanter gratulari officio Nostro par esse consentaneumque ducimus; Ita utriusque porro Regium statum, incolumitatem, amplitudinem atque decus divino ejus tutamini etiam atque etiam serio commendamus, toto pectore cœleste Numen precati; Regiæque Serenitati Vestræ Regique Infanti vividum vegetumque integerrimæ valetudinis vigorem, tranquilla atque inoffensa vitæ longævæ spatia, Gubernationis auspicatissimæ pacatam semper & inturbidam serenitatem, tum quæcunque præterea voto expeti fas est, Regiæ felicitatis incrementa prosperrima mutationis cujusvis ac vicissitudinis prorsus nescia clementer diutissimeque concedere ac largiri dignetur. Quod superest Regiæ Vestræ Serenitati, nec non perinclytæ ejusdem Domui quicquid a Nobis studii, honoris atque amicitiæ præstari ullo modo potest, sincero atque germano affectu perofficiose atque prolixe addicimus ac pollicemur. Dabantur Lipsiæ, die 6. Decembris, Anno 1665.

## CCCCXXXIIX

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad ROBERTUM DE GRAVEL, Gallicum in Germania Legatum, de pactorum Galliam seque inter initorum ratificationumque permutatione agentes, 1666.*

**P. P.**

P. P.

EX literis Excellentiæ Vestræ die $\frac{4}{14}$ Decembris præteriti anni datis percepimus, Christianissimam suam Majestatem transmisisse nunc ratificationem eorum articulorum, qui in exacto proxime anno Zuiccaviæ nomine Ejusdem Majestatis & Nostro conclusi fuerunt, & præterea nihil reliquum esse, quam ut de commutatione exemplorum originalium utrinque conveniret. Quemadmodum igitur hujus rei intimatio Nobis accidit gratissima, ita non vulgari gaudio Nobis est, quod altissime memoratæ Majestati libuerit, iterum hac occasione benevolentiam Suam erga Nos testatum facere, semperque erit Nobis curæ, ut omnia ea ex parte Nostra sedulo imposterum observentur & præstentur, quæ ad conservationem arctioris jam inter Nos initæ conjunctionis & unionis ullo modo conferre queant. Quod attinet mutuam prædictorum articulorum traditionem per præsentem Latorem exhibere voluimus ratificationem Nostram secundum ea, quæ ipsi in mandatis dedimus, arbitrio & dexteritati Excellentiæ Vestræ simul committentes, quid de cætero disponere velit. Hisce propensum ac benevolum animum Nostrum Excellentiæ Vestræ certo pollicemur & divinæ protectioni illam commendamus. Dabantur in Electorali Nostra Dresda die $\frac{9}{19}$ Januarii 1666.

## CCCCXXXIX.

*Litera CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis ad CAROLUM LUDOVICUM, Electorem Palatinum, cui fausta novi anni auspicia gratulatus, Prote-*

*Protestantibus e fœdere se inter & Præsulatus Monasteriensis Antistitem inito nihil periculi metuendum esse asseverat, 1666.*

Carolus DEI Gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex &c. Serenissimo Principi Domino Ludovico, Comiti Palatino ad Rhenum, S. R. Imp. Archi Thes. & Electori &c. Cognato & Consanguineo nostro charissimo, salutem.

*Serenissime Princeps, Cognate, & Consanguinee charissime.*

Literæ Celsitudinis Vestræ 25. die Decemb. scriptæ, ut felicem anni nuper elapsi exitum obsignarunt; ita gratissimum ineuntis anni præsagium nobis attulerunt. Nec enim aliud quicquam, excepta solum propitii Numinis benedictione, novimus, quo Principum tempora conservantur, quam piis amicorum votis & sinceris gratulationibus. Nos igitur, eosdem effectus erga Celsitudinem Vestram libentissime proferimus, referimusque. Et quamvis mallemus, ut crederetur, hasce bonæ voluntatis significationes, a nobis, sponte profluxisse; quam reciprocæ amoris vestri imitationi tribuendas esse: Tamen prioris officii laude Celsitud. Vestræ relicta, gratitudinem saltem nostram esse merito contendemus. Verum, ut aliquid etiam in proprio expromamus, & novi anni augurium peculiari quadam amicitiæ tessera illustremus; Celsitud. Vestram in partem consiliorum nostrorum vocabimus, & fatebimur: Episcopum Mo-

Monasteriensem, nobis scientibus annuentibusque arma sumpsisse: ejusmodi tamen fundamentis hæc Confœderatio Nostra subnixa est, ut verbo regio affirmare, ideoque in nos suscipere audeamus: dictum Principem nihil ad minimum, in religionis Protestantium, ejusve Professorum noxam molitum vel moliturum esse. Quod, ut omni suspicione amota certissime credat Celsitudo Vestra, atque hanc sponsionem nostram, vicinis Principibus Evangelicis, amicisque communibus nostris, impartiri velit, amice rogamus: Celsitudini autem Vestræ & annum recentem prosperum labi & longam insequentium seriem cum felicitatis incremento superaddi, indesinenter optabimus. Datum in nostra Civitate Oxoniensi die 15. Januar. 1666.

Celsitudinis Vestræ

*Bonus Cognatus*

Carolus Rex.

## CCCCXL.

*Litera CAROLI LUDOVICI, Electoris Palatini, ad CAROLUM XI. Sueciæ Regem, quibus ipsi controversiam de Wildfangiatus juribus inter se vicinosque Principes motam e lege Transactionis Oppenheimensis in compromissum devolutam esse nuntiat, ac ut arbitri in eo munus nomine suo suscipere haud gravetur, amice injungit, 1666.*

Serenissime &c.

NOn dubitamus, quin Regiæ Vestræ Majestati ex relationibus ei factis constet, quid inter Mo-

guntinum ut Episcopum Herbipolensem & Wormatiensem, Trevirensem ac Coloniensem Electores, nec non Spirensem & Argentinensem Episcopos, Ducem Lotharingiæ, ut & interessatos Rhingravios Comites aliquos e Rhenana, Suevica, Franconica eique conjuncta Nobilitate ab una, & nos ab altera parte super Wildfangiatu & aliis Domui Nostræ Palatinæ ab antiquo competentibus, & continua Majorum serie ad Nos transmissis juribus, subortum sit controversiæ, & quomodo dicti confœderati Nos illorum jurium possessione & exercitio exuere sint aggressi; Quæ frustra prius in urbe Spirensi tentata, Majestatis Cæsareæ interventu Electorisque Brandenburgici cooperatione, amicæ compositionis via, in apertum cum exarsisset bellum, transactioni tandem Oppenheimii 21. 31. Octobr. initæ ansam præbuit, qua cautum, ut cæpta Spiræ tractatio amicabilis ad dirimendam super dicto Wildfangiatu non solum & vectigalibus, jure conducendi & ad ea pertinentibus enatam litem, redintegraretur, quæ si intra duos menses successu caruerit, res per Compromissum intra quatuor mensium spatium terminandum decideretur, utrique litiganti-um parti libera duos nominandi arbitros, nec non conveniendi de arbitratore vulgo Obman dicto, facta potestate. Cum igitur amicabili compositioni, quam Nos vel maxime in votis habuisse non uno ostendimus argumento, præfixum bimestre, ob partis adversæ postulatorum non minus, quam a se oblatorum iniquitatem omnino evaserit infructuosum, nihilque supersit, quam ut dictæ transactionis Oppenheimensis lege res ad Compromissum

ſſum devolvatur; Noſque perſuaſi Regiam Veſtram Majeſtatem, ut almæ juſtitiæ amantisſimam, ita cum primis pacificationis Weſtphalicæ unum ex primariis Cuſtodibus, ac acerrimum vindicem eſſe, eo firmiorem in ejus bonitate atque æquanimitate collocemus ſpem ac fiduciam; Idcirco in tanti momenti controverſia, ubi de antiquiſſimis Electorali Noſtræ Domui competentibus, ab omni tempore exercitis, Pacificationisque Weſtphalicæ lege, adeoque Regiæ Majeſtatis Veſtræ, utpote partis compaciſcentis opera Nobis reſtitutis juribus, Privilegiis ac Regalibus, ac proinde non exigua, reſiduarum Nobis ditionum, hominum, redituum, poſſesſionum & pertinentiarum parte agitur, Regiam Veſtram Majeſtatem una cum Rege Chriſtianisſimo ad hoc arbitrium eligere conſultum duximus. Illudque adverſæ Noſtræ parti per ſuos Deputatos ſignificari fecimus, Regiam Majeſtatem Veſtram decenter ac enixe rogantes, ut in Noſtri gratiam hujus arbitrii onus ſuſcipere non dedignetur, eoque fine ſuos ſubdelegatos, qui juris periti, rerumque Imperii Romani Statuumque ejus jurium privilegiorumque probe gnari, nec vel ob conditionis aut ſacrorum communionem, nec cognationis beneficiorumque vinculo cuiquam obſtricti, ſed ab omni partium ſtudio alieni ſint, quique ſingulare, ſicut moris eſt, juramentum deſuper præſtent, quod ſecundum acta & probata, citra ullius gratiam aut odium, ex juris præſcripto, materias in receſſu Oppenheimenſi art. 1. expresſas ventilare ac Principalibus ſuis cum voto referre velint, neceſſariis munitos mandatis, quamprimum
 fieri

fieri poteſt, Spiram, aut ubi inter Dominos arbitros convenerit, amandare, eorumque opera curare, ut ſecundum tenorem præfati Receſſus Oppenheimenſis prævia Arbitrorum Arbitratorisque vulgo Obman, nominatione ac electione, intra præſtitum quadrimeſtre controverſiæ in dicto receſſu art. I. expreſſæ, decidantur, ſententia lata a Cæſarea Majeſtate confirmetur, eaque non minus ac Domini Arbitri Arbitratorque vulgo Obman, ad tuitionem eorum, quæ geſta erunt, præſtandamque Guarantiam debite requirantur, & omnia ab utraque parte ſine ulla exceptione aut appellatione religioſe ſerventur. Hoc novo Regiæ ſuæ benevolentiæ documento Regia Majeſtas Veſtra Nos Noſtramque Domum Electoralem perpetuæ gratitudinis vinculo ſibi obligabit; Quam cæteroquin præſidio Dei Opt. Max. etiam atque etiam commendamus. Dabantur Heidelbergæ die 19. Jan. Anno 1666.

Carolus Ludovicus &c.

## CCCCXLI.

*Litera LEOPOLDI, Roman. Imperatoris, ad HELENAM, Georgii Ragoczii II. Principis Tranſylvaniæ viduam, de negotio Patachienſi agentes, 1666.*

Leopoldus

*Illuſtrisſima Principiſſa, Amica nobis honoranda.*

ACceptis Sinceritatis Veſtræ literis d. 29. menſis Novembris anni proxime præteriti ad nos datis,

datis, ea quæ nobis in iis circa negotium illud Patachienſe denuo perſcribenda habuit, benigne intelleximus. Cum itaque idem negotium (quemadmodum ex demiſſa etiam adverſæ partis informatione & ipſius quoque Comitis Palatini deſuper facta expoſitione manifeſtum evaderet) nec dum finem ſuum ſortiri potuerit, ad evitandas ulteriores, quæ inde oriri poſſent, difficultates, omnino expediens fore judicavimus, quo tam eadem pars adverſa proventus illos, quos in ſpecie ac etiam per tranſumptum vere Parochiales agnoſceret, a perſonalibus, ſeparando Majeſtati Noſtræ liquidatos & conſignatos una cum Documentis aliiſque inſtrumentis ſuperinde habitis transmittat, quam Sinceritati Veſtræ in quantum ejusmodi Parochiales perſonalibus etiam mixtos eſſe adverteret, liquidando & ſequeſtrando, oblata cum reſtitutione, denominet. Quo circa Sinceritatem Veſtram etiamnum benigne requirendam & ſimul hortandam eſſe duximus, clementer cupientes, ut ſeſe benigne huic reſolutioni & ordinationi noſtræ haud gravatim accommodare velit, quo & Nos demum productis & liquidatis coram a vobis præmiſſis, id, quod communi juſtitiæ & æquitati conſentaneum eſſe videbitur, facere ac determinare valeamus. De reliquo autem Sinceritatem Veſtram bona frui valetudine exoptamus. Viennæ die 14. Menſis Februarii 1666.

## CCCCXLII.

*Literæ LEOPOLDI, Romanorum Imperatoris ad ORDINES TRANSYLVANIAE, negotium Pachimenſe attinentes, 1666.*

Dd 3 Leo-

Leopoldus

*Egregii fideles nobis dilecti,*

ACceptis literis vestris per fidelem nostrum Egregium, Andream Radics, Majestati Nostræ transmissis ea, quæ tam iis, quam etiam alio quodam scripto, nomine Principalium vestrorum, illius Patachiensis negotii ratione confecta, medio ejusdem Radics, nobis exhibita declarataque esse voluistis, clementer intelleximus. Cum itaque idem negotium nec dum finem suum sortiri potuerit, consultum omnino & expediens fore judicavimus, ut ab utrinque necessaria superinde requisita seu harum instrumenta penes illud ipsum negotium nobis, ut exacte revideri liquidarique valeant, transmittantur. Proinde vobis ac per vos prædictis Principalibus id ipsum intimare benigne volumus, quatenus ejusmodi requisita necessaria, liquidationesque insignatum nobis transmittere ne prætermittatis, quo & nos visis & ruminatis iisdem facere possimus, quod communi justitiæ & æquitati consentaneum esse judicaverimus. Gratia nostra Cæsarea & Regia vobis in reliquo propensi manentes. Datum in Civitate Nostra Vienna 18. Februarii Anno 1666.

## CCCCXLIII.

*Litera JOHANNIS GEORGII II. Electoris Saxoniæ, quibus LUDOVICO XIV. Franciæ Regi, dolorem suum de Matris Regiæ ANNAE MARIAE MAURITIÆ tristissimo testatur obitu, 1666.*

P. P.

P. P.

NOn fine animi ægritudine ex perſcriptis ad Nos Regiæ Majeſtatis Veſtræ Literis accepimus, inclytam Dominam & Reginam Matrem Veſtram, poſtquam vehementi morbo, Regio plane conſtantiæ Chriſtianæ ac pietatis exemplo diu eſſet conflictata, Dei nutu rebus humanis exemptam eſſe, atque inde oppido quidem colligere poſſumus, quam gravi dolore, cujus haud exiguam partem jure meritoque Noſtram ſimul fecimus, perculſus exiſtat funeſto illo caſu Regius animus. Haud parum tamen eundem vel ex eo levatum iri confidimus, quod beneplacito divino, in quo Nobis unice acquieſcendum, ſuis veluti terminis circumſcripta ſit Noſtra mortalium vita; quam glorioſe in his terris actam cœlo recepta Regina Mater cum æterna illa Eique minime invidenda beatitudine commutavit. Facti autem præſentis nuntii quantumvis luctuoſi participes, Regium Majeſtatis Veſtræ in Nos affectum, pro eo ac par eſt grate agnoſcimus, Eodemque perpetuo freti Deum veneramur, ut reſarcita lætioribus eventis tanti boni jactura, Regiam Majeſtatem Veſtram ab omni porro calamitate immunem rebus florentisſimis diu feliciterq; ſupereſſe ſinat. Nobis autem frequentiores præbeat occaſiones, quibus Eidem animum Noſtrum addictiſſimum condignis ſtudiorum experimentis comprobare valeamus. Dabantur Dresdæ, die 20. Februarii 1666.

CCCCXLIV.

*Literæ GEORGII LUBOMIRSKII, Magni Regni Poloniæ Mareſcalli exulis, ad ORDI-*

*NEM SENATORIUM Regni Poloniæ, a quo, ut sibi gratiam Regiam reconciliare omni studio annitatur, anxie contendit, 1666.*

## Illustrissimi, Illustres ac Magnifici Domini & Fratres.

TAlis est Reipublicæ Patriæ Nostræ conditio, statusque illius Natura, ut quicquid sive publice sive privatim emergat detrimenti, ad Senatum præcipue, qui intermedius est inter Majestatem & Libertatem Ordo, non numero, sed prærogativa prævalens, spectet. Quocirca ego manuducente lege ad Dominationes Vestras tanquam collegas & fratres recurro exul, omnium malorum summam in uno hoc complexus verbo: ex hac enim Patria, cui juxta vires semper profui, cujus causa omnes fortunas & vitam ipsam libens profudi, in qua tot honores de benignitate Serenissimorum Regum Dominorum meorum merui, tot Majorum meorum decora per Dei gratiam recensui, in qua tam late ad invidiam tabescentium æmulorum possessiones extendi, exul recurro ad Dominationes Vestras, ut supplici gratiamque ad pedes Regiæ Majestatis mendicanti assistere interpositione Vestra dignemini. Exigit hoc officii a Dominationibus Vestris suum cuique tribuens justitia, exigit Patriæ amor & tranquillitatis publicæ studium, denique tam enormis innocentis & sine demerito concivis Dominationum Vestrarum in hac patria spectata calamitas, ipsumque humanitatis ac Christianæ professionis Jus. Non descendo in disquisitionem meritorum vel demeritorum meorum; sufficit quia

quia innocens aperto omnium Palatinatuum scrutinio & jurato exercitus testimonio proclamatus veniam efflagito; Bene meritus (hanc enim gloriam nulla mihi demere potest invidia) gratiam mendico; per totam vitam ad usque provectæ ætatis senium intemerate actam, omnium vel minimarum suspicionum immunis, misericordiam & restitutionem Patriæ supplex deposco. Equidem indulget mihi ipsamet justitia facultatem querendi coram tota Republica, de illato gravamine. Verum illibata mea erga sacram Regiam Majestatem, & nullis fracta adversitatibus veneratio, per preces ac supplicationes clementiam solicitare elegit: concedit mihi Jus naturale inculpatæ moderamen tutelæ, ac præsidium oppressæ innocentiæ; Verum conservationis Reipublicæ tranquillitatisque internæ cura, mavult sibimet quam patriæ incumbere gravis & deponere injurias in sinum matris, satius quam legitima persequi vindicta præoptat. Ad hoc igitur maternum totius Patriæ suffragium, tanquam amantissimus semper ejusdem filius, totum meum dirigo recursum: Statuat veluti benigna parens de me quidquid vult. Non moretur publicam felicitatem privato meo Interesse, si tamen in hac infausta causa censeri aliquid potest meum privatum, & non potius totam Rempublicam afficiens. Utcunque est, civis illius ac filius sum, mala bonaque mea eo magis Rempublicam concernunt, quo magis ne quid illa detrimenti caperet, pro munere semper & amore meo zelose prospexi. Præstolor itaque quemadmodum fraternam super adversitate, qua

innoxius premor, Dominationum Veſtrarum compaſſionem, ita efficacem præterea per interpoſitam autoritatem ſuccurſum. Confidens, quod Dominationes Veſtræ Clementiam Regiæ Majeſtatis propitiare mihi dignabimini, ac eidem Majeſtati ſubditum & famulum Reipublicæ ad continuanda, quoad vita ſuppetet, obſequia civem, vobismet fratrem & ſervum reſtitutum præſtabitis. Ego in omnibus fraternæ, juſtæ & æquitati conſonæ, ſpecialiter vero tali, quæ conſervationem Status Patriæ hujus reſpiciat ac complectatur, meipſum ſubjicio deciſioni, paratus exiſtens reliquum vitæ meæ obſequiis Regiæ Majeſtatis & tranquillandæ patriæ impendere ac devovere. Mea interim demiſſa obſequia fraterno Dominationum Veſtrarum commendo favori. Dat. Vratislaviæ Anno 1666. 28. Menſ. Februarii.

Illuſtriſſimarum, Illuſtrium ac Magnificarum Dominationum Veſtrarum

*Addictiſſimus frater & ſervus*

Georgius Lubomirski, Mareſcallus Regni.

CCCCXLV.

*Litera GEORGII LUBOMIRSKII, Magni Regni Poloniæ Mareſcalli, ad JOANNEM CASIMIRUM, Poloniæ Regem, quibus iteratis precibus ſibi gratiam ipſius conciliare conatur, 1666.*

Sere-

## Serenissime ac Potentissime Rex, Domine clementissime.

ITerato exul a Patria procumbo ad pedes Regiæ Majestatis Vestræ, cum humillima supplicatione, ut solita Serenissimis antecessoribus benignitate, abjecti gratiamque mendicare non desinentis famuli sui, misereri tandem clementissime dignetur, Regem Regum & Dominum Dominantium supplici, verum secura testem appellando conscientia, quod nihil unquam deliquerim in Regiam Majestatem Vestram, non modo opere, sed ne quidem cogitatione; Quod si in aliquo, errore accidente, uti homo lapsus sum, cum omni, qua possum humillima demissione precor supplex veniam, Velit Sacra Regia Majestas meminisse, quod eandem gratiam, quam mihi præstare dignabitur, rependet Majestati Vestræ cœlum, & tunc primum dimittet errata Regiæ Majestati Vestræ, cum Majestas Vestra dimiserit supplicanti, & per omne pœnarum genus castigato famulo ac subdito. Supplicat pro parte mea patria, tanquam parens benevola filio; Exercitus, cui fraternæ meæ innotuere preces (cæterum totius etiam appello fidem, honorem & conscientiam, ut deponat, utrum vel tantillum objectorum reus sim) perhibet juratum coram sacra Regia Majestate Vestra totaque Republica innocentiæ meæ testimonium: Vita mea ad usque canos non inglorie transacta, & ab ipsamet Regia Majestate Vestra tantis honoribus benignissime decorata, probat intaminatam erga Regiam Majestatem Vestram fidem, & continuam, quam a majo-

majoribus meis hausi, Majestatis Vestræ reverentiam debitamque fidelitatem. Cum his omnibus procido ad Thronum Regiæ Majestatis Vestræ, Thronum Justitiæ pariter ac clementiæ, Thronum pacis, concordiæ ac unitatis (in una namque Regalis Majestatis Vestræ persona, omnium Civium capita, felicitas, tranquillitas, securitas continetur) dignetur Majestas Vestra impertiri mendicanti gratiam. Quod si fracta tot ærumnis ætas permiserit, exsolvam ad novissimam usque residui sanguinis guttam, omnimoda gratitudine debitam obligationem meam Regiæ Majestati Vestræ, aut saltem pro Imperio Majestatis Vestræ preces ad Omnipotentem fundere non desistam, ut diu fortunato perennet, & denique ut sacra Regia Majestas Vestra impressum cordibus subditorum suorum relinquat, illud fortunæ casibus impervium, magnificentissimum maximeque immortale post sera fata monumentum, non fucatum nempe sui desiderium & gloriam, deosculor interim humillime non jam iratam dexteram, sed ipsa Regiæ Majestatis Vestræ vestigia. Dat. Vratislaviæ 1666.

Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ

*Fidelis subditus & servus*

**Georgius Lubomirski.**

CCCCXLVI.

*Litera JOHANNIS GEORGII II. Electoris Saxoniæ, ad CAROLUM EMANUELEM II. Sabaudiæ Ducem, cui de concepta e graviditate dulcissimæ Conjugis augendæ inclytæ Domus suæ spe ex animo gratulatur, 1666.*

Sere-

Serenissime Princeps, Domine Agnate charissime.

POstulabat communis necessitudinis ratio, ut factis semestri ab hinc elapso pro inito Regiæ Vestræ Celsitudinis cum Principe Nemorosia matrimonio votis benevolum testatum iverimus animum, & merito quidem etiamnum præcipuum communis gaudii fructum ex intellecta Serenissimæ Conjugis Vestræ graviditate consequi Nobis videmur. Singulares autem pro tam jucundæ rei non minus atque conjunctissimi animi significatione gratias agimus, vovemusque, ut læta per Dei gratiam subnascente sobole uberior subinde Regiæ Vestræ Celsitudini affulgeat augendæ inclytæ Domus spes; Nobis autem materies Eidem inde congratulandi probandique affectum Nostrum sæpius nascatur. Cui ab omnipotente Deo prosperos quoscunque rerum successus & Domus incrementa etiam atque etiam precamur. Dabantur Dresdæ die 12. Aprilis 1666.

Regiæ Vestræ Celsitudinis

*deditissimus Agnatus*

**Johannes Georgius II.**

Elector Saxoniæ &c.

## CCCCLVII.

*Literæ CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad LEOPOLDUM, Romanorum Imperatorem, a quo, ne veteratoriis Hamburgensium artibus nimium, sed sibi Germanorum negotiationem curæ cordique esse tuto credat, amice efflagitat, 1666.*

Caro-

Carolus, Dei gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei defenſor, &c.

*Sereniſſime atque Invictiſſime Princeps, Frater, Conſanguinee & Amice chariſſime.*

TAm ingenio noſtro ad jura Societatis humanæ conſervanda promptiſſimo, quam literis Cæſareæ Veſtræ Majeſtatis in gratiam communitatis Hanſeaticæ ad Nos aliquando ſcriptis ita affecti ſumus, ut potentiam navalem, Nobis a Deo Optimo Maximo conceſſam negotiantibus tutelæ atque incolumitati potius quam noxæ aut diſpendio eſſe poſſe cupiamus: Idque enim hodierno inter Nos Fœderatasque Belgii Provincias flagrante bello, quantum fieri potuit, & optavimus ſerio & ſedulo curavimus: quo magis miramur Hamburgenſes præ aliis importune querulos eſſe, (uti per literas Cæſareæ Veſtræ Majeſtatis 10. die Aprilis noviſſime elapſi datas perſpicimus) quaſi Albim fluvium infeſta claſſe ingreſſi eorumq; naves per mare tranſeuntes ubique aggreſſi eſſemus, ſed hoc male ſibi conſciis in uſu plerumque eſt, ut alios audacter accuſando criminibus ſuis tegumenta quærant. Verum cum ita injurioſe Nobiſcum egerint, ut iniqua de nobis opinione benevolum Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ animum imbuere velle non erubeſcant: Ipſam ulterius celare nolumus, eoſdem Hamburgenſes contra omne jus faſque neutralitatis doloſa hoſtium noſtrorum Commercia navibus nomi-

nominibusque suis circumvehere, & tacita quadam conspiratione armatas aliquot Batavorum naves in ipso Albis gremio jam diu tolerare, sicut etiam nunc tolerant, cum nostræ subinde ad mercatorum securitatem missæ, vix ostio fluminis salutato statim recedant; tantum abest, ut in alienis aquis moram trahant aut dominentur, quod tamen Hollandis libere & sine querela permissum esse videmus. Sed missis artibus hisce veteratoriis (quæ a Principibus nec cogitari solent, nec memorari debent) quod amicitiæ est inter nos & Cæsaream Vestram Majestatem rite observabimus, cavebimusque, ne ulla ipsius aut Sacri Imperii flumina a navibus nostris Bellicis inquietentur, aut eorum tranquillitas imminuatur, nec quicquam unquam nostris permittemus, quo mutua necessitatis nostræ sanctimonia vel levissime violetur. De cætero Cæsareæ Vestræ Majestati bona ac fausta apprecantes. Datæ in Palatio nostro Westmonasteriensi vicesimo secundo die Maji 1666.

Cæsereæ Vestræ Majestatis

*Amantissimus frater & consanguineus*

Carolus Rex.

CCCCCXLVIII.

*Litera JOH. GEORGII II. Electoris Saxoniæ, ad CAROLUM EMANUELEM II. Sabaudiæ Ducem, de transmissis ipsi peritis rerum metallicarum operariis agentes, 1666.*

P. P.

P. P.

EXhibuit Nobis Regiæ Veſtræ Celſitudinis Literas Capitaneus Carolus de Montandon ad Aulam Noſtram miſſus, qui conquiſitos hic nutu Noſtro rerum metallicarum peritos operarios, quorum ſcientia & ſtudium in explorandis fodinis veſtris deſideretur, ex ſententia Veſtra eo ſecum conduceret. Cum igitur nihil Nobis antiquius ſit, quam ut pro mutuo neceſſitudinis vinculo Regiæ Veſtræ Celſitudini in his atque aliis ad commoda Veſtra pertinentibus rebus omni meliori modo gratificari valeamus, oppido per fodinarum Noſtrarum præfectos ex Noſtratibus operariis unum atque alterum exquirendos curavimus, qui exactam venæ experiundæ & ſeparandorum metallorum habeant experientiam, ſuſceptoque una in ditiones Veſtras itinere deſideria & juſſa Veſtra hac in parte, quoad fieri poteſt, ſedulo exequantur, prout Regia Veſtra Celſitudo ex præfato Capitaneo uberius cognoſcet atque ex fideli transmiſſorum opera, quorum quidem ejusmodi rationem habitum iri confidimus, ut biennii circiter ſpatio & munere eorum probe expleto bona Veſtra pace ad Nos redeant. De Noſtro interim propenſiſſimo animo grata & accepta omnia firmiter ſibi Regia Veſtra Celſitudo polliceatur. Quam diu multumque bene & feliciter agere etiam atque etiam cupimus. Dabantur Dresdæ die 27. Maji Anno 1666.

CCCCXLIX.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Electoris Saxoniæ, ad CAROLUM EMANUELEM II. Sa-*

*II. Sabaudiæ Ducem, cui de recens nato in ſpem Celſisſimæ Domus filio vehementer gratulatur, 1666.*

## Sereniſſime Princeps, Domine Agnate chariſſime.

ACcepto ad proximas Noſtras gratulatorias Regiæ Veſtræ Celſitudinis Reſponſo, nihil Nobis gratius accidere potuiſſet, quam quod de feliciſſimo Sereniſſimæ Conjugis Veſtræ partu, deque edito in ſpem inclytæ Domus filio edocti ſumus: Æſtimata itaque hac divini Numinis benignitate, Regiæ Veſtræ Celſitudini pro ſingulari Noſtra in Eandem animi propenſione de recens nato Principe magnopere gratulamur, Eidemque acceptum a Majoribus Neceſſitudinis Noſtræ cultum ſimul cum ſanguinis decore a teneris inde commendatum iri eo firmius Nobis perſuaſum habemus, quo clariora ſinceri erga Nos affectus indicia Regia Veſtra Celſitudo nunquam non extare voluit. Cui quidem ab omnipotenti Deo longævam incolumitatem animitus precati, devinctum ad quæcunque benevolentiæ ſtudia animum condigne viciſſim probatum dabimus. Dabantur Torgaviæ die 12. Junii 1666.

Regiæ Veſtræ Celſitudinis

*deditisſimus Agnatus*

Johannes Georgius II. Elector
Saxoniæ &c.

## CCCCL.

*Litera CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad GENERALES FOEDERATI BELGII*

*ORDINES, de corpore Gvilielmi Barclaji, in prælio exanimato, ipsorum permissu in Angliam transvehendo agentes, 1666.*

**Carolus, Dei Gratia Magnæ Britanniæ,** Franciæ & Hyberniæ Rex, Fidei Defensor &c. Celsis & Præpotentibus Dominis Ordinibus Generalibus Fœderati Belgii, amicis nostris perdilectis Salutem.

*Celsi & Præpotentes Domini, Amici nostri perdilecti.*

PEr Literas 10. die Julii 1666. scriptas & ad Nos per tubicinem allatas humanitatis Vestræ honestum ac laudabile exemplum perspeximus, in corpus Guilielmi Barcklaji equitis aurati editum, qui pro nobis & patria sua fortiter pugnando occubuit, & mortuus belli sorte in Vestram potestatem incidit. Quod officium a Generositate vestra profectum, ut nobis pergratum esse agnoscimus, ita si par casus obvenerit, nos quoque ex parte nostra æquiparare imo superare contendemus, nulla in re unquam defecturi, ubi honor virtuti reddendus erit, vel benignitas etiam hostibus (quantum ratio belli permiserit) exhibenda. Cum igitur defunctum parentes ac propinqui ejus apud penates suos cum majoribus inhumari cupiant, nos eorum desiderio libenter annuimus, eundemque favorem a Vobis quoque oblatum grate accipimus. Ut autem navigium, quo corpus huc transvehendum curabitis a subditis Nostris illæsum veniat redeatque, literas commeatus sive salvi condu-

ductus fieri fecimus, atque hisce inclusas ad vos transmisimus.

De cætero vobis ex animo profitemur, successum felicem, quem Dei Opt. Max. auspicio reportavimus, ne minima quidem elatione mentem nostram affecisse, ita ut obliviscamur ingentia detrimenta, quæ religioni Protestantium per hoc bellum ingruunt, aut quantum ejusdem religionis hostes sibi profuturum pollicentur, atque ejusmodi vulneribus leniendis sanandisque manum parati sumus adhibere, quamprimum Nos ad tam pium opus amplexandum justæ atque honorificæ conditiones invitaverint. Datum in Palatio nostro de Witthal 4. Aug. 1666.

*Vester bonus Amicus*

CAROLUS REX.

Guilielmus Moncke.

*Tit.*

Celsis & præpotentibus Dominis Ordinibus Generalibus Fœderati Belgii, Amicis nostris perdilectis.

## CCCCLI.

*Literæ CAROLI XI. Svecorum Regis, ad LEOPOLDUM, Romanorum Imperatorem, quibus ipsi illegitimos Bremensis Civitatis conatus Linciano sub- & obreptitie emendicato solum niti Privilegio exponit, eumque, ut integram controversiarum seriem per principales pacis Westphalicæ partes contrahentes ad dicta pacis contenta, velut indubitatam & legitimam normam, examinari & decidi curet, amice requirit, 1666.*

Serenisſime ac Potentisſime Imperator, Domine Frater, conſanguinee & Amice Charisſime.

REcte ad Nos perlatæ ſunt binæ Majeſtatis Veſtræ, de die 30. Septembr. Anni jam currentis eodem exemplo expeditæ literæ; quibus illico reſpondere conſtituimus, niſi (quæ Noſtra ſemper fuit, & adhuc eſt intentio) conſilia quieta turbulentis in Civitate Bremenſi prælatum iri ſpes jam tum affulſiſſet; propoſito ergo & ſpe tali Nobis nuper, per Habenhuſenſem conventionem potitis, ſuadere videntur, controverſiarum, quoad Civitatem Bremenſem jam diu enatarum tum diverſa natura, tunc conſequentia, bis jam tum tantum non in apertum bellum erupturæ, ut Majeſtati Veſtræ earum ſeriem, quatenus nempe alia, ex alia jam inde a tractatu Weſtphalico emerſerunt, ſimul quæ Noſtra, circa litium earum compoſitionem, mens ſit, ſuccincte exponamus. Cum in Tractatu Weſtphalico in Sveciæ ſecuritatem & ſatisfactionem poſtulatus integer Archi-Epiſcopatus Bremenſis cum omnibus & ſingulis, ad eum pertinentibus, Eccleſiaſticis & Secularibus bonis & juribus, prout eum ultimi Archi-Epiſcopi poſſederunt, Imperiales Legati, integrum quidem illum Archi-Epiſcopatum Sveciæ obtulerunt, ſed ea tamen lege, ut Civitas Bremenſis inde exemta, urbibus Imperio immediate ſubditis adſcriberetur. Regii Svecici Legati ad convellenda hujus exemtionis fundamenta monſtrarunt, dictam Civitatem jam inde a primordio ſuo, in illud usque tem-

tempus fuiſſe corpori Archi-Epiſcopatus ſeu Provincialem & municipalem accenſitam, eam quidem ſæpiuscule affectaſſe liberæ urbis ſtatum, ſed in urbium Imperio immediate ſubditarum Collegium non niſi bis, & quidem Ratisbonenſibus Comitiis, rerum nempe per Imperium potientibus immortalis memoriæ Imperatoribus primum Carolo V. Ao. 1541. deinde Ferdinando tertio Anno 1640. per illicitas artes irrepſiſſe, verum utraque vice, non niſi triennii ſpatio, vanitate ſua fuiſſe gaviſam, caſſatis iterum ambobus momentaneis indultis, priori ab ipſo Imperatore Carolo V. Spiræ in Comitiis die decima Martii, Anno 1544. poſteriori autem, poſtquam Civitas Archi-Epiſcopo, ceu territorii Domino, interjecti integri ſeculi intervallo debite paruiſſet ab Imperatore Ferdinando III. glorioſiſſimæ recordationis Viennæ die 15. Decembr. anno 1643. Sereniſſimum Daniæ Regem modernum tum Archi-Epiſcopum (utpote cui poſterius Decretum Caſſatorium, die 15. Decembris, Anno 1643. ab Imperatore miſſum, & a Bremenſi Deputato Cock Legationi Suecicæ, ſub Weſtphalici Tractatus initium, communicatum fuit) usque in finem tractatus ſeſe gesſiſſe, pro dictæ Civitatis Domino Territoriali, Miniſtros Archi-Epiſcopi, cumprimis Cancellarium & Legatum ejus, Theodorum Reinckinck, in loco tractatus nomine Principis ſui non modo proteſtatos eſſe, contra Bremenſium obreptionem in Collegium Imperalium urbium, ſed hunc ſimul etiam publice atteſtatum, nihil a tempore poſterioris Cæſarei Caſſatorii vel inter partes ratione Civitatis Bremenſis coram aliquo Imperii quoad

hunc casum competente judicio fuisse actum, vel inscio Domino suo legitime agi potuisse. Manentibus itaque Suecicis Plenipotentiariis in sua sententia, de non admittendo pro Bremensibus, Immediatæ & liberæ Urbis charactere per integrum annum, scilicet a die 28. April. Anno 1646. ad finem mensis ejusdem Anno 1647. plane immoto, tandem utraque pars in hoc consensit, ut nempe Civitati Bremensi relinqueretur præsens suus status, utpote qui tum fuit & esse debuit, non quem ipsa Civitas, sive ex supra allegatis duobus momentaneis & mox annullatis sessionis actibus, sive ex tertia illa maxime subreptitia & inter Imperii Urbes, in Extraordinario Westphalico conventu, emendicata sessione sibi diffingebat, sed quem lux veritatis, historia, Constitutiones Imperii, Cæsarea Capitulatio, Electorum suffragia, Principum Imperii jura & Privilegia, Cæsarea Cassatoria, Archi-Episcopi & Domini Territorialis in finem usque tractatus notoria possessio, indultaque contra Imperii & Principum Jura sessioni opposita protestatio, Legationis Suedicæ ob oculos posita rationum evidentia, & constans contradictio, ut & Magistratus Bremensis propria conscientia, civitati in omnium compaciscentium conspectu assignarunt: scilicet tanto & tam invicto rationum robore suffulta Suecia supradictam conditionem ratione Civitatis Status Bremensis, in ipso tractatu admisit. Verum graviter tam Antecessores Nostros Reges Sueciæ, quam Nos etiam ipsos, huc usque afficit, quod cum palam & in communi quasi totius Europæ conventu ad supra indigitatum modum,

dum, de Civitatis Bremensis statu ageretur, eodem tempore Lincii in Austria die 1. Jun. 1646. loco ab Ordinum Imperii Conventu in Westphalia longe remoto, clam Suecia ceu altera parte paciscente (quippe coram cujus legatione, in tractatu nulla aperta mentio, nedum communicatio Decreti Linciani facta est) insciisque & inconsultis, præcipuis Interessatis, urbs in præjudicium Tractatus Westphalici impetraverit ab Imperatore Immediatæ Urbis Diploma, Serenissima Sueciæ Regina Christina producto longe post conclusam pacem, examinatoque dicto Diplomate curavit tam in Imperii Comitiis Ratisbonæ tunc habitis quam alibi passim per Imperium monstrari, prætensum civitatis immediatum statum neutro duorum actuum, sive Pacificationis Westphalicæ, sive Lincianæ sententiæ, ceu fundamento niti posse, non priori propterea, quod & Cæsareani Legati, Civitatem a Corpore Ducatus divellere, & liberum statum asserere conantes, ad Sueciæ Legationis fundatam oppositionem, coram universo Westphalico Conventu a prætensione sua abstinuerint & Bremenses videntes primam Imperialium Legatorum formulam de die 28. Apr. Anno 1646. pro obtinenda immedietate plane rejectam & consequenter desperantes, se per apertum & rectum tractatus cursum posse finem suum assequi, subdolis inque fraudem publici tractatus excogitatis artibus, ambitioni suæ velificari tentaverint. Quod enim posteriorem Lincianum actum attinet, inventum quidem, a parum consideratis Ministris posse videri, Bremensium largæ vanitati fovendæ, non item fi-

dei datæ, & paci perpetuum conservandæ, quid enim aliud designat Diploma illud meris refertum nullitatibus juris & facti? producitur in eo ultimus Archi-Episcopus modernus Rex Daniæ quasi reus & in contumaciam condemnatus, quum tamen nec Judicium illud, in hac causa cognoscenda competens, unquam agnoverit, nec tunc equidem illuc citatus; multo minus intentatæ actionis conscius, aut in ea auditus & defensus fuerit? His partim ex ipsius Serenissimi Regis Daniæ propriis literis ad Reginam Christinam exaratis, partim ex rei gestæ notorietate depromptis justis remonstrationibus nihil aliud tunc efficiebatur, quam quod Civitas Bremensis, urbibus Imperio immediate subditis, jam per Lincianum Diploma annumerata, tanto citius ad sessionem & votum in publicis Comitiis Anno 1653. admissa sit; dum hoc quantumvis grave & toleratu perquam difficile solius pacis tranquillitatisque publicæ amore & protestationibus nixa Suecia, hucusque perfert, alia adhuc longe graviora, ab illa ipsa Civitate Regibus Sueciæ, ratione Ducatus Bremensis impenderunt incommoda, scilicet sæpius nominati Bremenses, Imperiali illo favore novoque titulo audentiores facti non sufficere sibi existimabant, abnuisse Territorialem Ducis superioritatem & homagium illi præstari solitum, sed etiam in loca & Jura Ducatus, ad se non pertinentia, involare sustinuerunt: Cum Gubernator Noster in defensionem Ducatus se parasset, ultro armis & contributionum onere Ducatum lacessunt, & simul per imperium, qua voce, qua scriptis spargunt, injuriam sibi inferri, Civitatem im-

impeti & quid non? Fit paulo poſt Stadæ ejus motus compoſitio anno 1654. cui tantiſper ſtant, dum audendi moliendique aliquid contra Sueciam occaſio ſub Danico bello eorum judicio commoda emergit, deprecantibus eam temeritatem, condonavit parens Noſter glorioſisſimæ memoriæ. Quam primum fortuna iis videbatur mutari, maxime vero circa Parentis Noſtri obitum, iterum ad ingenium ſuum, multo quam antea inſolentiores redeunt? Singula contraventionum capita, quæ contra Inſtrumentum Pacis & Receſſum Stadenſem commisſa ſunt, enumerare vel ideo nunc ſuperſedemus, quod publicato ſcripto, Majeſtati Veſtræ jam diu exhibito, id fecerimus. Cum accepta Majeſtatis Veſtræ inveſtitura ex Jure Nobis competente Bremenſes prævio contraventionum amicabili examine, ad Homagii præſtationem, a Regimine Noſtro invitarentur, nihil non impedimenti objiciebant, quo neutrum effectui daretur, interea ſurgunt in Ducatus Noſtri vicinia diſcordiæ, tam inter quosdam Imperii Cives, quam inter hos & exteros adeo quidem, ut cumprimis harum, jam in bellum erumpentium, cauſa, præcipuæ in Imperio dignationis Principes, Nos de imminente tempeſtate communibus conſiliis & viribus avertenda Amici monuerint; Cujus rei ergo, illic copias Noſtras congregari fecimus, ibi tum Bremenſes tot contraventionum & recuſatæ inſuper amicabilis compoſitionis male ſibi conſcii apud Noſtros urgent Colloquium, & ſopiendarum controverſiarum deſiderium oſtentant, Eos tamen nihil minus quam enatarum litium juſtam & tempeſtivam termina-

tionem intendisse, ostenderunt insequentes eorum tergiversationes & subterfugia malitiosæque artes, quibus Nostra Consilia, tam apud Majestatem Vestram & Imperii Ordines, quam alibi terrarum sinisterrime depingere ausi sunt. Quicquid Nos sive ut Regem Amicum & Vicinum, sive ut Imperii Principem ad conciliandam Nobis, apud Majestatem Vestram fidem, & intimiorem correspondentiam facere decuit, eorum nihil hactenus intermisimus: Id tamen nobis vehementer dolet, quod optimæ Nostræ intentioni & justis, quoad causam Bremensem remonstrationibus, is locus non sit relictus, quam hucusque obtinuerunt Bremensium commenta falsissima. Proxime præterito Anno per Imperium, hic bella cum exteris, alibi civilia suscipi & geri vidimus, urbes pace Westphalica comprehensas, & privilegio muniendi fortificandique fultas, contra dictam pacem in Majestatis Vestræ & totius Imperii conspectu, partim vi armata, partim spontanea conventione occupari, & impositis præsidiis adhuc detineri; si pro talibus in tempore avertendis & justitiæ pacique conservandæ, per Majestatis Vestræ conservatoria, inhibitoria, & avocatoria Mandata, tanti motus animorum fuissent excitati, quanti contra Nos in sæpe dicta Causa Bremensi, esset, cur duriusculum hunc Majestatis Vestræ contra nos usurpatum procedendi modum patientius ferremus. Cum exercituum Nostrorum Campiductor, Generalis, Comes Carolus Gustavus Wrangelius, Bremenses non oppugnatione urbis, sed necessitate aliquali constringeret impulsuros eos ad æquam & maturam compositionem,

perin-

perinde contra Nos exciri debuit fere tota Germania ac si Christiani nominis hostis Turca exercitu suo Imperii fines irrumpere tentaret. Testes sint Electorum, & Principum Ministri, tum hic ad Aulam Nostram præsentes, tum qui componendæ illi liti adhibiti sunt: imo testis sit ipse eventus, Nos non alio fine Civitatem illam compressius aliquando strinxisse, quam ut ad æquas compositionis leges adduceretur. Controversias, quæ Nobis ceu Duci Bremensi cum civitate intercedunt, jam dudum terminassemus, via vel amicabili vel juris; Verum Bremenses huc usque spreta amicabili ratione, Nos contraventionum & indignitatum fastidio, ad juris processum adigere conantur, ut sic, ut in controversia Principali ultimus Archi-Episcopus, ita nos in aliis ex principali magnam partem fluentibus litibus causa cadamus. Vix dum conclusa vel saltem non adhuc ratihabita erat Conventio Habenhusensis, cum eam atroci iterum facinore, si non totus Magistratus aperto aliquo mandato, latenter tamen ab aliquibus concitata & quasi furiis contra Nostros agitata plebs Bremensis fœdavit. Recens hoc & priora similis insolentiæ documenta docent, non licere Bremensibus, sive per imaginarium suum Statum, sive per populi genium, sive per aliorum instigationes, sive per omnia hæc simul concurrentia prius esse quietis, quam sæpe dicta controversia principalis, de Statu Civitatis rite & recte fuerit dicussa & conclusa. Non possumus autem, quin coram Majestate Vestra fateamur, Nos dolenter & quidem gravissime ferre, quod cum post Lincianum Decretum in lucem productum, abunde

de ex parte Sueciæ demonstratum sit, dictam controversiam non inter Nos, ut Ducem Bremensem & Civitatem, sed inter Nos ut Regem & Majestatem Vestram ceu Imperatorem, quippe priorum & Principalium pacifcentium legitimos utrinque successores verti, Majestas tamen Vestra in supra allegatis suis literis, eandem cum aliis controversiis, quæ Nobis ut Duci cum Civitate illa intercedunt, commiscere, & Nos quoad earum decisionem ad leges & vias easdem componendi, quæ in Imperio inter Ordines ejusdem observantur, remittere voluerit. Nos præventuri magnum hoc causæ Nostræ præjudicium, per Ablegatum nostrum Extraordinarium, Matthiam Balbicsky, Majestatem Vestram decenter requisivimus, ut quemadmodum Decretum Lincianum a solo Imperatore ad importunas Bremensium preces profectum, & consequenter insolentiæ Bremensium totque malorum unicus deprehenditur esse fons; Ita Majestas quoque Vestra exemplo prædecessorum suorum Caroli V. & Ferdinandi III. gloriosissimæ recordationis Decreto illo sublato, Civitatem ad debitam Nobis, ceu Duci, obdientiam præstandam, serio alligaret. Quando autem Majestati Vestræ placuit, dictum Nostrum desiderium Imperii Electoribus, Principibus & Statibus nunc Ratisbonæ congregatis, considerandum proponere: eam equidem de Majestatis Vestræ & Imperii Ordinum æquanimitate & justitia fovemus spem, fore, ut quam primum in hoc casu tenorem pacificationis Westphalicæ & acta eam concernentia, consequentiasque rei, a Bremensibus hucusque agitatæ acri Judicio penitius exa-

mina-

minaverint, actutum in commune consultum iri, ut vel Nobis debite satisfiat, & Decretum Lincianum cassetur, vel (quæ altera est Nostri desiderii pars) sæpe nominata controversia ab omnibus Principalibus compaciscentibus, quantocius perpendatur & terminetur? In disceptationem tum veniet, una conditionum Pacis diversis in Tractatu vicibus, singularique studio utrinque ventilata, & tandem claris verbis Instrumento Pacis inserta, cui partium justitia faveat, ipsi Autores & Statores optatæ illius pacis in colloquio amicabili facile invenerint. Etsi præter spem controversia illa modo jam nominato terminari nequeat, superest inter eos, qui potestatem summam obtinent, & nullum communem judicem habent, juris etiam via, utpote qua multi Reges & Principes moratioresque populi sæpe graves bellorum tempestates nunc imminentes vitarunt, nunc sævientes sedarunt. Non ignoramus esse quosdam in Imperio qui Majestati Vestræ suadent, Regibus fœderatis non esse permittendum, ut orta tali aliqua controversia, super conditionis alicujus genuino sensu suam desuper mentem expromant: quare id suggerant facile est conjecturari, sed an rite & recte consulant, Majestati Vestræ & Imperii Proceribus, justi æquique amantibus expendendum relinquimus. Naturæ & Gentium jura publicaque utilitas repugnant talium consultorum sententiæ; Cum ergo postulatum Nostrum, de instituendo inter partes Principales compaciscentes amicabili, super Statu Civitatis Bremensis colloquio, solam pacis conservationem sibi propositam habeat, & simul justitia & æqui-

æquitate nitatur; irreligiosum fuerit dubitare; quin Majestas quoque Vestra & omnes alii, quorum interest, auditis & perpensis Nostris rationibus permissuri sint, ut congressus omnium suffragiis, quantocyus constituatur. Sicut vero negotii approbati & promoti gloria Majestatem Vestram perpetuum manebit; ita Nos aliosque Interessatos sibi in similibus, ad paria studia & officia obstrictos habebit, ut & res tanto citius promoveatur, mandata dedimus Nostro, ratione Nostrorum in Germania Ducatuum Ratisbonæ degenti Ablegato & Consiliario nobili Nobis sincere fideli, Georgio de Snoylski, ut cum has recte ad Majestatem Vestram perferendas, tum etiam benevolum & amicum ejus responsum ad Nostras has decenter rescribi curet.

Quibus Majestatem Vestram divinæ commendamus protectioni, prospera quævis Eidem ex animo apprecantes, dedimus in Arce Nostra Holmensi, die 20. Decembr. Anno 1666.

*Nomine altissime memoratæ Sacræ Regiæ Majestatis respective Filii Nostri charissimi, ut & Regis ac Domini Nostri Clementissimi*

HEDWIG ELEONORA.

L. P. de Linden, loco R. S. Marsch.

Magnus Gabriel de laGardie, R. S. Cancellarius.

Nicolaus Brahe, loco R. S. Archithalassi.

Gust. de Bonde, loco R. S. Thesaurarii.

CCCCLII.

## CCCCLII.

*Literæ JOHANNIS CASIMIRI, Regis Poloniæ, ad LEOPOLDUM, Romanorum Imperatorem, cui inopinatam Tartarorum in Poloniam irruptionem, & imminens eidem a parte Turcarum cruentissimi belli periculum exponit, & ab eo totiusque Germaniæ Proceribus beneficum tanti oneris sublevamen sollicite efflagitat, 1666.*

Serenissime & Potentissime Princeps,
Domine Consanguinee, Frater & Nepos noster charissime.

TRistis barbarorum perfidia iterum orditur scenam non Regno duntaxat Poloniæ, sed toti vicinæ, imo universæ Christianitati periculosam. Nuper Tartari, dum simulant se contra rebelles nostros progredi, datisque ad nos literis id ipsum sacrosancte declarant, flagitantes, ut partem Exercitus nostri ipsis sociaremus, mox rupto per summum scelus sine ulla causa, fœdere, hunc ipsum florem militiæ nostræ amicitiæ securum, inopinato aggressi, oppresserunt, & exinde consueta pernicitate, potiorem Russiæ rubræ partem flamma & ferro deleverunt, innumeram multitudinem promiscui status & sexus in miseram adducendo servitutem.

Sed hæc Tartarorum insolentia intra remedium esset, ni altior nos afficeret cura, nempe Prodromum esse belli Turcici, quod magnis totius vasti Imperii viribus contra nos apparatur, cui num tot bellorum calamitatibus fessa & lacera Polonia obniti possit, summæ Majestatis Vestræ prudentiæ consideran-

derandum offerimus, ſimulque rogamus, velit communis periculi rationes expendere, inhiat reliquæ Europæ hæc vorago. Exercuit per quinque luſtra Venetæ Reipubl. vires, tentavit & Majeſtatis Veſtræ nuper fortunam: Utrobique ſentiens robur, transfert impetum, qua parte in ſeipſa debilior Chriſtianitas injuriæ patet, ut rupto hoc velut aggere Poloniæ totam inundet viciniam, eo præſertim tractu, ubi non fluviorum vel Montium, non paſſuum difficultatibus munitur, ita ut non tantum Poloniæ vim inferre, ſed & Majeſtatis Veſtræ ditiones a tergo petere videatur. Equidem non ſine rubore nobis accidit, vel ipſum ſuppetiarum nomen Majeſtati Veſtræ innuere, quas ipſi tot bellis exhauſti & Tartarorum præſentisſimis periculis objecti, per ſummam impoſſibilitatem non ſine grandi dolore præſtare nequimus; ſed vincit necesſitas verecundiam; Pietas Majeſtatis Veſtræ & conſuetus favor erga meritisſimum de Chriſtianitate & Auguſta Domo Regnum reſarciet erepta occaſione jacturam, & a publico totius Chriſtianitatis voto antemurale hoc non ſinet benignitate Majeſtatis Veſtræ ſtabilitam ſalutem ſuam Polonia iterum periclitari. Nos vero ne verbis ſenſum rebus in tam arctis exprimere poſſe videamur, ſolam cognatæ miſerationis & communis ſortis ac periculi reminiſcentiam in fraternum pectus deponimus, enixe precantes, ut & ſuopte beneficio & aliorum Principum Imperii & Chriſtianitatis concitamento pereunti amico regno ſubvenire velit. Deſignavimus ad Majeſtatem Veſtram ſpecialem Perſonam, ut hoc ipſum poſtulatum decenter & quam ardentisſi-

tisſime exponat, ſed feſtinantibus periculis cogimur, literario hoc prævenire officio, ſimulque rogare, ut quam primum Miniſtro in Aula Ottomannica reſidenti Majeſtas Veſtra injungere velit, atque literis ſuis ad Portam inſtare, ut a bello contra nos inferendo deſiſtat, Tartarosque ab inferendis Excurſionibus coerceat, cum ſemper fœdera inter Majores noſtros & Portam Ottomannicam ſancita religioſe obſervaverimus. Quod geminatis votis expetendo Majeſtatem Veſtram quam diutisſime incolumem, una cum acceſſu omnigenæ felicitatis animitus exoptamus. Datæ Warſchaviæ die 7. Januarii 1667.

Joannes Caſimirus.

## CCCCLIII.

*Litera FRIDERICI WILHELMI, Electoris Brandenburgici, ad JOHANNEM CASIMIRUM, Poloniarum Regem, quibus ſe Reipublicæ Polonæ, ſi ſola hoſtium moli ſuſtinendæ impar ſit, auxilio ſpontaneo tempeſtive ſubventurum pollicetur, 1667.*

EX literis Regiæ Majeſtatis Veſtræ ſeptima præſentis Varſaviæ datis pluribus intelleximus, quatenus Tartari cum Coſacis in Reipublicæ præjudicium ſe ſociaverint, & quod graviora adhuc a Turcis immineant mala, ad quæ avertenda Regia Majeſtas Veſtra noſtrum etiam expetit auxilium. Utique. iſtam ex animo Reipublicæ vicem dolemus, utpote quæ domeſticis longe agitata & concuſſa malis hoſtibus illis, qui olim amicitiam & ſocieta-

tem ejus deprecari, quam arma experii malebant, jam quidvis in se audendi, occasionem ac licentiam præbet. Cæterum nondum plane persuadere nobis possumus, tam graviter Reipublicæ a præfatis hostibus metuendum esse, cum pro certo cognitum habeamus inter Cosacos & Tartaros taliter convenisse, ut illi in debita fide ac obedientia erga Regiam Majestatem Vestram constanter permaneant, hi etiam illos a legitimo obsequio nullatenus abalienare vel avellere tentent, quod tanto quoque minus eos facturos credimus, cum nuper adhuc ad Regiam Majestatem Vestram literas plenas amicæ contestationis, & studiosissimæ erga fœdus juratum voluntatis dederint. Turcæ præterea pacem æternam cum Republica initam, quam hactenus sancte coluerunt, haut temere violaturi videntur. Imo, quamvis etiam contra fidem datam hostilia moliri, & arma Reipublicæ inferre destinatum illis foret, non dubitamus adhuc tamen satis Reipublicæ ad resistendum superesse virium, dummodo Regia Majestas Vestra sic omnia domi componat, ut reducta & stabilita concordia cum Regni Proceribus, armis, animisque consociati, hostili audaciæ, cui fortuna nihil majus, quam Reipublicæ discordiam præsentare potest, fortiter obviam eatur. Quod si vero præter omnem spem ac votum adeo sit afflicta Respublica, ut sustinendæ hostium moli sola non sufficiat, non intermittemus eidem spontaneo tempestive subvenire auxilio, eoque ostendere facto, quod Regiæ Majestati Vestræ & Reip. constanter bene cupiamus, & publicam salutem privatis anteponamus commodis,

sperañ-

ſperantes Regiam Majeſtatem Veſtram tanto magis curaturam, ut pacta cum eadem & Rep. inita, & Religione firmata in pleno ſuo robore atque vigore conſerventur, & impleantur. Confidimus inſuper, Regiam Majeſtatem Veſtram operam daturam, ut commeatus copiis ſubmittendis neceſſarius ac ſufficiens deſtinatis in locis mature advehatur, ne forte ejus defectu ſolita eveniant incommoda, & ipſo malo pejus accidat remedium. Quæ porro Regia Majeſtas Veſtra de ſolicitando apud circulos & Principes Imperii auxilio memorat, primo omnium apud Sacram Cæſaream Majeſtatem, ut negotium vel in comitiis præſentibus Ratisbonæ vel in circulis, quod deinceps omni conatu promovere, & ſic ea etiam ex parte Reipublicæ opem ferre ſtudebimus. De cætero Divinam quoque opem in ſubſidium publicum invocamus, & Deum Optimum Maximum ſuppliciter veneramur; ut velut hactenus, ita & impoſterum publicæ ſalutis Cuſtos atque Vindex Reip. curam habere, eidemque conceſſam nuper pacem ſtabilire, ac conſervare, priſtinum etiam decus atque ſplendorem reddere clementiſſime velit. Quibus Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram quam diutiſſime ſalvam ac incolumem animitus optamus, & nos Regiæ benevolentiæ debita obſervantia commendamus. Coloniæ ad Spream 14. Januarii 1667.

CCCCLIV.

*Literæ CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis ad JOHANNEM GEORGIUM II. Electorem Saxoniæ, quibus ipſi auſpicata Novi anni initia ex animo gratulatur, 1665.*

P. P.

Novi anni fausta omina Nobis attulerunt Celsitudinis Vestræ Literæ decimo quarto Decembris die scriptæ, in quibus affectum plane antiquum & cum seculis etiam consenescentem inter Regiam Nostram & Electoralem Celsitudinis Vestræ Domum, cum voluptate perspicimus. Quod sinceræ amicitiæ argumentum & exemplum a Celsitudine Vestra profectum parem in pectore Nostro caritatis ardorem excitare debuit, si non majorem ibi jam antea flagrantem invenisset. Pergat igitur Celsitudo Vestra per multos adhuc numerare annos, omnesque præteritis multo feliciores, ut Nos quoque Celsitudini Vestræ omnia bona non solum pro more, sed etiam ex animo vovendi occasionem quotannis habeamus. Quod reliquum est Deum optimum maximum precamur, ut Celsitudinem Vestram suamque Domum Electoralem novis quotidie prosperitatum incrementis augere velit, auctamque conservare. Dabantur in Palatio Nostro de Witehall 23. die Januarii 166⅘.

## CCCCLV.

*Literæ recredentiales a JOHANNE GEORGIO II. Saxonum Electore, Stanislao Trzebichio, ad JOHANNEM CASIMIRUM, Poloniarum Regem traditæ, 1667.*

### Serenissime Rex.

*Regiæ Vestræ Serenitati salutem dicimus, & operam Nostram in omni officiorum genere paratissimam offerimus, Domine cognate charissime.*

Dum

DUm in reddendo ad priores Regiæ Vestræ Serenitatis die 7. elapsi abhinc Mensis Januarii de perturbatis finium Vestrorum rebus, perscriptas ad Nos literas responso eramus occupati, exhibuit Nobis alteras Vestras in sui fidem generosus Stanislaus Trzebichi, Vexillifer Palatinatus Syradiensis, Camerarius & Colonellus Regius, & quæ de periclitantis Regni Statu in mandatis habuit dictis pariter & scriptis, quibus equidem oppido fidem adstruimus, uberius decenter exposuit. Quemadmodum igitur habita mutuæ illius perantiquæ Necessitudinis, non minus ac præsentis negotii ratione, prædicto ablegato, quæ Nostra erga Regiam Vestram Serenitatem Ejusque desideria voluntas sit atque studium, oretenus juxta & calamo significavimus; ita nulli dubitamus, quin de omnibus ad eandem fideliter ipse sit relaturus. Quam de cætero bene valere, nec non glorioso victricium armorum cursu ad Regni sui Christianæque Reipublicæ statum pacificis rationibus salutariter firmandum cælitus uti, frui etiam atque etiam cupimus. Dabantur in Electorali Nostra, Dresdæ, Mense Februario 1667.

Johannes Georgius II.
Elector.

## CCCCLVI.

*Literæ JOHANNIS CASIMIRI, Poloniæ Regis ad CLEMENTEM Papam IX. quibus ipsi, quantum Poloniæ a Turcis Tartarorumque*

 *collu-*

*colluvie metuendum ſit, quantaque rei numariæ & rerum gerendarum apparatus inopia prematur, exponit, ac ut eam ſubſidio numario ſublevare haud gravetur, ſollicite ab eo contendit, 1667.*

POſt oſcula pedum Sanctitatis Veſtræ, meique ac Regnorum meorum humillimam commendationem. Alternas rerum vices, & triſtia lætis miſceri, ſi quæ terrarum ac Gentium quæpiam, Polonia certe mea experitur, quæ toties extremis caſibus alliſa, & jam conclamata iterum ſurgit, & per ipſas ſtrages ac diſcrimina magis forteſcit, duraturque. Quod nos ſingulari providentiæ ſupremi rerum arbitri, cujus nutu regna Regesq; ſtantque, caduntque, meritiſſime tota devotione adſcribimus, neque dubitamus ferventem in iſtis oris Catholicæ religionis zelum, admirandam iſtam curam & protectionem divinæ manus demereri, ſine qua nullatenus eſſet, ut humanis conſiliis adeo frequenter res Polonæ arduæ & deſperatæ parvo ſæpe negotio, & modico intervallo ſublevarentur. Nihil plane opportunius accidere potuit, quam Pax Moſchovitica, ſeu induciæ verius, quæ ad tredecim annos cum firma ſpe tractandæ interim perpetuæ pacis, & cum reciproca ad præſens ſtrictioris amicitiæ obligatione, non infeliciter prout temporum præſentium ratio permittit, ſancitæ, & juramentis Commiſſariorum ab utrinque corroboratæ ſunt, proviſum etiam Religionis Catholicæ exercitio in ditionibus Moſcho ad tempus permiſsis, quod nos boni augurii ducimus, cum Gens iſta in ſchiſmate pervicax & Catho-

Catholico nomini infensissima modo jam a nostris sacris non abhorrere incipit. Restat id mihi curandum, ut conjunctionem armorum adversus Turcas & prædones Tartaros ad minus defensivam cum Magno Duce Moscoviæ missa quam primum legatione paciscar. Cujus rei jacta sunt aliqua fundamenta per Commissarios meos, conclusio tamen ipsa ad conferendum per mutuas legationes est dilata. Erigor equidem in spem melioris fortunæ, & Deo auxiliante credo me validiorem fore ad reprimendum Turcicum bellum, non tamen sine gravi causa subvereor, ne ista Polono-Moschovitica pace magis Turca & Tartarus irritetur, ac graviori belli mole Poloniæ incumbat. Adveniunt undique Nuntii, Silistriam, Valachiam, Moldaviam, aliosque accolas populos strepere armis & minis contra Poloniam, ac licet robur ipsum Turcicum differri possit ad mensem Julium vel Augustum, præsentio tamen, quod Tartari hostilitatis Turcicæ Prodromi juncti Vallachis excursionibus Poloniam infestabunt. Camenecum fortissimum propugnaculum circumcingent, & fame urgebunt, exercitus meos more suo continuo lacessent & fatigabunt. Quorum omnium pro devotione mea Sanctitatem Vestram certiorem facio, rogatam iterum ac iterum volens, ut subsidio notabili pecuniario me & Regnum meum fulcire non gravetur. Non desunt adhuc nobis arma & fortes viri militiæ prompti; sed rerum gerendarum, ac præsertim belli nervus pecunia deficit, cogitque magna necessitas, ut gratiam & liberalitatem Sanctitatis Vestræ pro

exercitu contra tam formidandum Christianitatis hostem sustentando advocem. Celebrabit eam clementiam Sanctitatis Vestræ ejusque inclytum nomen Christianus orbis; Polonia autem mea ream se accepti beneficii profitebitur. De reliquo Sanctitati Vestræ longissimum rei Christianæ Imperium ex animo voveo, ac me Regnumque & Dominia mea ejus gratiæ humillime commendo. Dabantur Varsaviæ 17. Februarii 1667. Anno Regnorum Poloniæ & Sveciæ 19.

## CCCCLVII.

*Litera CAROLI XI. Svecorum Regis, ad JOHANNEM GEORGIUM II. Saxoniæ Electorem, quibus ipsi de filii primogeniti auspicatissime cum Principissa Daniæ, Anna Sophia, contracto matrimonio, candide gratulatur, 1667.*

PErmagno gaudio sumus affecti, cum literæ Celsitudinis Vestræ Electoralis Dresdæ die 8. Januarii scriptæ certiores Nos redderent, de feliciter solennique nuptiarum ritu Hafniæ inter Celsitudinis Vestræ Electoralis hæredem ac Principem unicum & Serenissimam Principem Regnorum Daniæ, Norwegiæque Hæreditariam Annam Sophiam, matrimonii fœdere consummato. Idem cum antiquus ille mutuæ benevolentiæ Nos inter & Celsitudinem Vestram Electoralem affectus, tum vel maxime nova nuper sancita mutua conjunctio sibi deposcit, ut quæ prospera Celsitudini Vestræ Electorali eveniunt, eodem a Nobis lætitiæ sensu excipiantur, ac quæ Nobis ipsismet ex voto

voto ſuccedunt. Gratulamur itaque Celſitudini Veſtræ Electorali de fauſto connubii hujus ſucceſſu, quem, quod Nobis communicare voluerit, optimam Celſitudinis Veſtræ Electoralis erga Nos voluntatem lubenter agnoſcimus, ſimulque animitus vovemus, ut & in contrahentium utriusque partis reique publicæ ſalutem cedat initum hoc conjugium, & ex eo Celſitudo Veſtra Domusque Ejus Electoralis plurimos longa ſerie Nepotes poſterosque videat, qui perantiquam & celeberrimam Celſiſſimæ Domus ac ſtirpis Electoralis gloriam in ultimos mundi annos perpetuent. Quibus Celſitudinem Veſtram Electoralem divinæ protectioni ſerio commendamus. Dabantur in arce noſtra Holmenſi die 20. Febr. 1667.

*Nomine altiſſime memoratæ Sac. Reg. Majeſtatis reſpective Filii Noſtri chariſſimi ut & Regis ac Domini Noſtri clementiſſimi.*

HEDWIG ELEONORA.

Regni Sveciæ Senatores.

## CCCCLVIII.

*Literæ DOMINI GRAPHIARII Ordinum Fœderati Belgici, ad PETRUM JULIUM COYETTUM, Legatum in Anglia Svecicum, quibus ipſi, quæ Ordinum fœderati Belgii circa pacem cum Magnæ Britanniæ Rege concludendam mens, Regi autem Chriſtianisſimo circa præliminaria ejusdem quantocyus determinanda qui zelus ſit, brevibus exponit, 1667.*

## Illustrissime Domine.

Literæ Excellentiæ Vestræ die 4. Februarii Styl. vet. ad me datæ, summopere mihi gratæ fuerunt, cum ob singularem & indefessam diligentiam, quam Excellentia Vestra una cum Illustrissimo Legato Domino Flemmingo continenter exhibet in procurandis iis, quæ ad procurandam pacem pertinent, tum vero præcipue, quod Excellentia Vestra Serenissimum Magnæ Britanniæ Regem eo induxerit, ut Celsos ac Præpotentes Dominos Ordines Fœderati Belgii eo voluerit dignari honore, ut in illorum ditione tam salutares instituantur tractatus, Extraordinarius Delegatus Dominus Apelboom præterita septimana copiose procul dubio Excellentiæ Vestræ exposuit rationes, quam ob rem Celsi & Præpotentes Domini Ordines, quamvis Hagam Comitis huic negotiationi minime aptam existiment, debita nihilominus recognitione oblatum honorem agnoscant, maxime laboraturi apud fœderatos suos, ut illis quoque acceptum fiat, uti pacis tractatus in communi unitarum Provinciarum territorio instituantur Trajecti nempe ad Mosam aut Sylvæ Ducis aut etiam Bredæ, prout Regiæ Majestati suæ placuerit, quemadmodum Excellentia Vestra ex literis Celsorum & Præpotentium Dominorum Ordinum ad Serenissimum magnæ Britanniæ Regem colligere poterit: eadem simul occasione Excellentiæ Vestræ respondere non potui, tum quod non præviderim illo, qui præcessit die, prædictæ Celsorum Dominorum Ordinum Epistolæ transmissionem postero

ro die decretum iri, tum quoque quod post hoc decretum sero jam vespere etiam post discessum tabellarii in conventu Dominorum Ordinum Hollandiæ Westfrisiæque publicis negotiis detentus fuerim. Interea temporis certiores quoque facti sumus, quænam sit Serenissimi Regis Galliæ de tractatibus Pacis Hagæ instituendis sententia, qui quidem a sua quoque parte prævidens incommoda, quæ obvenire possunt, ut quam primum locus destinetur, etiam cum sui honoris & dignitatis Regiæ præjudicio ad id potius condescendit, quod Rex Magnæ Britanniæ cum dilatione pacis tam diu frustra urgere non desiit, quam ut præclarum & sanctum pacis opus, certissimis incommodis & periculis subjici pateretur: Quippe hesterno die Christianissima sua Majestas, tam per literas, quam per præsentem in hoc loco extraordinarium suum Legatum Nobis significavit, sese, ut præveniantur incommoda & sinistri casus, quæ in hac pacis negotiatione, si ea hic institueretur, maxime timenda sunt, consensisse, ut pacis tractatus in terra hostili ad Dubrin, vulgo Douvres nuncupatam, nempe in Anglia instituantur; a Vestra itaque prudentia & pacifico animo expectamus, ut præliminaria isthæc tempestive & celeriter componantur, idque eo magis, quod hoc anni spatium longas deliberationes permittere non videatur, & quod Celsi & Præpotentes Domini Ordines aperte adeo declararint, sese a sua parte nullam habere difficultatem, quo minus vel Londinum, ad ipsam pacem in eundam suos mittant Legatos. Quod vero atti-

net

net propositionem a Vestra Excellentia factam, ut nempe ad præveniendam majorem Christiani sanguinis effusionem temporale & fiduciarium interim fiat armistitium, libenter equidem in eo postulatis Excellentiæ Vestræ vellem satisfacere, castiusque aliquantum sensus Dominorum Ordinum Generalium exponere, sed cum iste articulus unus sit ex illis, quos Provinciarum Ordines sibi solis reservarint, nec Deputatis suis in consessu Dominorum Ordinum Generalium, ad istiusmodi deliberationes ineundas potestatem dederint, necesse est, ut in eo Ordinum Provincialium sententiam expectemus, quæ ut acceleretur, imprimis curæ erit. Interim una cum Excellentia Vestra in eo laborantes, ut fœderatorum hujus Reipublicæ de hac ipsa re sententias quoque exploremus. Præterire denique hic non possum, quin Excellentiæ Vestræ hic significem voluptatem, quam percepi ex indicio facto mihi per Excellentiam Vestram de bona opinione, quam Magnæ Britanniæ Rex de tenuitate meæ habeat personæ, existimans continuationem tanti favoris nulla ratione me promereri posse, quam diligenti studio & labore, quantum vires meæ permittent ad curanda ea, quæ ad hujusce rupturæ medelam & ad instaurandam priscam amicitiam, inter Majestatem suam & Dominos Ordines eorumque fœderatos facere mihi videbuntur, certus publica patriæ meæ incrementa, quæ ego semper privatis anteponam commodis, eo quam maxime promotum iri. Deum interim veneror, ut salutaria Excellentiæ Vestræ suppeditet remedia & consiliis ejus tempestivum ac felicem

lar-

largiatur succeſſum. Hagæ Comitis die 4. Martii Anno 1667.

Excellentiæ

*ad quævis officia paratiſſimus*

N. N.

## CCCCLIX.

*Litera LEGATORUM SVECICORUM, mediatorum vices obeuntium, ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem, quem Regem Chriſtianiſſimum & Generales fœderati Belgii Ordines quatuor loca habendis de pace tractatibus, libera tamen penes ipſum optione relicta, deſignaſſe docent, 1667.*

### Sereniſſime ac Potentiſſime Rex.

NOn minus ad gloriam laudemque immortalem Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ, quam ad eventum pulcherrimum valuiſſe cenſenda eſt illa Majeſtatis Veſtræ non ita pridem edita declaratio, qua Pacis ſtudiis tam faventem animum teſtata eſt, ut non dubitaverit, inſtituendis tractatibus locum eligere talem, quem crediderat iisdem accelerandis maxime fore commodum atque opportunum. Etſi enim Celſi ac præpotentes Domini Ordines fœderati Belgii arbitrati ſunt, eum ipſum, quem Majeſtas Veſtra nominaverat locum Hagæ Comitis adverſus ſubita caſuum, qui levi momento incidere ſolent, quosque proſpicere difficile ſit, non ſatis eſſe munitum & inſtructum, utpote non vallo, non mœnibus ſeptum, ideoque alium potius opta-

optarunt a Majestate Vestra, si ita placeret, in ipsorum territorio designari, qui omni periculi metu ob situm ac munimentum vacuus esset, eaque excusatione res novis impedimentis atque difficultatibus implicari videbatur; Quis tamen dubitet, quin tot Christiani Orbis populis, desiderio pacis ac tædio bellorum jam pridem suspirantibus magno solatio fuerit tam conspicuum atque illustre documentum seriæ apud Majestatem Vestram ad pacem amplectendam voluntatis? Quæ & ipsa permovit Christianissimum Galliarum Regem, ut sua Regia Majestas ad mutuæ Civitatis vere Regium certamen properaverit, rataque omnem jam exemptam ac remotam competentiæ litem, nullo cum dignitatis suæ præjudicio fieri putavit, si Legatos suos ad Tractatus Pacis peragendos in ipsam Angliam mitteret, speciatimque ut hoc negotium Dubri susciperetur, semet desiderare significaret. Equidem antequam hæc altissime memorati Regis Galliarum ex quadam animi magnitudine profecta declaratio ad notitiam nostram pervenisset, injecta Nobis non intempestiva quædam sollicitudo fuit; quæ Nos a reddendis Majestati Vestræ Dominorum Ordinum Generalium uniti Belgii Literis aliquantisper retardaret, præsertim cum ad avertenda, quæ pacis negotio imminere videbantur, non spernenda discrimina magnopere pertineret; Dominos Ordines Generales in antecessum informare de Majestatis Vestræ sensu, qualis is esse possit, si literæ istæ, Majestatis Vestræ expectationi non respondentes, redditæ e vestigio fuissent, rati melius & officio mediatorum con-

convenientius esse, rem omnem servare integro, quam post vulneratam causam conatu difficillimo remedia quærere: Ea cum jam scripta a Nobis ad Regiæ Majestatis Sveciæ Ministrum & Ablegatum Extraordinarium Hagæ commorantem perque eum exposita Dominis Ordinibus Generalibus essent, interim ex improviso allata e Gallia Christianissimi Regis modo commemorata resolutio fuit, quæ huic negotio jam aliam induxit faciem, causasque istas bono quodam fato sustulit, quæ retinendis hactenus Dominorum Ordinum Generalium literis ansam præbuerunt. Nihil enim superesse poterit ulterius difficultatis atque incertitudinis, posteaquam Majestati Vestræ liberrima potestas est facta eligendi aut Dubrin in Anglia, aut unum ex tribus istis oppidis in territorio Dominorum Ordinum Generalium sitis, nimirum Trajectum ad Mosam, Sylvam Ducis vel Bredam. Neque tantum ultro ac sponte sua dimittendis Dubrim Legatis prorsus ex inopinato altissime memoratus Galliarum Rex consilium cepit, ac propensam ad id voluntatem suam notam fieri curavit, sed & huic Christianissimi Regis declarationi ipsi Domini Ordines Generales quam promptissime assensum suum præbuerunt rursusque cum alio mox tabellario certiores facti sumus, pariter Majestatem suam approbare, quicquid a Dominis Ordinibus Generalibus responsum fuerat, de eligendo aliquando ad tractatus pacis instituendos in ipsorum territorio loco, ex tribus oppidis modo enumeratis, sic ut post mutuam comprobationem inter Galliam unitumque Belgium de sententiis utri-

utriusque primum seorsim declaratis factam, penes Majestatem Vestram libera ac non restricta sit optio e locis prædictis quatuor denominandi, quemcunque Majestas Vestra voluerit, in quem pariter Serenissimum Daniæ Regem consensurum reliqui fœderati neutiquam dubitant. His igitur perpensis non diutius cunctandum rati sumus, mutatoque consilio, quod initum a Nobis fuerat, antequam de ultimo Dominorum Ordinum Generalium literas easq; una cum memoriali Nostro, ea, qua par est, observantia Sacræ Regiæ Majestati Vestræ redderemus; Eandem decenter requirentes, ut Christiani Orbis desiderio Pacem ardentissimis votis expectantis, utque interpositioni atque mediationi Sacræ Regiæ Majestatis Sveciæ, Regis ac Domini Nostri Clementissimi id dare atque concedere velit, quo citra ulterius dispendium temporis, inter tanta momenta paci procurandæ ab ipso cœlesti numine destinata ac indulta alioquin cum irreparabili Christianæ rei jactura frustra elabentis Majestas Vestra ad alterutram condescendat rationem a Gallia atque Belgio propositam & mutuo eorundem consensu approbatam, cum ad utramque gloriosus pateat accessus; sic ut prompto ac benevolo responso ad Literas Dominorum Ordinum Generalium eorundemque declarationem postmodum adjectam, mentique Christianissimi Galliarum Regis conformem hæc de præliminaribus quæstio tandem feliciter terminetur, & lætam aperiat viam, ad ipsos tractatus Pacis inchoandos, quos si exitus pariter consequetur fortunatus, magna ex parte salutis suæ auctoramen-

mentum pacisque recuperatæ incomparabile bonum ad laudem Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ ejusque heroicam animi moderationem verissimis præconiis Christianus Orbis referet ac merito referre debebit.

Majestati Vestræ

*Dabantur Mense April. Anno M.DC. LXVII.*

*Ad omnem cultum & officia paratissimi Servitores*

Georgius Flemming.
Petrus Julius Coyet.

## CCCCLX.

*Litera JOHANNIS CASIMIRI, Poloniarum Regis, ad FRIDERICUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum, retradendæ Elbingæ & Præfecturæ Drahimensis ergo exarata, 1667.*

QUæ Bydgostiæ inter nos & Serenitatem Vestram pacta & juramentis confirmata fuerunt, ea Nos omnia (præter Elbingensis & Drahimensis summæ restitutionem ex causis rationalibus dilatam) prompte & benevole adimplevimus, nostrumque Regium affectum non ignotis orbi documentis plusquam abunde contestati sumus. Quod vero in traditione Elbingæ, & Drahimi, vel potius summarum non pari statim promptitudine respondeamus, ea nobis taliter imputari non debent, quasi pactorum observationi minus a nobis tribuatur, sed cum a Serenitate Vestra non adimpletas aliquas eorundem pactorum le-

ges quivis facile dijudicaverit, hoc agebamus primum cum Legato Serenitatis Vestræ in aula nostra residente, postmodum per Ablegatum Nostrum extraordinarium, ut super hisce intervenientibus oportuna tractatione, & decentibus officiis ultimarie componeremus. Æquo animo ferat Serenitas Vestra paucis memorari, Brunsbergam ultra, & præter pacta a Serenitatis Vestræ præsidio deletam, & gravibus contributionibus exhaustam fuisse, continuato aliquot annis bello Polono-Moschovitico, in quo juxta pactorum tenorem Serenitas Vestra arma & studia nempe ad expurgandam hoste Poloniam Nobiscum conjungere obligata erat, tali officio Serenitatem Vestram defuisse, novo postmodum exorto bello Cosatico debitas equitum & peditum suppetias, quæ sumptus nostros relevassent, & laborantem rem Polonam adjuvissent, non subministrasse. Exinde minus causæ habet Serenitas Vestra, quod frequentius expostulationibus existimationi nostræ onerosis utatur, quod aliquos quasi malevolos & affectibus suis obsequentes a justitia transversos in aula nostra, & gente Polona supponat, quod non oblatam, sed obtrusam a Nobis bene merito Senatori Præfecturam Drahimensem, nosque Pactorum vel immemores Ananiæ & Saphyræ exemplis perstringat. Hisce talibus, aliisque diversis attentatis dignitatem & decus nostrum gravari, data hac literaria a Serenitate Vestra occasione, taciti præterire non possumus, conscientia nostra & judicio orbis freti, nos eximia, & seculo isti rara amoris & benevolentiæ

no-

noſtræ teſtimonia erga Serenitatem Veſtram dediſſe, ejusque commodo & utilitatibus ad ſummum promovendis reipſa faviſſe. Porro quod per Ablegatum noſtrum nuper Serenitati Veſtræ nomine noſtro propoſitum eſt, idem nunc amanter repetimus & cupimus, ut Serenitas Veſtra revocatis in memoriam tot officiis a Sereniſſimis Regibus Poloniæ, Majoribus noſtris erga Majores ſuos atque a nobis ipſis nuper erga Serenitatem Veſtram cumulatis, ea a nobis rigidius exigere deſiſtat, quæ difficillimo iſto tempore præſtare non valemus, vel ſi poſtulatis noſtris nullum locum relinquere, ac gratificationem ſuam penitus denegare collibuerit, ut compenſatis, quæ ſuperius attigimus, diſpendiis noſtris, in eum inſuper modum nobiscum convenire velit, ut parte aliqua copiarum auxiliarium, quas nobis Serenitas Veſtra ex pactis juratis ſubmittere ad bella tenetur, eadem ac ejus poſteri in perpetuum exſolvantur. Nos vero viciſſim ab obligatione tradendæ Elbingæ & Drahimenſis Præfecturæ, vel eorum potius loco numerandæ ſummæ conventæ liberemur. Tali ratione Serenitas Veſtra propenſi erga nos, Remque publicam Polonam & pactorum integritati bonæque correſpondentiæ conſulentis animi reale documentum faciet, nosque porro arctius ſibi domuique ſuæ Electorali obſtrictura eſt. Interim Serenitati Veſtræ longævam valetudinem & proſperos ſucceſſus a Deo precamur. Dabantur Varſaviæ die 20. Apr. 1667.

 CCCCLXI.

## CCCCLXI.

*Litera LUDOVICI XIV. Galliæ & Navarræ Regis, ad S. R. IMPERII ELECTORES, PRINCIPES & STATUS, quibus ipsis causas, quarum necessitate inductus Provincias Hispano-Belgicas armatus insederit, explicat, Sacrumque Rom Imperium pacis bonaque vicinitatis securum esse jubet, 1667.*

### Charissimi & Magni Amici & Confœderati.

CUm justitia circa jura Reginæ Conjugis Nostræ Nostrique Filii Delphini satis diu satisque aperte Nobis denegata fuerit, ad quod tandem consilium & existimatio & rationis Nostræ Nos impulerint hisce literis significandum Vobis esse duximus; Et hac quidem de causa Plenipotentiarius Noster de Gravell in Conciliis Imperii universalibus non solum scriptum, quod confici atque in lucem edi curavimus, & quo universæ Christianitati æquitatem causæ Nostræ reddidimus manifestam, sed etiam earum exemplar literarum Vobis exhibebit, quas ad sororem Nostram, Hispaniæ Reginam, die 8. hujus mensis dedimus. Quam validis quamque firmis nitatur fundamentis jus Nostrum ex illo facile cognoscere erit; Quanta autem animi Nostri fuerit moderatio & æquitas, ex hoc Vobis liquebit, quod salva & inviolata pace, citra cupidinem ejus, quod Nostrum est, nihil aliud spectemus, quam ut Nosmet ipsos vel vi armorum Nostrorum vel æqua compositione vindicemus & tueamur. Neque dubi-

dubitemus pro æquanimitate Veſtra, quin hanc Noſtram mentem unicum illud medium arripiendi, quod Nobis reliquum erat, ut quod juſtum & æquum eſt, & quod Nobis denegatum fuit, obtineremus, etiam atque etiam approbaturi ſitis; interim hiſce literis certiores Vos reddere voluimus, quod ſi intereſſet armorum Noſtrorum ſucceſſus, ut vel partem occuparemus, iiſdem omnino conditionibus dependentiis, oneribus & obligationibus tenere velimus, quibus Regnum Hiſpaniæ eas hucusque poſſedit, non ſecus qui id, quod compoſitione aliqua de memorata ditione in Nos transferri derivarique poſſit. Quapropter tantum de æquanimitate & fide Veſtra in obſervandis tractatibus Weſtphalicis Nobis pollicemur, ut præterquam, quod declaratione hac facta, quod nullum unquam jus ad Sacrum Romanum Imperium pertinens uſurpare cogitamus, nihil omnino ſit, quod quidem appareat, in quo res Veſtra vertatur, firmiter credamus, minime vos conceſſuros, ut tractatus tam ſolennes tamque conſtanter & religioſe a Nobis obſervati hac occaſione Noſtro violentur cum præjudicio, & certe, ut antea memoratus noſter Plenipotentiarius Vobis ob oculos ponet, notorie violarentur, ſi copiis eorum Principum, quas contra Nos in Belgium mitterent (quod niſi ob rationes ab Imperio plane ſejunctas & alienas facere non potuerunt) tranſitum concederetis, & ſane, ſi Principes, quorum per ditiones dictis copiis iter faciendum eſſet, iis tranſitum concederent (quod Nobis perſuadere non poſſumus) iidem principes exercitui Noſtro, quem citra Monaſterienſium tracta-

tuum contraventionem, vel cis vel trans Rhenum adhibere necessum haberemus, & quem Marchioni de Crequi in tres illos Episcopatus Metensem, Tullensem & Verodunensem, ubi subsistet, ducendum dedimus, ulla ratione transitum recusare etiam non possent; Interim ne qua hinc oriatur suspicio, hisce Vobis affirmare voluimus dictum exercitum non ulterius versus Germaniam progressurum, nisi in solo hoc casu, quo copiæ contra Nos inde venirent. Atque hisce Deum animitus precamur, ut Vos Charissimi & Magni Amici & Confœderati sancte & digne protegat. Dabantur in fano S. Germani, d. 13. Maji, Anno 1667.

*Bonus Vester Amicus & Confœderatus*

LUDOVICUS

De Lionne.

*Inscriptio.*

Charissimis Nostris & Magnis Amicis & Confœderatis S. R. I. Electoribus, Principibus & Statibus Ratisbonæ congregatis.

## CCCCLXII.

*Literæ MARIÆ ANNÆ, Reginæ Hispaniarum, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ & Navarræ Regem, de motibus Gallo-Hispanicis amicabili compositione sopiendis agentes, 1667.*

P. P.

ARchiepiscopus Ambrunensis, Legatus Vestræ Majestatis ad hanc Aulam, suas literas de 8. laben-

bentis mihi tradidit, quibus liber quidam, & quoddam Memoriale ſuum cum ampla repræſentatione ac recitatione rationum circa motum armorum ſuorum, ob jus, quod in Belgicas Provincias ſibi competere prætendit, a Majeſtate Veſtra allegatarum jungebantur. Hisque ut exacte ſatisfiat, dum manus admovetur, nolui reſponſum illarum, quamvis ob ejusmodi novitatem propoſiti, non parum attonita, diutius differre. Et quamvis Veſtra Majeſtas ſatagat innuere, Reginam Chriſtianisſimam Sororem meam dilectam (quæ ſit in gloria) Marchioni de la Fuente ſuas prætenſiones aperuiſſe, cujus nec immemor ſum, quod per literas certiorem me fecerit, tamen ego hunc diſcurſum ſemper reſpexi, ad inſtar familiaris alicujus, & ex Confidentia profecti Colloquii, utpote nec in forma legati ſeu Miniſti Veſtræ Majeſtatis, & nec ſuo quidem regali nomine inſtitutum, in cujus opinionis ſinceritate eo magis ſui confirmata, quod poſteaquam præfato Marchioni, de omnibus, quæ in hanc rem dici poterant, ſuccincte reſpondiſſem, nulla ulterior inſtantia vel interpellatio facta fuerit, ita ut ex ſilentio, poſtquam Marchio abunde perceptus fuerat, aliud augurari vel perſuadere mihi non potuerim, quam quod habita apud aulam Veſtram de bono jure Regis filii mei informatione & perſpecta bona, qua procedebam fide, de proſecutione harum prætenſionum eſſet deſtitum. Conſiderandum inſuper, factam inſinuationem formalitatibus articulorum, pace Pyrenæa præſcriptorum, per quos ad nullum rupturæ actum, absque prævia requiſitione devenire licet, contrariam eſſe, cum

certum ſit vigore art. 90. etiam renunciatione non interpoſita, prætenſiones non armorum, ſed amicabili & juſtitiæ via eſſe intentandas: Et quoniam Majeſtas Veſtra in præſens tempus viam amicabilem inire ſe paratam eſſe declarat, illi me haud gravate conformo, & ut jura hæc ad juſtitiam vel per media convenientia diſcutienda, mature examinentur, aſſentior, in quem finem & perſonæ & locùs tractatibus proprius poterunt nominari, & ſicut partes interim ab omni facti & armorum via abſtinere eſt neceſſarium, ita ſpem voveo, fore, ut Majeſtas Veſtra in hoc condeſcendat, ſin minus exoneratio meæ conſcientiæ & Regale tutelæ Regis, Filii mei, officium me, ut iisdem pro defenſione juſtitiæ cauſæ ſuæ inſiſtam, viis & mediis obligabit. Datæ Madriti, 21. Maji, Anno 1667.

## CCCCLXIII.

*Litera JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, quibus ab eo, ut cohibito armorum impetu, ſpatium controverſias Hiſpano-Gallicas citra vim tollendi concedere haud gravetur, obnixe contendit, 1667.*

### Sereniſſime & Potentiſſime Rex.

*Regiæ Veſtræ Majeſtati ſalutem dicimus & operam noſtram in omni officiorum genere paratiſſimam offerimus, Domine Conſanguinee Chariſſime.*

Regiæ Majeſtatis Veſtræ literas de ſua in Belgicas Hiſpanicæ ditionis Provincias expeditione die

die 13. Maji ad Nos datas assidens Aulæ Nostræ Regius Minister Chassanæus recte Nobis reddidit, simulque earum exemplum, quas Regia Vestra Majestas ad Serenissimam Hispaniæ Reginam jam antea dimiserat, una cum adjuncto libello, typis descripto, sedulo exhibuit, unde partim armorum Regiorum ditionibus jam dictis illatorum causas fusius expositas perspeximus, partim eximium quoddam inter arma pacis servandæ studium abunde cognovimus. Equidem apud Majestatem Vestram dissimulare nolumus, non posse nos animo non gravius commoveri, cum inter duo amica Nobis eademque Potentissima Christiani Orbis Regna id dissidii exortum esse intelligimus, ut quæ non pacis tantum vinculo, sed & cognati sanguinis & affinitatis sanctissimis nexibus arcte adeo sunt devincta, ea funestis inter se armis jam collidi & conquassari prope sit necesse, simul & Nobiscum perpendimus, quantum hinc damnorum periculorumque non universæ duntaxat Europæ, sed vel imprimis Germaniæ huic Nostræ, utpote incendio proximæ, si ad bellum res devenerit, impendere videntur. Verum enim vero hæc sollicita cogitatione volventes illud vicissim solatur præcipue, quod Regia Majestas Vestra & literis suis & scriptis nuper editis nec proferendi Imperii licentiam, nec aliena invadendi cupidinem, belli sibi causam adsciscit, ut potius arma sua iis ubique finibus circumscribat, quibus palam fiat omnibus, haud alia utique mente a Majestate Vestra sumpta, quam ut æquis, si ferantur, Pacis legibus ea commutare haud recuset; egregio prorsus magni atque excellentis juxta &

moderati animi temperamento. Unde in ſpem ac fiduciam erigimur minime dubiam, Majeſtatem Veſtram facile ab illa bonitate ſibi propria atque innata animi generoſitate impetraturam, ut cohibito armorum impetu ſpatium concedere velit tantiſper, dum de controverſiis enatis citra vim & armorum ſtrepitum mutuo tollendis commoda & idonea aliqua ratio ab amicis Principibus iniri quamprimum poſſit atque medium proponi: Quandoquidem haud eſt obſcurum minime hinc abhorrere & alteram partem, & ab alia æquitatis atque concordiæ reducendæ occaſione ac via neutiquam fore alienam. Id quod ab Regia Majeſtate Veſtra tanto etiam magis expectari par eſt, quo pluribus illa ac manifeſtioribus documentis orbi jam pridem teſtatum fecit, quam ſit ab omni bellandi ſævitie atque humani ſanguinis effuſione animo ac cogitatione remota; quando, quæ alii libidine & cæca quadam ambitione inflammati bella ſæpe non neceſſaria appetunt, ea Majeſtas Veſtra, quanquam & non ſine cauſis inita & geſta feliciter, tamen publicæ tranquillitati donare potius in hunc diem, quam exercere pertinacius ex moderatione ſua ſemper duxit. Quapropter cum ita ſit animata Regia Majeſtas Veſtra, non eſt fortaſſis, quod pluribus ab ea laboremus hoc loco contendere, ut quantum omnino fert dignitas Ejus, quantumque communis utilitas poſtulat, paci ac ſaluti totius Europæ conſulere glorioſe velit, pergat detque hoc non magis bonorum omnium conceptæ de ſe exiſtimationi graviſſimæ, quam tot innocentium populorum, qui nunc belli imminentis
metu,

metu, parum abest, exanimantur, justissimis desideriis ac votis: Sibique certo persuadeat, nihil omnium rerum hoc quidem consilio, nec æquitate nec sapientia sua dignius, nec amplificandæ nominis Christianissimi gloriæ illustrius, nec ad Regni ipsius securitatem civiumque singulorum fortunas tutandas firmius quicquam ac stabilius suscipi a se atque excogitari unquam posse. Porro autem Nosmet ipsi, quicquid ad obtinendum scopum adeo laudabilem ac salutarem, ab omnibus denique tantopere expetitum, vel Nostris seorsim, vel junctis cum inclyto Sacri Romani Imperii Electorum senatu officiis atque consiliis eniti, elaborare atque efficere poterimus, id omne paratissimis animis eo a Nobis sedulo & pro virili collatum iri, pro constanti illo ac sincero, quo Majestatem Vestram observamus merito atque prosequimur, amicitiæ & necessitudinis cultu, serio in Nos recipimus atque pollicemur. Qui de cætero Regiam Majestatem Vestram felicissime usque valere ex animo precamur, atque iis florere successibus, quibus publico generis humani bono frui ac gloriari longum possit. Dabantur in Electorali Nostra Dresda, die 31. Maji, 1667.

Johannes Georgius II.
Elector.

## CCCCLXIV.

*Literæ Fiduciariæ* DUCUM BRUNSUIGO-LUNEBURGENSIUM, *Francisco Ernesto a Pla-*

*Platen, Ablegato suo, ad CAROLUM II. Hispaniarum Regem tradita, 1667.*

*Serenissime ac Potentissime Rex, Domine Consanguinee plurimum Colende.*

QUanto Regia Vestra Majestas Nos, Nostramque domum amplectatur favore, cum literis, tum ablegationibus suis non semel testatum fecit. Hinc cum arma contra provincias Circuli Burgundici movere necessarium duxerit, id ipsum quoque nobis significare, causasque ad bellum hoc suscipiendum impellentes aperire non dubitavit; Nos certe Regiam hanc benevolentiam grata semper mente agnoscimus, nihil magis in votis habentes, quam ut data qualibet occasione nostrum vicissim erga Regiam Majestatem Vestram impensum studium debita officiorum promptitudine contestari queamus. Cumque dicti in Belgio motus ita sint comparati, ut non solum tot laboribus partam inter duas istas Galliæ & Hispaniæ coronas concordiam (quam diuturnam semper precati sumus) non parum lædere, verum etiam longius præter opinionem serpere, & plurima toti Christiano orbi, cumprimis vero vicinis creare incommoda queant, non possumus, quin subortum istud ex successione Burgundica dissidium per pacifica remedia quantocyus optima ratione terminatum cupiamus.

Qua-

Quapropter insigni freti fiducia, quam de Regiæ Majestatis Vestræ æquanimitate dudum concepimus, virum Nobilem Franciscum Ernestum a Platen respective Consiliarium & fidelem nostrum ad Eandem ablegavimus, Ea, qua par est observantia petentes, ut Regia Majestas Vestra eundem coram admissum clementer audire & responsione desiderata dignari velit. Id ipsum officiis nostris paratissimis demereri nullo non tempore obnixe studebimus. Dabantur apud Acidulas Pyremontanas, die XXVI. Junii, cIɔ Iɔc LXVII.

Regiæ Vestræ Majestatis

*Consanguineus officiosissimus*

Ernestus Augustus, Episcopus Osnabrügensis, Dux Br. & Lüneburgensis.

*Consanguineus officiosissimus*

Georg. Wilhelmus, Dux Brunsf. & Lüneburgensis.

*Consanguineus officiosissimus*

Rudolph. Augustus, Dux Brunsf. & Lüneburgensis.

## CCCCLXV.

*Litera JOHANNIS CASIMIRI, Poloniæ Regis, ad Eminentissimum CARDINALEM URSI-*

*URSINUM, quibus contra factum summi Pontificis, quo nominatum suum a Cardinalitia dignitate excluserat, solenniter protestatur, 1667.*

## Johannes Casimirus, Dei Gratia Poloniarum Rex &c.

MAgno doloris sensu accepimus, promotione nupera Cardinalium Regiam nominationem Nostram postpositam esse, planeque ad cumulum malorum, quibus a Christiani nominis hostibus nos, Regnumq; Nostrum affligimur, accessisse, ut etiam hoc rerum statu a summo Pontifice indigne haberemur. Auget dolorem Nostrum ultra præcipitem & abruptam novo exemplo nominati Nostri exclusionem, quod Curiensium sermonibus jactari audiamus: Regibus Polonis Jus nominandi ad Cardinalatum non antiquitus competere, sed recenter quæsitum, neque in uno pontificatu bis usurpari debere, atque ut nominetur nuntius Papæ, aut aliquis destinatus a Pontifice hic & non alius, necessitate quadam Reges Poloniæ obligari. De antiquitate Juris non est, quod nimis certemus, cum enim sensim & recentius excreverit Cardinalitia dignitas, minor forte olim cura fuit Regibus, æque Polonis, ac aliis, eorum promotionibus partes suas commodandi: cæterum antiqua Majestate & magnitudine Imperii (ut merita resque pro Religione Catholica præclare gestas verbis non extollamus) pares omnibus Regibus Reges Poloniæ fuerunt, nec veneratio eorum erga sedem Apostolicam sincera & religiose demissa, illis præjudicio, ac noxæ pri-

priſcis Pontificum temporibus vertebat. Quod ſi novum jus in dubium vocetur, proclive eſt deducere aliqua jura a Pontificibus Romanis in Regno Noſtro noviter quæſita, & indulgenti Regum majorum Noſtrorum pietate ad ſummum provecta eſſe, quorum tamen uſui nihil detrahimus, nec ſanctius hactenus quidquam habuimus, quam pro aſſeveranda autoritate Pontificia, & propuganda Eccleſia Romana, non curam duntaxat & opes, ſed vitam ipſam devovere. An vero ſemel tantum in uno Pontificatu nominare ad Cardinalitiam dignitatem debeamus, exemplis aliorum Regum dicendum permittimus, cum neque plus nec juris & autoritatis, quam alii Reges poſtulamus. Reſtringi vero nominationem Noſtram ad Nuntios Apoſtolicos, vel ad perſonas a Pontifice deſignatas, quid dignitatis Nobis afferat? cum vel ipſa moderna promotione Cardinalium in aperto ſit Nuntios motu proprio Pontificio promoveri, alios Cardinales nominatione Regum ſeorſive creari, imo anteactis temporibus reſponſum fuit, Nuntios a Regibus Poloniæ nominari non debere, qui ex meritis ſuis ſolo beneplacito Pontificio provehantur. Cæterum ne tolerantia, ut ſolet, nobis derogemus, neve id exemplum contra Nos, & ſucceſſores Reges Poloniæ valeſcat, palam teſtamur, & teſtatum nomine Noſtro ab Illuſtritate Veſtra cupimus, Nos injuriæ ducere Suam Sanctitatem re Nobiſcum non tractata, nedum compoſita nominatum Noſtrum excluſiſſe, & quo gravius in conſpectu Orbis dignitas Noſtra, ac gentis Polonæ minueretur, locum & modum reparandæ injuriæ ne

reli-

reliquisse. Æquo exinde animo ferat Sua Sanctitas, si dissimulare gravem dolorem Nostrum non poterimus. Sensum vix reparabilis læsionis Nostræ quacunque ratione palam orbi facturi. De reliquo Illustritati Vestræ bonam valetudinem & felicitatem a Deo precamur. Dabantur Cracoviæ, die 20. Julii, Anno 1667.

CCCCLXVI.

*Litera JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad DOMINUM COLBERTUM, Primarium Aulæ Gallicanæ Ministrum, cui Legatos suos ad Regem Christianissimum missos eorumque negotia commendat, 1667.*

P. P.

NUllum quidem Nobis dubium est, quin quo simus erga Regiam suam Majestatem animo, quove studio ac cultu Eandem serio prosequamur, ex Regii in Aula Nostra Ministri, Viri Nobilis & eximii singulariter Nobis dilecti, Domini de Chassan, fideli relatione in Aula Regia abunde constet, Nostri tamen officii esse statuimus, hac de re per præsentium exhibitores Generosos & Nobiles, Cubicularios Nostros dilectos Nobis ac fideles, Dominum Johannem Fridericum Liberum Baronem a Burckersroda, Consiliarium Intimum & Cameræ Nostræ Præsidem, nec non Christianum Ernestum Kanne, Consiliarium, Aulæ Nostræ Mareschallum, Colonellum & Capitaneum aliquot Præfecturarum uberius docere. Qui & Verbis Nostris ostendent, quanti Amicitiæ benevolentiæque Regiæ honorem faciamus, & mandata insuper ipsis injuncta

cta Regiæ Suæ Majestati decenter exponent. Qua in causa Excellentiam Vestram, ut dictos Consiliarios nostros humaniter complecti, ipsumq; negotium favore suo, pro ea, qua merito pollet, plurimum gratia & autoritate prosequi ac promovere velit, majorem in modum rogamus. Perquam gratum id Nobis fuisse, Excellentia Vestra data occasione ipso opere experietur. Quam divinæ interim protectioni benevole commendamus. Dabantur Freibergæ die 6. Augusti 1667.

Nota. *Ejusdem cum præsentibus argumenti in simili occasione datæ quoque fuere ad Dominos LIONNAEUM & TURENNIUM.*

## CCCCLXVII.

*Literæ a S.R. IMPER. ELECTORUM ET PRINCIPUM LEGATIS, ad MARIAM ANNAM, Hispaniarum Reginam, a qua ferventes inter Galliæ Hispaniæque Regna belli motus amicabili transactione ut componi gratiose permittat, officiose contendunt, 1667.*

### Serenissima ac Potentissima Regina.

NOn sine magno animi mœrore accepimus oborta non ita pridem inter Regiam Majestatem Vestram Regemque Christianissimum dissidia eo erupisse, ut jam tum Provinciæ Belgicæ aperto bello accensæ, cum irreparabili Sanguinis Christiani, fortunarumque jactura vix non conflagrent. Judicabit facile Majestas Vestra, quæ quantave Nos subeat doloris molestia, dum vicinos Reges tam ar-

cto ſanguinis nexu conjunctos hoſtilibus invicem armis, collidi, quin & propinquas regiones iisdem fluctibus, niſi propitius Deus avertat, involvi, atque adeo Chriſtiani Orbis quietem periclitari videmus. Non eſt Nobis in animo inter utramque Majeſtatem Regiam in cauſæ arbitrium Nos ultro ingerere, vel modum agendarum rerum Majeſtati Veſtræ præfinire: Verum prout merito S. R. Imperii Electores, Principesque ac cumprimis viciniores ea tangit cura, quo exorti jam motus tempeſtive componantur, adeoque orbis Chriſtiani incendium & innocui ſanguinis profuſio avertatur, ita & muneri Noſtro plane convenire credimus, ut ſincero & a partium ſtudiis libero affectu, ad conciliandam pacem, officiorum Noſtrorum promptitudinem offeramus; Neque enim Nos latet ea, quæ Regiæ Majeſtatis Veſtræ nomen & gloriam illuſtrat & auget, æquanimitas, publicæque tranquillitatis cura, eamque Ipſi cum ſtudio & exemplo ſemper animi magnitudinem juxta ac moderationem fuiſſe meminimus, ut ambigere alienum ſit, quin Majeſtas Veſtra etiamnum paci bellum præferre ſibi inglorium ducat, ideoque ſane non poſſumus non optime ſperare, quin Majeſtas Veſtra ſopiendis hiſce diſſidiis prævertendisque gravioribus tempeſtatibus ſuavia atque opportuna applicare media quam bellum bello trahere & incertis eventibus cauſam & gloriam Regiam committere malit, quippe qui Majeſtati Veſtræ amicam compoſitionem jam ante non ingratam eſſe tum ex literis ejuſdem ad Regem Chriſtianisſimum 21. Maji die datis, tum ex declaratione Domini Marchionis de

Caſtel

Castel Rodrigo nobis persuademus, ac vicissim alte memoratum Regem Christianissimum, ubi hoc itidem Majestati Vestræ placuerit, ad ineundos in loco aliquo vicino neutrarum partium, utpote Coloniæ vel Leodii tractatus pronum esse percipimus. Obtestamur itaque Majestatem Vestram enixe, ut Regii animi magnitudinem, ex innato mansuetudinis moderamine ad restaurandam pacem concordiamque inclinare, eumque in finem compositioni amicabili deferre, nec non locum & tempus tractatibus suscipiendis quam primum designare velit, quo toti Orbi manifestum fiat, veram sinceramque Regiæ Majestati Vestræ mentem semper fuisse, ut eo potius modo, quam bello, nupera utrinque reflorescat amicitia, & Provinciæ Belgicæ, tot jam cladibus afflictæ, tranquillitati pristinæ restituantur. Nos interea, qui fidem & sinceritatem ad tam salutare negotium pollicemur integerrimum, confidimus simul officia hæc Nostra pacifica tum ad concordiam, tum ad prosperrimos rerum successus & Regnorum tranquillitatem Regiæ Majestati Vestræ non obfutura, quem in finem vota pariter Nostra ad supremum numen animitus effundimus. Dabatur - - - die 16. Septemb. 1667.

Regiæ Majestatis Vestræ

*Observantissimi & devotissimi*

N. N.

## CCCCLIIX.

*Literæ ejusdem cum præinsertis argumenti, a SAC. ROM. IMPERII ELECTORUM ET*

*PRINCIPUM LEGATIS, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ & Navarræ Regem exaratæ, 1667.*

## Serenissime ac Potentissime Rex.

NOn sine magno animi mœrore accepimus, oborta non ita pridem inter Regiam Majestatem Vestram Regemque Catholicum dissidia eo erupisse, ut jam tum Provinciæ Belgicæ aperto bello accensæ cum irreparabili Sanguinis Christiani fortunarumque jactura vix non conflagrent: Judicabit facile Majestas Vestra, quæ quantave nos subeat doloris molestia, dum vicinos Reges tam arcto sanguinis nexu conjunctos hostilibus invicem armis collidi, quin & propinquas Regiones iisdem fluctibus, nisi propitius Deus avertat, involvi, atque adeo Christiani orbis quietem periclitari videmus: Non est nobis in animo, inter utramque Majestatem Regiam in causæ arbitrium nos ultro ingerere, vel modum agendarum rerum Majestati Vestræ præfinire: Verum prout merito Sacri Rom. Imp. Electores Principesque, ac cumprimis viciniores ea tangit cura, quo exorti jam motus tempestive componantur, adeoque orbis Christani incendium, & innocui sanguinis profusio avertatur, ita & muneri nostro plane convenire credimus, ut sincero & a partium studiis libero affectu ad conciliandam pacem officiorum nostrorum promptitudinem offeramus; Neque enim nos latet ea, quæ Regiæ Majestatis Vestræ nomen & gloriam illustrat & auget æquanimitas publicæque tranquillitatis cura eamque ipsi cum studio & exemplo semper animi magnitudinem juxta ac mode-

derationem fuiſſe meminimus, ut ambigere alienum ſit, quin Majeſtas Veſtra etiamnum Paci bellum præferre ſibi inglorium ducat, ideoque ſane non poſſumus non optime ſperare, quin Majeſtas Veſtra ſopiendis hiſce diſſidiis prævertendisque gravioribus tempeſtatibus ſuavia atque opportuna applicare media, quam bello bellum trahere, & incertis eventibus cauſam & gloriam Regiam committere malit; Quippe qui Majeſtatem Veſtram ubi hoc Reginæ Catholicæ placuerit, ad ineundos in loco aliquo vicino neutrarum partium, utpote Coloniæ vel Leodii tractatus pronam eſſe percepimus, ac viciſſim alte memoratæ Reginæ Catholicæ amicam compoſitionem non ingratam eſſe, tum ex literis ejusdem ad Regiam Majeſtatem Veſtram 21. Maji proxime elapſi datis, tum ex declaratione Domini Marchionis de Caſtel Rodrigo nobis perſuademus; Obteſtamur itaque Majeſtatem Veſtram enixe, ut regii animi magnitudinem ex innato manſuetudinis moderamine ad reſtaurandam pacem concordiamque inclinare, eumque in finem compoſitioni amicabili deferre, nec non tempus & locum tractatibus ſuſcipiendis quamprimum deſignare, eoque legatos ſufficienti mandato inſtructos mittere velit, quo toti orbi manifeſtum fiat, veram ſinceramq; Regiæ Majeſtatis Veſtræ mentem ſemper fuiſſe, ut eo potius modo, quam bello nupera utrinque refloreſcat amicitia, & Provinciæ Belgicæ tot jam cladibus afflictæ, tranquillitati priſtinæ reſtituantur; Nos interea, qui fidem & ſinceritatem ad tam ſalutare negotium pollicemur integerrimam, confidimus ſimul, officia hæc noſtra

pacifica tum ad concordiam tum ad prosperrimos rerum successus & regnorum tranquillitatem Regiæ Majestati Vestræ non obfutura, quem in finem vota pariter nostra ad supremum Numen animitus effundimus. Dedimus 5. Octobr. 1667.

CCCCLXIX.

*Literæ CAROLI II. Hispaniarum Regis nomine ad S. R. IMPERII, ELECTORES, PRINCIPES ET STATUS datæ, quibus, ut a Sac. Rom. Imperio Circuli Burgundici defensio suscipiatur, sollicite rogatur, 1667.*

Magnificis, Nobilibus & Dilectis Deputatis & Legatis Electorum, Principum ac Statuum S. R. Imperii in Comitiis Ratisbonensibus congregatis.

*Carolus, Dei gratia Rex Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Jerusalem, &c. & Regina Domina Maria Anna ab Austria ipsius mater, tanquam ejus Tutrix, Curatrix & Gubernatrix dictorum Regnorum & Ditionum.*

CUm mei Status Provinciarum Belgicarum comprehendantur in circulo Burgundico, qui declaratus est, (ut scitis) circulus Imperii ac illius membrum & in ultima Diæta isthic celebrata Anno 1664. illo titulo ad bellum Turcicum accurrit, cum debitis omnibus pro sua parte copiis auxiliaribus manifeste apparet obligatio, quæ idem Imperium adstringit ad suscipiendam ejusdem Circuli defensionem, contra invasionem Regis Christianissi-

nissimi, qui pacis articulis anno præterito 1660. cum solenni adeo stipulatione inter Hispaniæ Galliæque Coronas conventis contraveniens, supra dictos Status cum suis Exercitibus potenter invasit. Ad quod tanti momenti negotium sua cura & sollicitudine bene disponendum, ad isthæc imperialia Comitia ablegavit, meo jussu Marchio de Castel Rodrigo Belgii Gubernator & Capitaneus Generalis Abbatem de la Belle vallee, majorem Decanum Bisantinum & Consiliarium Philippi, qui est item Consiliarius in Burgundiæ Parlamento. Et quamvis non dubitarem, quin mediantibus illorum officiis ac instantiis, quas interposuerunt apud Dominationes Vestras, & concurrentibus plurimis rationibus, quibus moveri debet Imperium ad summendas celeres & efficaces illas resolutiones, quas adeo convenit suscipere, ad securitatem ac defensionem sui Circuli tam principalis multum jam promota sit hæc materia, tamen ego quoque volui ad majorem animi mei expressionem hac occasione scribere ad Dominationes Vestras & illis exponere justam spem ac fiduciam, quam habeo, fore ut vestram autoritatem & zelum adhibeatis, ad promovendum commune Sacri Romani Imperii bonum disponendo ac decernendo, cum brevitate urgentibus rerum angustiis convenienti, auxilia necessitati præsenti correspondentia, ut liberari queat Circulus Burgundicus magnis illis calamitatibus, quas adeo injuste experitur. Equidem id spero a Vestris Dominationibus illarumque solertia, cujus rei nunquam oblivuscar, nullam de cætero præ-

ter miſſurus occaſionem ſignificandæ meæ erga vos gratitudinis. Sign. Madridi 24. Octobr. 1667.

Jo la Reyne

*& inferius*

Petro Fernandes del Campo.

J. Angelo.

CCCCLXX.

*Litera JOHANNIS CASIMIRI, Poloniæ Regis, ad EPISCOPUM CRACOVIENSEM, cui, quod ſibi per gravisſimas rationes, ad ſecundas, veluti ipſe ſuaſerat, tranſire nuptias non ſit licitum, candide exponit, 1667.*

Joannes Caſimirus, Dei Gratia Rex Poloniæ &c. &c.

*Reverende in Chriſto Pater, Sincere Nobis Dilecte.*

Accepimus Literas Sinceritatis Veſtræ die 6. Novembris datas, ad quas citius reſpondere, propter diſceſſum hinc noſtrum, non potuimus. Videmus in illis candidam Sinceritatis Veſtræ erga Nos benevolentiam, nec dubitamus eandem fideliter Nobis ſuadere novum matrimonium, licet illud ipſa ejuravit, cum exiſtimet id Nobis & dominiis Noſtris expedire. Sed ſicut Sinceritati Veſtræ integrum eſt & ſenſu ſuo abundare, & nobis conſilium ex animi ſententia porrigere: Ita Nobis viciſſim, imo magis convenit & opus eſt conſiderare & concludere hoc, quod reliquum vitæ noſtræ vel quietum vel difficile & turbidum reddere queat.

Verum

Verum omnino eſt, Deum olim dixiſſe: Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum. Sed tunc temporis id dixit, cum homo revera ſolus eſſet & unicus incola mundi, nec ullus alius propagandi genus humanum extra novam creationem daretur modus. Alioqui ſi hoc ſemper valeret, neceſſe Sinceritas Veſtra haberet damnare ſtatum Virginitatis, perfectionem Anachoretarum & dignitatem Presbyteratus: quorum omnium hæc eſt perfectio eſſe ſolum, id eſt, eſſe in ſocietate hominum ſine affectibus, quorum communionem vincula matrimonialia neceſſario habere debent. Puto non eſſe ad id operoſe reſpondendum Sinceritati Veſtræ, quod hæc Viduitas nobis in perſona noſtra noceat. Nam ſicut quisque ſua commoda optime conſiderat & curat, & contra vitat incommoda, ita bono jure & ex æquitate meremur apud Sinceritatem Veſtram & totum orbem judicium tale, ut fateamur Nos in matrimonio nullam pro nobis delectationem inventuros, cum in illud ex firmiſſimis rationibus animo inclinati non ſimus. Novimus bene & Regem Jagellonem poſt ſeptuageſimum & Maſiniſſam poſt octogeſimum annum & homines primævos ante diluvium poſt aliquot centurias annorum exactas generationi operam dediſſe. Sed ut argumentum hoc nos convincat, opus eſt deducere, eosdem illos homines illa ſua ætate tam caduca valetudine iisdemque morbis, qui Nos prægravant, fuiſſe obnoxios. Explicuimus hæc diſerte Sinceritati Veſtræ in privatis noſtris colloquiis, & poteſt Sinceritas Veſtra certo perſuaſa eſſe, nihil ex illo tempore in Noſtro corpore vel animo mutatum

 eſſe.

esse. Quod vero ad id quod extra nos est, attinet, non putamus quemquam extraneorum Principum adeo de nobis bene meritum esse, ut velimus opinioni vel usibus ejus vita nostra & votis ac commodis propriis litare. Nectant sane illi prout libet vincula & fœdera super excessu nostro: provideat Respublica de cujus corio luditur, qua ratione his molitionibus occurrendum sit. Nos enim non possumus coercere ambitum alienum, qui demum post fata nostra protenditur. Sufficit nobis Rempublicam de omnibus admonuisse. Etsi vero Deus nos filio bearet, non posset in tenera ætate & forte minus tunc temporis erga se inclinata animo Republica resistere prætensioni externorum. Ac proinde iterato matrimonio nec negotia Reipubl. difficultatibus expediremus & propriam prolem contemtui exponeremus, ac in æternam miseriam conjiceremus. Econtrario non videmus ulla ratione conjugium nostrum internas simultates & discordias in Polonia compositurum. Imo vero sicut hæ cœptæ sunt, priusquam nos in statu reiterandi matrimonii essemus, ita possent insigniter augeri, si animum ad secundas nuptias appelleremus. Certum enim est, Nos nequaquam passuros esse, ut nobis liberum eligendæ uxoris adimatur arbitrium. Ita fieri posset, ut talem comparem nobis sociaremus, quæ per omnia votis omnium non satis faceret, quæ majora dissidia secum ferret, quin & ipsi Sinceritati Vestræ moderni consilii pœnitentiam, si alia foret, quam quæ nobis est in corde Sincertatis Vestræ destinata. Consideret præterea Sinceritas Vestra nuptiales paratus cum magnis sumti-

ſumptibus conjunctos futuros. Nos autem paternis, fraternis & noſtris propriis debitis premi, & Rempublicam nolle nobis noſtras proprias impenſas refundere, adeoque nullam ſpem concipi poſſe, fore ut illa Nobis in hac re auxilietur. Denique ipſa pactio matrimonialis & ſanctio de tam gravi negotio multas ſecum ab utraque parte traheret difficultates. Expendat præterea Sinceritas Veſtra omnia argumenta ſcripto, cujus Eadem mentionem fecit expreſſa, & videbit ea directe ad præſentem caſum & perſonam noſtram eſſe reflexa. Velit itaque Sinceritas Veſtra de nobis eſſe perſuaſa, Nos nequaquam, ut Nobis conjugium binis vicibus perſuadeatur, paſſuros fuiſſe, ſi videremus, & arbitraremur id Nobis & Reipubl. expedire. Cum igitur firmam animi noſtri ſententiam Sinceritas Veſtra habeat ſibi perſpectam, velit aliunde Reipubl. conſulere. Quod reliquum eſt bonam valetudinem Ipſi animitus precamur. Dab. Varſaviæ d.22. Nov. 1667.

CCCCLXXI.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Electoris Saxoniæ, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ & Navarræ Regem, quibus ipſi pollicetur, ſe ſemper ſua ex parte eo collaboraturum, quominus aliquid Pacis Weſtphalicæ articulis aut fœderi ſe & ipſum inter inito contrarium committatur, 1667.*

**P. P.**

SIcut hoc unice maxime deſideravimus hactenus, ut Noſtrum erga Regiam Veſtram Majeſtatem ſtudium ac cultum reapſe demonſtrare poſſemus,

ita

ita insigni Nobis & gaudio & voluptati fuit ex Regiæ Majestatis Vestræ Literis die 5. Mensis proxime præteriti Versaliæ datis percipere, quod ipsi præcedentes Nostræ non ingratæ fuerint, ac simul pro suo in Nos benevolo animo placuerit tam abunde & tam prolixe generosam & vere Regiam mentem de rebus ad pacem & incolumitatem publicam spectantibus Nobis explicare, imo desuper de quibusdam separatis negotiis Nobis utique peracceptis Generosum & Nobilem Dominum de Chassan instruere, qui secundum suam consuetam dexteritatem omni ex parte Nostræ de Regia Vestra Majestate conceptæ spei & fiduciæ satisfecit adeo, ut non vulgares Regiæ Majestati Vestræ debeamus gratias, sedulo operam daturi, ne unquam suis commodis deesse videamur, ad quod Nos tum necessitudinis vinculum, tum arcti Nostri fœderis nexus & tot sua beneficia non immerito obstringunt & impellunt. Non sine magna quoque animi consolatione cognovimus, quod Regiæ Vestræ Majestati collibuerit de officiis Nostris, quæ ad componendas de Circulo Burgundico enatas controversias tendunt, tam benevole & præclare sentire & Nobis super hac re suum servandæ pacis studium sincere exponere; enixe igitur collaboraturi sumus, ut Vestra Majestas re & facto deprehendat, Nobis nihil esse antiquius & prius, quam ea, quæ in præcedentibus Nostris Literis die 27. Septembris hujus anni exaratis de fœdere Nostro serio tuendo promisimus, in effectum deducere, ac contra pacificationem Westphalicam Bello in Belgio jam vertenti Nos haud immiscere, nec in ullum

ullum Tractatum, qui Vestræ Majestati suspectus esse possit, unquam consensuros, neque consensisse, prout Ipsi, quæ de hoc constanti Nostro proposito contestati sumus, prænominatus Dominus de Chassan fusius referre poterit. Cæterum Regiam Vestram Majestatem feliciſſime valere & semper bono totius Christianitatis prosperis florere successibus precamur. Dabantur Dresdæ die 9. Decembr. 1667.

CCCCLXXII.

*Litera JOHANNIS CASIMIRI, Poloniæ Regis, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ & Navarræ Regem, cui factas Polonos & Moscovitas inter ad tredecim annorum spatium inducias pactumque contra Turcas, a quibus Poloniæ ingens belli periculum immineret, fœdus esse, amice refert, 1667.*

PRo devoto propinqui sanguinis, & bonæ correspondentiæ, ac strictioris amicitiæ nos inter atque Majestatem Vestram nexu certiorem eandem reddimus, pacem Polono-Moscoviticam, seu potius inducias ad tredecim annorum decursum feliciter, prout temporum præsentium ratio fert, compositas & conclusas, atque conjunctionem armorum contra Turcas, Tartaros, & rebelles Cosacos sancitam, juramento per Commissarios nostros & Moschoviticos corroboratam esse, & minime dubitamus, tum id Nuntium a Majestate Vestra consanguineo & conjunctissimo Principe prona aure & fraterno affectu acceptum iri. Cujus Christianissimo nomini, & pectori ea præcipue

pue insidet cura, ut potentia Turcica Regno nostro comminans, & proxime impendens reprimatur, atque Polonia Christianitatis antemurale tranquillitate pristina, & felicitate omni florescat. De cætero Majestati Vestræ longissimam valetudinem & prosperrimos successus ex animo precamur. Dabantur Anno 1667.

CCCCCLXIII.

*Litera fiduciaria a JOHANNE CASIMIRO, Poloniarum Rege, Joanni de Gnin Gninski, Ablegato suo Extraordinario, ad FRIDERICUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum tradita, 1667.*

Joannes Casimirus, divina favente Clementia Poloniarum Rex &c.

*Serenissime &c.*

ABlegato nostro extraordinario Illustri Joanni de Gnin Gninski &c. præter ea quæ prioribus literis & instructione nostra commissa habet, dedimus insuper in mandatis, ut Serenitatem Vestram nomine nostro certiorem reddat de transacta feliciter pace, seu potius induciis ad 13. annorum decursum sancitis nos inter atque Moschos, quod nuntium Serenitati Vestræ lætum fore pro ejus erga nos studio, ac multorum nexuum arctissimo vinculo minime dubitamus. Idem porro Illustris Ablegatus, ac noster, & Senatus Nostri Plenipotentiarius decenter Serenitati Vestræ exponet ea, quæ pactorum Bidgostiensium observationem intimæ amicitiæ, bonæ vicinitatis, mutuæque con-

confidentiæ firmitatem & incrementum concernunt. Cui ut pronam aurem, plenamque fidem Serenitas Veſtra adhibeat, amanter cupimus. De reliquo Serenitatem Veſtram Divinæ protectioni commendantes. Dabantur Anno 1667.

## CCCCLXXIV.

*Litera JOHANNIS CASIMIRI, Poloniæ Regis, ad FRIDERICUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum; quibus ab eo, ut Brandtium, ſubditum ſuum, cædis in Smogulechio perpetratæ autorem, pœnas huic facinori convenientes quam primum dare jubeat, ſolicite contendit, 1667.*

PAucos ante dies triſte & dolendum accidit facinus illatæ trunculentæ necis Generoſo Smogulecki Camerario & Colonello noſtro atque ad Comitia Regni Nuntio Terreſtri, quem Generoſus Brandt ſubditus Serenitatis Veſtræ inſidioſe in domo occidiſſe, ac famulos ejus tyrannice contrucidaſſe accipitur. Non poſſumus non indigne ferre tam atrox delictum in Regno noſtro patratum, præſertim, quod Ordines Regni cædem ornatiſſimi viri nepotis ex ſorore Magnifici Palatini Cracovienſis, ac, quod præcipue commovet animos Nuncii terreſtris, quorum ſecuritati jus Gentium ac Regni leges proſpiciunt, vindicatam quam primum velint, ut maximis animorum motibus inſtent; Serenitatem igitur Veſtram pro juſtitiæ zelo, & pro reciproco pactorum vinculo amanter requirimus, ut in dictum homicidam ſicarium Brandt, ejuſdemque criminis complices & coopera-

peratores, si forte in ditiones Serenitatis Vestræ profugerint, severius animadverti, & justitiam pro qualitate excessus administrari, ac successoribus defuncti decenter satisfieri quamprimum jubeat. Rem Principe dignam & amicitiæ ac fœderibus convenientem, nobisque gratissimam factura erit, quod minime dubitamus, Serenitas Vestra, quam de reliquo Divinæ Protectioni cum apprecatione longævæ felicitatis commendamus. Datum Anno 1667.

## CCCCLXXV.

*Literæ JOHANNIS CASIMIRI, Poloniæ Regis, ad METROPOLITANUM GAZENSEM, in Moschovia degentem, a quo amanter efflagitat, ut omnem in componenda Latina Græcaque Ecclesia pace & unitate operam navare haud gravetur, 1668.*

P. P.

EAm Christiani Principes una cum sceptro & corona longe gravissimam cogitationem suscipimus, ut inter civiles Regnorum curas veri Principatus firmamento Sacrorum & Religionis concordiæ studeamus, quod fiet, cum amplissimos lingua & ritibus divisos populos in unius Reipublicæ grande corpus Nostro in Regno divinus favor collegerit, huic semper omnem operam impendimus, ut qui uno legum complexu teneantur, iisdem aris templisque conjuncti, eodem sanctæ fidei spiritu animentur. Cujus piæ voluntatis Nostræ, quod Devotionem Vestram instrumentum singulare in vicino amicoque Nobis magno Mo-

scho-

ſchoviæ Ducatu ad præſens habere contigerit, peculiari in Dei Eccleſiam clementiæ acceptum referimus. Quanquam vero Devotio Veſtra ſua in Eccleſiæ concordiam propenſione, tam ſingulari ex longo Romanæ Eccleſiæ uſu, notitiaque collecto ſtudio nulla cohortatione egeat, tamen ut Regium quoque tot expetito Orientis Occidentisque votis negotio ſuffragium adjiceremus, Devotionem Veſtram etiam atque etiam enixe requirimus, ut ſuam diligentiam omnem in componenda Latinæ Græcæque Eccleſiæ pace & unitate conferat perſuadeatque, nihil ad firmandam Chriſtianorum Principum ſecuritatem, ad Græci nominis gloriam, ad populorum ſalutem retinendam augendamque iſta, quam exoptamus, utriusque Eccleſiæ concordia præſtabilius fore. Faciet Devotio Veſtra publicæ de ſua virtute exiſtimationi fidem, præſentique legationi perpetuitatem addet, dum eccleſiaſticas res diſcordia hactenus dilapſas concordia pacificus Auctor inſtaurabit. Pleni porro fiducia ſumus, Sereniſſimum Moſchoviæ Ducem, parem ex parte ſua zelum & ſtudium Chriſtiano Principe dignum tam exoptato negotio accommodaturum. Prout ea de re tam ad Ipſius Serenitatem, quam ad Reverendiſſimos in Chriſto patres Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas in Moſchovia hoſpitantes prolixius ſcribimus. De reliquo Devotioni Veſtræ Regiam Noſtram gratiam pollicemur & bonam valetudinem a Deo precamur. Dabantur Varſaviæ die 2. Januarii Anno 1668.

CCCCLXXVI.

*Litera JOHANNIS CASIMIRI, Poloniarum Regis, ad ALEXANDRINUM & ANTIOCHENUM PATRIARCHAS, Moscuæ commorantes, quibus sibi Latinæ Græcæque Ecclesiæ conjunctionem, curæ cordique fore, atque modo per Magni Ducis Moscoviæ concessionem liceret, cleri Polonici nomine Legatos confestim isthuic operi laudabili perficiendo adfuturos pollicetur, 1668.*

P. P.

Retulerunt Nobis Legati Nostri ab Aula Serenissimi Magni Moschoviæ Cari, fratris, Vicini & fœderati Nostri revertentes, Devotiones Vestras in Metropoli Moschoviæ in præsentiarum hospitari, simulque edocti sumus, pacem Nos inter & Magnum Moschoviæ Carum sancitam cum lætitia & summa gratulatione a Devotionibus Vestris acceptam esse. Iidem memorati Nostri Legati adjecerunt propositum esse a Devotionibus Vestris, ut post compositam civilem pacem, de componenda pace ecclesiastica tanto sanctiorem & digniorem curam susciperemus, quanto æterna beatitudo terrena ista, & caduca felicitate præstantior est, ac semper maximorum Regum & Principum contentio fuit, ut divinam gloriam, extirpationem paganorum, sanctæ fidei catholicæ a Salvatore Nostro Domino JESU CHRISTO institutæ, & pretioso sanguine confirmatæ incrementum & decus quam maxime promoverent; exinde lætum Nobis fuit audire, tam piam & sacris præsulibus dignam propositionem, qua permoti consilium & desi-

desiderium Nostrum hisce quamprimum Devotionibus Vestris explicandum duximus. Quid enim magis a Nobis optari possit, quam ut post varios bellorum casus & discrimina extremos ætatis Nostræ dies, & gloriose gesta, hoc sublimi & sacrosancto actu pacis & unitatis inter Latinam & Græcam Ecclesiam reductæ, coronemus? Ab eodem unico fonte, & autore Domino JESU CHRISTO fides nostra fluxit, una fides, una Ecclesia, sub uno Capite Christi Vicario multis seculis duravit, nulla Tyrannorum sævitia, aut Hæreticorum machinis exorientis adhuc Ecclesiæ firmitas everti potuit, imo per ardua & adversa, per cædes & sanguinem magis effloruit: Sancti illi Patres Græci, quorum doctrina fulget Ecclesia, unitatem & concordiam servaverunt, aliæ potius causæ, quam pietas & divinæ gloriæ zelus dissidium fecerunt, & vestem hanc Christi inconsutilem lacerarunt. Neque vero tam magna varietas est controversiarum Ecclesiasticarum inter Occidentalem & Orientalem Clerum, ut si recta intentio & voluntas adsit, ac Doctorum & piorum virorum conatus paulo diligentius allaboret, conciliari & ad unitatem revocari nequeat; fundamenta eadem fidei Nobis sunt, sacram scripturam & traditiones Apostolicas, tanquam Regulam & Magistram habemus, eorundem antiquorum Patrum libris innitimur, ritus tam Latini Græcorum, quam Græci Latinorum admittimus, Sacramenta a CHRISTO Domino instituta, pariter observamus, inclytam Virginem Mariam Deiparam, Sanctosque Dei ac Imagines & reliquias eorum veneramur; aliquæ difficultates, si

Ii 2 recte

recte explicentur, non magno negotio submoveri & sopiri Deo auxiliante possunt. Huic vero tam præclaro & cœlo terrisque exoptato negotio adeo incumbere parati sumus, ut non Regiam tantum dignitatem & autoritatem Nostram, omnesq; , quæ in Nobis sunt, vires, sed vitam etiam ipsam libenter advocamus. Nec dubitamus Serenissimum magnum Moschoviæ Carum pari studio & pietate in promovendo tam sancto opere nobiscum certaturum, ea de causa scribentes ad suam Serenitatem optamus & consulimus, ut tempus certum præfigatur, ac locus designetur, in quo commode per Delegatos Reverendissimi in Christo Patris Archiepiscopi Gnesnensis aliorumque Dominorum Episcoporum Poloniæ, una cum Reverendissimis Devotionibus Vestris ac Domino Patriarcha, & Metropolitanis Vladicisque Moschoviæ, seu eorum delegatis conferentia haberi, tantæ molis concordia & unitas Ecclesiarum atque animarum salus tractari & feliciter stabiliri valeat, speramus etiam sanctissimum Pontificem Romanum Clementem IX. pro sua pietate, & zelo huic tractationi paterne assensurum ac per literas seu Delegatum suum adfuturum, prout ea de re scribemus ad ejus Sanctitatem. Porro deliberantibus Nobis de tempore & loco tempus videtur idoneum in mense Junio, locus in Civitate Metropolitana Moscua, si ita placuerit Serenissimo Magno Moschoviæ Caro, tum & Devotionibus Vestris, qua de re literarium responsum ad Nos, quam primum expectantes Devotis in Christo Paternitatibus Vestris bonam Valetudinem

nem & proſperitatem a Deo precamur. Dabantur Varſaviæ die 2. Jan. Anno 1668.

CCCCLXXVII.

*Litera ANDREAE OLSZOVII, Procancellarii Regni Poloniæ, ad EMINENTISSIMUM CARDINALEM PROTECTOREM POLONIAE, de Latinæ Græcæque Eccleſiæ divortio tollendo & utriusque facili negotio reduniendæ occaſione agentes, 1668.*

P. P.

TAmetſi multo ſeculorum retro decurſu, ac recentiore memoria, ingentibus ſacræ Romanæ Eccleſiæ ſtudiis Græcos inter Latinosque conſenſio quæſita hactenus intra vota potius ſteterit, quam integre aliquando coaleſcere potuerit, tamen ad omnes ſanciendæ iſtius concordiæ vias oculis animisque intentis excubare, ut maxima Dei cum gloria conjunctum eſt, ita populis Chriſtianis ſumme beatum & ſalutare; neque vero ſingularis pro Eccleſia ſua divinæ bonitatis cura & tutela deeſſe videtur, quæ ultro tanti operis materia in vicino & nuper fœderato Nobis Magno Ducatu Moſchoviæ ſubminiſtrata expetitæ pacis & unitatis fundamenta aperit orditurque; Certis enim Relationibus Sereniſſimo Regi meo compertum eſt evocatos ſuis e Græcia ſedibus a Magno Moſchoviæ Duce Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas, cum nonnullos ritus Pruthenorum ſublatis erroribus correxiſſent, tum non mediocre in ſanctam unionem voluntatis ſuæ argumentum

 de-

dediſſe; Nam cum iterato baptizari Latinos ſua forma, mos & inſtitutum illis eſſet, ac prima Quadrageſima Dominica in Romanum Pontificem & Eccleſiam publico Anathemate privata odia vindicare, utrumque rati impium ita abolevere, ut nihil videatur reſtare, quam prono calentique negotio manus ab Urbe facemque adminiſtrari, ut ex annexis copiis literarum Regiarum, quæ ex Cancellaria mea mittuntur, tum ex Relatione in ſcripto porrecta Religioſi ex Ordine Sancti Dominici informari poterit Eminentia Veſtra, quanto ſtudio Magnus Moſchoviæ Dux & Patriarchæ memorati ad unionem cum Eccleſia Catholico-Romana propendeant; quod Suæ Sanctitati Domino Noſtro per Eminentiam Veſtram quamprimum referre mei muneris exiſtimavi, ne conceſſum rebus fidei provehendis tempus, more & cunctatione corruptum effluerct. Neque dubito ſuam Sanctitatem æmula Prædeceſſorum ſuorum pietate tam grandi negotio manus paternas admoturam, tanto felicioris ſpe eventus, quanto circumſtantiæ temporis & Perſonarum magis ad præſens & ultro conſpirare videntur. Animus mihi eſt in Moſcuam abeundi & operam utiliter pro Eccleſia Dei navandi, ſi Regia Majeſtas id permiſerit & ſanctiſſimo Domino ita complacuerit. Hæc paucis innuens de reliquo obſequiorum meorum veterem devotionem Eminentiæ Veſtræ ex animo commendo. Dabantur die 26. Menſis Jan. An. MDCLXVIII.

CCCCLXXVIII.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Saxonum Electoris, ad MARCHIONEM DE CASTEL* RO-

*RODRIGO, Provinciarum sub Carolo II. Hispaniarum Rege, in Belgio Hispanico Præsidem, quibus ipsi Ulricum Comitem a Kinski impense commendat, 1668,*

**P. P.**

Militavit jam ab aliquot annis Sereniſſimo & Potentiſſimo Hiſpaniarum Regi in expeditione Belgica præſentium exhibitor, generoſus Dominus Ulricus Comes a Kinsky, Conſiliarius hactenus Noſter in re militari intimus, & Camerarius, ſuique tunc temporis ejusmodi experimenta dedit, ut non minus Colonelli munere, quam gratia Regia inſignis redderetur. Cum igitur devotum ſemel Coronæ Hiſpanicæ atque adeo Sereniſſimæ Auſtriacæ Domui animum recentibus modo rerum argumentis comprobare, atque ad ea, quæ pridem ſub ſignis regiis ſtipendia meruit, pari conſtantia & fide reverti ſecum conſtituerit, laudabili ejus inſtituto, pro noſtra in ipſum benignitate & gratia deeſſe noluimus. Ac proinde ab Excellentia Veſtra peramanter poſtulamus, ut pro præſenti Regiæ militiæ ſtatu Colonellum hunc in provehendis ejus rebus & procurandâ ſtatione condigna imprimis ſibi commendatum, atq; eo loco habere velit, unde commendationis hujus noſtræ fructum ipſo facto, prout confidimus, experiatur. Perquam gratum in eo Nobis faciet Excellentia Veſtra officium & Noſtram viciſſim in ſe propenſam voluntatem quavis oblata occaſione oppido ſentiet. Cui interim proſperos rerum gerendarum ſucceſſus benevole precamur.

Ii 4 Daban-

Dabantur in Electorali Nostra Dresda die 29. Apr. Anno 1668.

CCCCLXXIX.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem, cui ingentes persolvit grates, quod se in Ordinem Equitum a Periscelidis insigni nuncupatorum cooptari decreverit, 1668.*

Serenissime & Potentissime Rex.

REgiæ Vestræ Dignitati salutem dicimus, & operam nostram in omni officiorum genere paratissimam, offerimus. Domine Consanguinee & Affinis colendissime. Ex quo Nobis per Regiæ Vestræ Dignitatis præclarum non minus atque fidelem in oris Germaniæ Residentem Ministrum, Generosum Equitem, Dominum William Swan, quem ob egregia ejus merita pridem nobis cognita præcipuo loco habemus, innotuit, quod intuitu sanctioris illius, quæ jam diu inter Regiam Vestram & Nostram Electoralem Domum constanter viget, necessitudinis, R. V. Dignitas in Magnæ Britanniæ Equitum Ordinem de Gartier Nos cooptari decreverit. Nostrarum partium omnino esse censuimus, magnas Eidem pro tam insigni Regii in Nos animi symbolo & destinata Nobis, quam quidem ea, qua par est, hilari mente accipimus, tam celebris Ordinis tessera, per solennes hasce gratias referre. Et quemadmodum honorifico hoc mutuæ conjunctionis vinculo eo arctius Nos pristinæ Necessitudinis legibus adstrictos profitemur; ita quoque singulariter Nobis

bis gratæ erunt, prout ſedulo circumſpiciemus occaſiones, quibus digniſſimi hujus Ordinis Uſuram condignam in ornamenta & commoda Veſtra Regia convertere, adeoque ſtudioſæ Noſtræ in Regiam Veſtram dignitatem voluntatis grata ubique experimenta edere valeamus. Quibus diuturnam porro Regiæ Veſtræ Dignitati valetudinem proſperumque Regnorum & Regiæ Domus florem ab omnipotente Deo animitus precamur, Dabantur in arce Noſtra Electorali Dresda, die 5. Maji, Anno 1668.

Johannes Georgius II.
Elector.

## CCCCLXXX.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad FERDINANDUM II. Magnum Hetruriæ Ducem, quibus nullas ſibi ob facta Principi Ipſius Hæreditario, Dresdam tranſeunti, optimæ voluntatis teſtimonia gratias competere, modeſte aſſerit, eumque perpetuæ propenſionis ſuæ ſecurum eſſe jubet, 1668.*

P. P.

GRatæ admodum Dilectionis Veſtræ literæ ſub decimo ſeptimo Aprilis proxime ab hinc elapſi datæ Nobis extitere, cum quia valetudinis & rerum Veſtrarum florentiſſimarum nuntiæ, tum etiam quod Dilectio Veſtra edita nuper Noſtræ in Sereniſſimæ Domus Veſtræ Principem natu maximum, hic tranſeuntem, voluntatis optimæ teſtimonia,

quæ etiam citra culpam Nostram omitti non potuissent, tam honorifica gratiarum actione prosequi voluerit. Nobis sane gratulati sumus, ex quo haud vulgare illud decus ad sanctiorem illum conjunctionis Nostræ cultum accessit, quod dictus Serenissimus Princeps, in quo præsente magnitudinis non minus atque amicitiæ paternæ imago præclare eluxit, flexo in perlustrandis oris hisce cursu, aulam hanc non sine Domus Nostræ Electoralis exhilaratione salutatum ire, suique complectendi Nobis copiam facere sustinuerit. Quemadmodum igitur illustre illud in Nos affectus Vestri monumentum merito in obligationum Nostrarum numero reponendum censemus: ita quoque quas comprobandæ voluntatis Nostræ partes festinantis juxta Hospitis, cui felicem in patrias oras reditum precamur, comitas, nec non incommoditas tempestatis tunc temporis prohibuere, non nisi æqui bonique a Dilectione Vestra consultum iri confidimus. Nihil porro ad officium Nostrum facturi reliquum, quo mutuæ Nostræ necessitudinis vigor, pro eo, ac par est, indies augeatur, adeoque ad seros usque posteros utrinque transmittatur. Prout idem Nobis de Serenissima Domo Vestra abunde pollicemur. Atque adeo Dilectionem Vestram quam diutissime salvam sospitemque rebus humanis superesse etiam atque etiam cupimus. Dabantur Dresdæ, die 8. Maji, 1668.

## CCCCLXXXI.

*Literæ* JOHANNIS CASIMIRI, *Poloniæ Regis, ad* CLEMENTEM PAPAM IX. *qui-*

*quibus Ipsi, ceptum a se abdicandi Regiminis consilium exponit, orbataque Capite suo Reipublicæ Poloniæ curam modeste commendat, 1668.*

POst oscula pedum Sanctitatis Vestræ, mei Regnorumque meorum ac Dominiorum humillimam commendationem, Religionis sanctæ & meæ erga sanctam sedem devotionis, ut Sanctitati Vestræ, quem Vicarium ejus, per quem Reges regnant, agnosco & veneror, filiali obsequio & confidentia deferam, quoties clare aliquod mutationis concernens intervenit momentum, plures jam sunt anni, ex quo curis & ætate fessus boni publici Regni mei providus, & salutis animæ meæ, quam inter regnandi artes operari est difficile, satagens proposueram Statibus Regni, quo Electione libera adscito regnaturo post fata mea Principe orbitati meæ commodisque publicis consulerent; disjecto vi & ordine fatorum hoc consilio, & auctis annis meis malisque publicis non aliud meis & subditorum convenire reperi, quam abdicato in manus Reipublicæ Imperio, eam in liberrimo electionis exercitio & in optione vitæ constituere, quam residuo dierum meorum & parandæ æternæ quieti commodam judicavero, id me in futuris comitiis certe excusaturum Senatoribus huc convocatis die hesterna declaravi; præcipua vero mea cura est, Sanctitati Vestræ consilium meum hoc approbari, qua de Causa Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Galeaceum Marescottum, Archiepiscopum Corinthiæ, Nuntium Sanctitatis Vestræ omnia fide relaturum, atque jam in antecessum diadema meum benedictione Sanctæ Sedis assumptum

ad

ad pedes Sanctitatis Vestræ depono, non aliud inde resumpturus, quam eandem Sanctitatis Vestræ benedictionem, sub cujus nutu & auspiciis reliquum vitæ transigere desidero. Sit hoc voluntarium ambitionis mundanæ, animæ & Regno meis oblatum sacrificium gratum in oculis Sanctitatis Vestræ, & ad gloriam seculi & Pontificatus Vestri, augeat exempla illorum, qui per jacturam terrenorum non pœnitendo commercio portum salutis quæsivere. Nec credat Sanctitas Vestra perdere se filium, qui sub firmo erga Sanctitatem Vestram obsequio lucrari animam suam, non respiciens retro contendit, aut perdere coronatum e filiis; succrescit enim benedicente per manum Sanctitatis Vestræ Deo dignus, qui impleat thronum meum, & ego sponsor esse ausim, non alium subditos mihi populos assumpturos Principem, nisi qui Religione Catholica & obedientia erga Romanam Ecclesiam ad solium hoc gradiatur. Conferet procul dubio Sanctitas Vestra in eam rem operam studiaque sua & Statibus Regni hujus sub interregno concordiam internam & veræ Religionis amorem paterna sua admonitione instillabit. Hoc est quod & ego Regno huic & ad præsens a Sanctitate Vestra flagito, & in excessu e throno commendatum curabo, existimans bene me subditos meos relicturum; ubi illis nihil de Protectione Sanctæ sedis & obsequio in matrem Ecclesiam decesserit. Interim Sanctitati Vestræ longævam a Deo valetudinem & felicissimum Sanctæ Sedis Apostolicæ regimen filiali devotione exopto, ac ejusdem paternæ Sanctitatis Vestræ Protectioni me Regnaque mea humillime sub-

ſubjicio. Dabantur Varſaviæ, die 13. Menſis Junii, Anno 1668.

Ejusdem Sanctitatis Veſtræ

*Obedientisſimus Filius*

Johannes Caſimirus.

## CCCCLXXXII.

*Breve CLEMENTIS PAPÆ IX. ad JOHANNEM CASIMIRUM, Poloniarum Regem, cui ne faſces regios, niſi cum vita deponeret, aut, ſi propoſiti ſui adeo pertinax ſit, ut dimoveri ab eo haud poſſit, ſaltem de digno ſibi ſucceſſore conſtituendo ante abdicationem proſpiceret, 1668.*

Clemens Papa Nonus.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Majeſtatis tuæ literas die trigeſima Maji datas reddidit Nobis dilectus filius Noſter Cardinalis Urſinus, earumque tenorem, & obfirmatam de Regno dimittendo ſententiam tuam voce quoque proſecutus eſt, quam rem omnem utique Nos non ſine paterna charitatis impenſa, ſollicitaque cura & attentione audivimus. Nunc autem ſumma rei gravitas exigit, ut pro impetranda luce, qua in tam arduo negotio bene dirigamur, ipſe Pater luminum enixis precibus adeundus Nobis omnino ſit. Quod idem adhuc etiam a Majeſtate tua plane fieri cupimus & ab eo ſummopere petimus, ut in hujusmodi tanti ponderis deliberatione, qua communi iſtius Regni bono,

bono, qua Christianitatis universæ rationibus recte consulatur, Nos equidem a prima usque Pontificatus Nostri die mentis oculos in res tuas, tuique Regni conversos & fixos habuimus, atque primis ipsis literis manu propria scriptis rogavimus Majestatem tuam, ut ad secundas nuptias transeundo Regiæ domus suæ successioni prospicere vellet, quo Religionis Catholicæ & publicæ quietis, res isthic illæsæ atque immotæ permanerent. In his cogitationibus, solius communis boni zelo ducti, nec ulli prorsus affectui, aut propensioni quorumcunque respectuum humanorum indulgentes usque perstitimus, hujusmodi sensus Majestati tuæ per Nuntium Nostrum identidem insinuantes. Quare non sine magna profecto solicitudine audire potuimus, Majestatem tuam in abdicandi Regni proposito mentem omnino fixisse, cum inde periculum impendeat, nedum pacis & quietis subditorum tuorum convellendæ, verum etiam rei Christianæ totius & Religionis Catholicæ rationum non mediocriter perturbandarum. Hinc Nos muneris Nostri debito nimium deesse videremur, nisi quod ex toto corde facimus, iterum a te vehementer postularemus atque flagitaremus, ut de retinenda corona consilium Nostrum accipere omnino velis, aut saltem hanc rem universam animo complexus, eam ita regere, ut successoris electio sequi possit absque ullo damno, aut etiam si possibile sit, cum emolumento & lucro sanctæ Religionis, ac totius istius Regni, quod se tam diu tantoque cum suo bono sub regimine amplissimæ domus tuæ fuisse gloriatur; Nos profecto huic eidem

dem rei atque fini cunctis animi viribus ex parte Nostra efficaciter incumbemus, tum erga personam præclarissimam tuam, in quocunque statu Te constitueris, eandem Paternæ charitatis eximiam voluntatem certe retinebimus. Quod autem attinet ad venerabilem fratrem Episcopum Bitenensem, Nos eum præcipuo sensu existimationis & benevolentiæ prosequimur, neque Nobis utriusque rei causæ quoque particulares desunt, cumque summopere Nobis cordi fuerit, Majestati tuæ in re præsertim tanto studio peroptata satisfacere posse, impedimenta, quæ hucusque paternæ propensionis hujus effectui obstiterunt, permoleste tulimus. Cæterum imprimis graves, & adhuc matura consideratione plane dignæ sunt eæ rationes, quas omnino in hac re perpendere debemus, uti Majestas tua, ut credimus, jam audivit, ac rursus audire poterit ex venerabili fratre Archiepiscopo Corinthi, Nuntio Nostro, cui fidem omnem habere volet, illud profecto sibi persuadens, omnibus in rebus, quibus Nobis permissum fuerit, gratificari Tibi posse. His animi paterni sensibus Majestati tuæ benedictionem Apostolicam amantissime impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die 7. Julii Pontificatus Nostri anno secundo.

## CCCCLXXXIII.

*Breve CLEMENTIS PAPAE IX. ad JOHANNEM CASIMIRUM, Poloniarum Regem, a quo iteratis precibus paterne contendit,* in

*ut a consilio de abdicando Regimine suscepto desistat, 1668.*

## Clemens Papa Nonus.

CHarissime in Christo fili Noster salutem & Apostolicam benedictionem. Etsi Majestas Sua ex aliis literis, quas nuper ad eam scripsimus, intelligere potuit, quam ingenti molestiarum & solicitudinum cumulo mentem nostram impleverit consilium ab ea de Regno dimittendo susceptum, tamen cum assidue Nostris cogitationibus usque plura & majora succurrant, quæ detrimenta, quæ pericula, tum Regno isti', tum etiam Reipublicæ Christanæ toti ex hujusmodi re procul dubio hisce temporum articulis exstitura, denuo te rogare & in Christi visceribus obsecrare constituimus, ut omnem cogitationem hanc deponere velis, aut saltem suspendere, donec Nobis, de causis, quæ te movent, certioribus plane redditis de re tanta & ad conscientiam quoque tuam vel maxime pertinente, communicatis Nobiscum consiliis maturius deliberare possis. Quare, si quid in hoc habes, quod animæ tuæ rationes tangat, etiam atque etiam a te petimus, ut antequam aliud quidquam decernas, id amori paterno Nostro fidenter aperire non omittas, memor, quod animæ tuæ rationem Deo reddere, in re præsertim ad tot aliarum animarum & populorum securitatem & salutem omnino spectante districte tenemur. Age igitur, charissime fili Noster, patrem tuum salutaria mandantem audi, respice tot hominum millia, quæ Deus curæ custodiæque tuæ commisit, ex tali facto tuo graviter peri-

periclitatura, & privatos voluntatis tuæ quoscunque ſenſus, quamvis alioquin generoſos, publico bono, nedum Regni tibi, Domuique tuæ amplisſimæ tam devoti atque devincti, ſed univerſæ rei Chriſtianæ multo generoſius remitte atque condona, aut certe tantisper in tempus opportunius provide differ, uti cuncta planius ex venerabili Fratre Archiepiſcopo Corinthi Nuntio Noſtro coram audies. Quam profecto ſententiam, ut animo æque pio ac præcelſo tuo pro ſumma miſericordia ſua Dominus inſinuare dignetur, eum enixe precamur, Majeſtati tuæ Apoſtolicam benedictionem amantiſſime impertientes. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 20. Julii, Pontificatus Noſtri anno ſecundo.

CCCCLXXXIV.

*Litera NICOLAI PRAZMOWSKII, Regni Poloniæ Primatis, ad LEOPOLDUM, Rom. Imperatorem, quibus ipſi refert, quod Johannes Caſimirus Rex, depoſito ſceptro, ſe ad ſacratioris otii quietem contulerit, 1668.*

P. P.

QUam felici ſerie Sereniſſimorum Stirps Jagellonidum tot ſeculis Imperium in hoc usque temporis momentum in Polonia Magnoque Lithuaniæ Ducatu continuaverit, id Sacræ Cæſareæ Majeſtati Veſtræ plusquam manifeſtum eſt, cum eidem ſummo Reipublicæ bono ac emolumento, cum ejusdem originis Principibus perpetui conſanguinitatum & affinitatum interceſſerunt nexus: hinc vero eſt, quod Regnum tanto triſtius ſuæ

ingemiſcat infelicitati orbatum optimo Principe, Supremo prædictæ Regnatricis Domus Hærede Sereniſſimo Joanne Caſimiro. Qui dum illuſtri fama XX. annorum faſtos impleviſſet, ac Regiæ poteſtatis faſtigium ſtationem non portum reputaſſet, indeque meditandis æternitatis momentis ſacratioris otii quietem reſpiceret, non expectato fatorum termino Regni hujus faſces in manus Reipublicæ ſummo Ordinum mœrore depoſuit. In hanc itaque deplorandam conjecti orbitatem præſentis Status Noſtri rationem notitiæ Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ inſinuamus, idque ex merito Noſtræ in eandem obſervantiæ, qua in venerantium cenſu nulli unquam fuimus ſecundi, non ambigimus, quin Sacra Cæſarea Majeſtas pro Sua, quam ſemper pronam & addictam agnovimus, erga Nos voluntate, non ſolum orbitatem hanc Noſtram dolenter excipere, verum etiam benigne proſpicere dignabitur, ne quid contermino ditionibus ſuis & amiciſſimo ſemper Regno, hac rerum revolutione, ſuboriatur diſcriminis, quod publicam inter ſe ruinare aut confundere valeat incolumitatem, quod equidem plena in Sac. Cæſ. Majeſtate Veſtra operimur fiducia, ipſo eventu comprobaturi, quantum ejusdem Majeſtatis Veſtræ ambiamus benevolentiam ac gratiam, cui Nos devinctaque & amiciſſima ſtudia noſtra cum votis fortunatos rerum ſucceſſus Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ precantibus reverenter commendamus. Dabantur Varſaviæ, die 17. menſis Septembris, Anno 1668.

CCCCLXXXV.

## CCCCLXXXV.

*Litera NICOLAI PRAZMOWSKII, Regni Poloniæ Primatis, ad FRIDERICUM III. Daniæ Regem, cui Johannem Casimirum, Regno se abdicasse nuntiat, 1668.*

ITa divinæ placitum est providentiæ, ut rem Nostram publicam nulla perpetua beare velit tranquillitate, imo novis eandem continuo exerceat ærumnis & adversitatibus: Tot enim quassata malis, vix dum respirare cœperat, reductis duntaxat undique pacis ornamentis, cum Serenissimus Rex Joannes Casimirus, tot retro annis exantlatam Regiarum curarum molem & fastidium sanctioris otii malacia redempturus, simul & sese Regno die 16. præsentis abdicavit, & reipublicæ orbitatem induxit. Quanto proinde benignius Suæ Majestatis imperium experti sumus, tanto majori animi dolore hanc Serenissimæ Majestatis Suæ abdicationem ipsa exempli novitate mœstam & excipimus, & prosequimur. Serenissimæ vero Majestati Vestræ id eatenus communicandum duximus, ut eidem constet, quo periculi, amicissimum, ac non uno fœdere sibi addictum devolutum sit Regnum, & quæ illud maneant orbitatis incommoda; quod sicuti eo a Majestate Vestra animo, quo propensionem suam in Rempublicam nostram, hactenus multis manifestisque palam fecit argumentis, acceptum iri confidimus, ita non dubitamus fore, ut præsenti turbidarum rerum nostrarum statu, ea in hoc Regnum permaneant benevolentiæ officia, quæ amicissimi Regis humanitati maxime conve-

 niant.

nant. Cæterum proſperrimos rerum ſucceſſus Majeſtati Veſtræ prdcati obligatisſima noſtra commendamus ſtudia. Dabantur Varſaviæ 17. Sept. 1668.

## CCCCLXXXVI.

*Litera NICOLAI PRAZMOWSKII, Regni Poloniæ Primatis, ad CAROLUM XI. Sueciæ Regem, quibus ipſi, Joannem Caſimirum Regem, tot retro actorum annorum Imperii moleſtiis defatigatum, Regimine ad ſuaviorem graveſcenti ætati quietem abiiſſe exponit, 1668.*

P. P.

INter ſanctiores ſemper reputavimus curas, ut ea, quæ Nobis cum Sereniſſima Majeſtate Veſtra intercedunt vicinitatis, neceſſitudinum & mutuæ ſecuritatis jura probe coleremus, integre impleremus: Quod equidem viciſſim a Majeſtate Veſtra experti ſumus hactenus, ita, ut Reſpublica Polona gaudeat ſe tam arcto amicitiæ vinculo Regno Sueciæ eſſe adjunctam. Cûm vero inter amica Regna utraque communis eſſe debeat fortuna, mutuoque commercio læta æque ac triſtia communicanda veniant, celare Majeſtatem Veſtram non potuimus, quod cum Sereniſſimus Princeps Joannes Caſimirus, id quod reliquum ætatis ſupereſt, in privatæ quietis malacia ſubducere jam ante deſtinaſſet, tandem in proxime præteritis comitiis Regno ſe hocce abdicavit noſtro. Quanto proinde mœrore univerſam hanc impleverit Rempublicam facile judicare poteſt, quisquis paterni ejus in Nos Imperii,

ac

ac Nostræ erga Serenissimam Domum Jagellonicam devotionis non fuit ignarus. Hanc vero Orbitatem Reipublicæ Nostræ dum Majestati Vestræ communicamus, quod pro amicissima in nos voluntate sua fato Nostro indoleat, plane confidimus, eaque in nos profectura speramus officia, quæ in hoc statu a vicino & amico Regno merito expectari debeant. Cæterum dum prosperrimos rerum eventus Majestati Vestræ precamur, studia Nostra officiosissima eidem commendamus. Dabantur Varsaviæ die 17. Mensis Septembris Anno 1668.

## CCCCLXXXVII.

*Litera NICOLAI PRAZMOWSKII, Regni Poloniæ Primatis, ad CLEMENTEM PAPAM IX. quibus ipsi, quod Joannes Casimirus Rex, reliquum vitæ sanctioribus de salute æterna curis litaturus, humeros suos Regiminis moli subduxerit, officiose refert, ac paternas pro Republica Polona curas anxie commendat, 1668.*

### Beatissime Pater.

POsteaquam nec Sanctitatis Vestræ paternæ dehortationes, nec consanguineorum Principum dissuasio, nec ipsiusmet subditi populi, Senatorum Procerumque his comitiis congregatorum supplices preces obfirmatum ad abdicandum hoc Regnum Serenissimi Nostri Regis animum, a proposito dimovere valuissent, illud tandem diu meditatum, maximo omnium dolore executus est, cum die nupera 16. Mensis Septembris, omni regia potestate in plenis ac frequentissimis comitiis a se ab-

dicata, plenum Nobis Jus eligendi Successoris reliquit. Factum hoc cum primis Sanctitati Vestræ debui intimare, ut gravissimis curis, quæ incomparabilem Sanctitatis Vestræ vigilantiam, in universæ Christianitatis bonum incessanter exercent, ista quoque nec minor nec inferior cæteris accederet. Fiet profecto, ut tam porrecta ad omnes Orbis Christiani partes Sanctitatis Vestræ sollicitudo, nostro quoque septentrioni in tam arcto & ancipiti statu fluctuanti deesse nolit, quinimo Regno huic catholico & Sedi Apostolicæ dedititissimo, nunc præcipuum impendere dignabitur Sanctitas Vestra studium, cui cum Regem domo accersere non possumus, aliunde omnino quærere Principem debemus ignari & inscii, quemnam cælestis providentia throno huic destinarit. Supplex proinde patrocinium Sanctitatis Vestræ Procerum Regni hujus, ac Magni Ducatus Lithuaniæ nomine favoremque imploro, quo Benedictione paterna ejusdem Sanctitati Vestræ confirmati ejusmodi consilia ineamus, quibus jacturam pientissimi ac pro fide Catholica zelantissimi Regis in sufficiendo alio non dissimilis zeli & paris probitatis Principe resarcire possimus: Mihi imprimis, cui eo nomine tam difficilis interregni moles maxime incumbit, secunda post divinam, utpote vicariæ ejus, manus Sanctitatis Vestræ petenda venit, ut ea fultus huic tanto firmius insistam, murumque me pro Domo Dei ponam, quanto certior sum hac rerum metamorphosi insultibus hostium, eandem fore arietandam, atque cum hac humillima prece mea ad scabellum me pedum beatorum Sanctitatis Vestræ demittens

mittens eosdem reverendisſimo oſculo veneror. Dabantur Varſaviæ 17. Menſis Septembris Anno 1668.

## CCCCLXXXIIX.

*Literæ* NICOLAI PRAZMOWSKII, *Regni Poloniæ Primatis*, *ad* FRIDERICUM WILHELMUM, *Electorem Brandenburgicum, cui Joannem Caſimirum Regem Regii officii onus in manus Reipublicæ reddidiſſe explicat, 1668.*

QUemadmodum tempeſtas minari ut plurimum prius conſuevit, quam conſurgat, ita antequam Sereniſſimus Rex noſter, ultimum Jagellonicæ Proſapiæ pignus ac hæres, præſentis orbitatis turbine Rempublicam involveret, convocato non ita pridem Senatus Collegio id ſeſe facturum prædixit: Sperabamus nihilominus fore, ut aut ipſa temporis mora ille animi impetus miteſcendo conſideret, aut certe ſupplicum Regni Ordinum intenſione refrigeſceret, verum contra quam ominabamur, evenit, cum Sua Majeſtas Serenisſima vigeſimum Regni annum emenſa & per utramque experta fortunam, quam arduum ſit cuncta regendi onus, non tam curarum Regiarum faſtidio, quam meditandæ æternitatis motivo ad privatam tracta quietem, id quod reliquum eſt ætatis, ſanctioribus curis impenſura, Regno ſeſe in totius Reipublicæ conſpectu abdicavit. Quo facinore veluti nos ſummo dolore, ita & longe graviſſimis cumulavit curis, adeo ut rem cum Serenitate Veſtra, pro ea,

quæ nobis mutuo intercedit, necessitudine communicandum duxerimus, minime ambigentes, quin in hoc orbitatis statu, eam nobis velit contestari propensi animi sui voluntatem, quam semper hactenus a Serenitate Vestra experti sumus, dabimus vicissim operam, ut Serenitati Vestræ constet, quanti amicitiæ cum eodem pretium æstimemus, cui prosperos rerum eventus precati promptissima nostra studia commendamus. Dabantur Varsaviæ 17. Septemb. 1668.

## CCCCLXXXIX.

*Litera NICOLAI PRAZMOWSKII, Regni Poloniæ Primatis, ad EMINENTISSIMUM CARDINALEM, Regni Poloniæ Protectorem, cui Joannem Casimirum Regem, Regnum Poloniæ, non obstantibus contrariis totius Reipublicæ votis, dimisisse nuntiat, 1668.*

NOvo necdum in solio Sarmatico viso exemplo Serenissimus Joannes Casimirus regnare desiit, cum expectare noluit, ut sibi fata ultima eriperent Sceptra, verum cum eadem sponte diu præmeditata abdicare proposuerit, non potuere apud pientissimum Principem provinciarum & populorum pientissimæ preces, nec Senatus & Comitiorum lachrymæ, ne regnum dimitteret, aut unam imperii & conscientiæ curam resumeret. Itaque 16. Septembris solenni ritu & admirando fastus secularis contemptu, majori alacritate sceptra deposuit, quam susceperat, sui nobis desiderium relinquens, Successoris vero more Majorum liberrime eligendi potestatem, tam memorandum desideratissimi

tiſſimi Regis factum & repentinam Regni hujus orbitatem Eminentiæ Veſtræ, quam primum denunciandam duximus; quatenus Eminentia Veſtra pro ſolita rerum noſtrarum cura & protectione in tam vel maxime funeſto Reipublicæ caſu, ſtudio ſuo eidem deeſſe nolit, noſque favore & benevolentia proſequi, & quod maximum eſt, ad aras immaculatiſſimas, commendatiſsimos habere velit, has vero, quas ad Sanctiſsimum mittimus, dignetur Eminentia Veſtra Sanctitati ſuæ quantocius exhibere, nec minus Regni hujus neceſsitatem ac pericula, quæ interregni tempore ingruere ſolent, Sanctiſsimi Domini Noſtri providentiæ ac favori commendare. Cæterum Eminentiæ Veſtræ obligati noſtra deferimus ſtudia. Datum Varſaviæ 18. Sept. 1668.

## CCCCXC.

*Literæ NICOLAI PRAZMOWSKII, Regni Poloniæ Primatis, ad CARDINALEM QUENDAM, cui Joannem Caſimirum Regem relicta Republicæ liberrima ſucceſſoris eligendi poteſtate e ſolio ſe ad pacatiorem vitæ privatæ malaciam recepiſſe refert, 1668.*

**P. P.**

ITa hoc antemurale Chriſtianitatis in medio bellicoſiſsimi Septemtrionis conſedit, ut aut bellorum ictibus inceſſanter quaſſetur, quippe Barbarorum aut Hæreticorum junctum vicinio, aut arcana quadam fatorum intemperie, domeſtica exerceatur inquiete, ita profecto ea tempeſtate accidit,

cum enim hostica & Moschorum Schismaticorum arma, ut alia minora silentio prætercam, divino adspirante Numine & Serenissimi Regis Casimiri fortuna, ferro primum fracta, fœderibus denique composuissemus, refloruisse pacem diuturnam credere poteramus, nisi Nos in funestum interregni tempus repentinus Serenissimi Regis e solio discessus conjecisset; non prævaluere Senatus & omnium Provinciarum hortamenta, ut parta pace Sua quoque Majestas cum subditis populis in solio frueretur. Igitur cum in animum induxisset e publico in privatum secedere otium, tandem 16. Septembris solenni apparatu in frequentissimo Senatu & Ordinum consessuRegno & Reipublicæ summo omnium Nostro dolore valedixit; & quia mihi cum primis vacante throno, veluti Regni Primati, publicas reliquit curas, significandum id simulque quam enixe Eminentiam Vestram rogandam duxi, quatenus pro suo apud sanctissimum favore Paternam suæ Sanctitatis in me derivare velit benedictionem & Patrocinium, cujus subsidio nixus arduam hanc valeam sustinere provinciam, deditissima cæterum obsequia mea Eminentiæ Vestræ defero. Datum Varsaviæ die 17. Mensis Septemb. Anno 1668.

## CCCCXCI.

*Litera NICOLAI PRAZMOWSKII, Regni Poloniæ Primatis, ad SACRAM CARDINALIUM CONGREGATIONEM, quibus Joannem Casimirum Regem fasces Regni deposuisse nuntiat, & Joannem Cantium in San-*

*ctorum*

*ctorum Professorum Catalogum referri totius Reipublicæ nomine sedulo precatur.*

P. P.

GRavisſimo rem noſtram publicamSerenisſimus Rex noſter Joannes Caſimirus afflixit caſu,dum depoſitis Regni faſcibus, ſublatoque placidisſimæ planeque Paternæ gubernationis ſuæ fructu in orbitatis, & interregni diſcrimina dedit præcipitem. Non ambigimus illuſtre & ipſa novitate ſua eximium facinus tamque ſtupendum Europæo orbi exhibere ſcenam, quam nobis cauſavit. Hoc vero publici mœroris ſenſu perculſi, dum attentæ mentis indagine adverſus quævis pericula ſcrutamur præſidium, non eſt unde præſentius, quam a divorum Poloniæ Patronorum præſtolamur patrocinio; Eorum vero catalogo ut Sanctitas ſua Servum DEI Joannem Cantium accenſere dignetur, Senatus, Clerus, populusve Sarmaticus ſupplicibus contendit precibus. Proponentur Sacro Eminentiarum Veſtrarum Collegio inſignia Divi hujus miracula, quibus vitæ ſanctimoniam illuſtravit, deducentur, & ea authentico proceſſu beneficia, quæ ejusdem ſuffragio in dies cælitus in nos derivantur. Quare plurimum Eminentiæ Veſtræ de nobis totoque hoc Regno merebuntur, ubi ferventisſima noſtra, & univerſi deſideria populi ad votivum provexerint effectum, eoque ſanctisſimum Dominum noſtrum promoverint, ut Candidatum hunc noſtrum in Sanctorum Confeſſorum tribum referre dignetur, talique honore a populo colendum decernat, qualis Beatisſimarum mentium cætui,

tui, ab Ecclesia DEI in terris impenditur, quod equidem tanto majori exoptamus desiderio, quanto prolixiori fœnore vota nostra a Beatissimo hocce DEI servo coronanda speramus. Faciet Sanctitas sua rem, & divinæ laudis auctoramento congruam, & excitandæ Christianitatis zelo maxime proficuam, grande insuper nostræ erga Sanctam sedem devotioni & reverentiæ præmium accedet, afflictisque rebus nostris certum dabitur solatium. Quam in rem Eminentiarum Vestrarum promotricem operam sollicitamus, ut pietati nostræ Regnique emolumentis consulant, prosperrimos iisdem rerum successus precati, devotissima nostra deferimus obsequia. Datum Varsaviæ in Conventu Generali Mense Septemb. 1668.

## CCCCXCII.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad COSMUM III. hæreditarium Magni Etruriæ Ducis Principem, cui pro mulis Neapolitanis sibi transmissis ingentes gratias refert, & Domenicum Melani proxime in Italiam iturum, clementissime commendat, 1668.*

P. P.

POstulabat quidem Jure quodam Suo ea, quæ jam olim inter utramque Domum Nostram sancte coaluit, necessitudo, ut quam non ita pridem Dilectio Vestra coram continuandæ utrinq; benevolentiæ pro celebrata sua comitate Nobis præivit

ivit viam, ex noſtra quoque parte, prout per præſentium exhibitorem ultro Nobiscum conſtitueremus, perſecuti fuerimus. Haud exiguum tamen ad id, quod partium Noſtrarum erat, obligationis acceſſit monumentum, ex quo juſſu Veſtro transmiſſos in uſum Noſtrum tres ſelectiores mulos Neapolitanos, decenter inſuper deprædicata generoſi Dilectionis Veſtræ erga Nos animi teſtificatione, Nobis exhibuit, generoſus dilectus Nobis & fidelis Dominus Johannes Fridericus, liber Baro a Burckersroda, Conſiliarius Noſter intimus & Cameræ Noſtræ Præſes, munus Nobis longe gratiſſimum. Pro quo ingentes Dilectioni Veſtræ gratias agimus. Et ſicuti futuro horum animalium uſu jucunda Veſtri memoria, quam alias quidem recentem quotidie recolimus, quodammodo renovabitur; Ita non minus gratæ Nobis erunt, quas frequentiores deſideramus occaſiones, unde animum Noſtrum officii haut immemorem, tam in ſimili, quam in omnibus aliis, quæ ad commoda & ornamenta Veſtra pertinere videbuntur, reipſa declarare queamus. Et quia, cujus ſupra mentionem fecimus, præſentium exhibitoris, ex cubiculariis Noſtris Nobilibus atque Agentis Noſtri dilecti Nobis Domenici de Melani, probata Nobis jam diu fidei & obſequiorum integritas meruit, ut Dilectioni Veſtræ Perſonam nec non res rationesque ejus inſimul redderemus commendatiores, Eandem ultro permiſſuram confidimus, quo commendationis hujus Noſtræ fructum cliens & indigena Veſter ubique ſentiat. Quibus Dilectionem Veſtram per omnia

omnia prospere agere cupimus, Eidemque de intellecto ulterioris peregrinationis instituto, junctis pro secundo itineris cursu votis Nostris serio gratulamur. Dabantur in Electorali Nostra Dresda die 8. Octobris 1668.

CCCCXCIII.

*Commendatitia pro Gabriele Voigtio, a JOH. GEORGIO II. Saxonum Electore, ad FERDINANDUM II. Magnum Etruriæ Ducem exarata, 1668.*

P. P.

CUm pristinæ conjunctionis memoria recentibus subinde studiis sit renovanda, haut aliena quidem ab officio Nostro Dilectionem Vestram per præsentes hasce pro mutua necessitudine invisendi visa Nobis est occasio, ex quo devotus earum exhibitor Gabriel Voigt, nutu Parentis ejus viri honorabilis, Consiliarii Nostri aulici juxta & rei metallicæ, necnon primarii Cameræ Nostræ Interioris Secretarii, dilecti Nobis ac fidelis Domini Gabrielis Voigtii in Ebersdorff, qui Nobis in partibus & negotiis fidei ipsius commissis insignem tam diu præstat operam, suscepta in Italiam Vestram sui excolendi atque uberioris rerum usus peregre acquirendi causa, profectione, ad Dilectionis Vestræ aulam simul jussu animum non minus atque itineris cursum debita veneratione inclinare instituit. Huic enim ad Dilectionis Vestræ gratiam, quam ab eadem dictus parens ejus jam pridem isthic locorum præsens iniit, atque etiamnum

num grata memoria prædicat, liberiorem accessum vel eo benigne communiendum duximus, quod genuina ipsum paternæ virtutis vestigia legere libenter intelligamus. Pergratum ergo Nobis faciet Dilectio Vestra, si nostra causa subditum hunc nostrum, ad honesta atque egregia quoque adspirantem, gratiæ & protectionis suæ clypeo benigne complecti, eoque desideria ejus secundare, veluti confidimus, dignabitur, ut gratioso promotorialium Vestrârum interventu, facilior ipsi via, ad alia quoque illustria passim Italiæ loca porro patere queat. Quo nomine Dilectioni Vestræ præfatum Clientem Vestrum omni meliori modo etiam atque etiam commendamus, Eidemque florentissima rerum omnium incrementa ex animo precati, propensam Nostram erga se voluntatem, quacunque se offerente occasione quam testatissimam esse cupimus. Dabantur in arce Nostra Electorali die 10. Nov. 1668.

## CCCCXCIV.

*Literæ CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, quibus JOHANNI GEORGIO II. Saxonum Electori, Ipsum commilitonem ordinis, qui a periscelide nomen habet, unanimi Capituli consensu esse pronuntiatum, & jam ei insignia Ordinis per Commissarios ad id Delegatos transmitti significat, 1668.*

Carolus II. Dei gratia Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei Defensor, atque prænobilis Georgiani Ordinis vulgo a Periscelide nun-

nuncupati ſupremus Magiſter, Sereniſſimo Principi Domino Johanni Georgio (II.) Duci Saxoniæ &c. Conſanguineo, Affini & Amico noſtro chariſſimo ſalutem.

*Serenisſime Princeps, Conſanguinee, Affinis & Amice charisſime.*

QUomodo Celſitudo Veſtra non ita multo poſt in præſenti Ordinis Capitulo ad hoc expresſe convocato fuerit electa & Commilito ejus pronunciata, non Vos latet. Atque hoc uti confidimus Celſitudini Veſtræ non ingratum fore, tum propter ejusdem Ordinis claritatem, tum ob illius, quod in eo conferendo ſpecimen affectus erga Vos noſtri putavimus dare. De quo ut certior fiat, & quam Nobis ſit cordi curæque, ut quæ adhuc reſtant ad hoc abſolvendum tam gratum opus, quam cito perimpleantur, integrum amictum cum ſubligaculo cæterisque inſigniis Ordinis prima data occaſione ab electione Veſtra ad Vos curavimus transferenda tradendaque in manus dilectorum & fidelium Noſtrorum, Nobilis ſcilicet Viri Domini Thomæ Higgons, Equitis Aurati noſtrique in Germania Prolegati Extraordinarii, & ſpectabilis item Viri Domini Thomæ St. George e Fecialibus noſtris primariis, unius vices agentis Garterii, præcipui apud Nos ad arma Reguli, Oratorum & ad hoc Commiſſariorum noſtrorum. A quibus ut ea amanter accipiat, illis indui ſe ſinet, fidemque adhibeat præſentibus noſtris Oratoribus, Legatis ac Deputatis in omnibus ad illud negotium ſpectantibus, amice rogamus. Dabantur in Palatio

tio Noſtro Albæ Aulæ apud Weſtmonaſterium, die 29. Nov. 1668.

Celſitudinis Veſtræ

*bonus Conſanguineus & Amicus*

Carolus Rex,

ad mandatum ſupremi Devic. Lancheſter.

## CCCCXCV.

*Procuratorium CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, quo delegatos ſuos, quibus JOANNEM GEORGIUM II. Saxoniæ Electorem ſuetis Ordinis a periſcelide nuncupati ornamentis inveſtiendi curam commiſerat, inſtruxit, 1668.*

CArolus II. Dei gratia, Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, fidei Defenſor, atque prænobilis Georgiani Ordinis, vulgo a Periſcelide nuncupati, ſupremus Magiſter, omnibus, ad quos præſentes hæ literæ pervenerint, ſalutem. Cum Sereniſſimus Princeps Dominus Johannes Georgius Dux Saxoniæ &c. &c. (tot. tit.) Conſanguineus, Affinis & Amicus Noſter Chariſſimus, tam propter Generis ſui claritatem, quam eximias ejus Virtutes, quibus ſui nominis fama jam orbem Chriſtianum replevit; Nec minus quod ipſe, pro eis, quibus Nos eſt ſemper proſecutus affectu & obſervantia, tam abunde de Nobis ſit meritus, ut ei non ſolum omnia benevolentiæ atque amicitiæ officia tanquam Principi Nobis amiciſſimo referre, ſed etiam honores, quantum in Nobis eſt, maximos atque ampliſſimos impertiri peræquum judicaverimus,

rimus, maxime ad hæc convenire & Nostrarum partium esse censuimus, de more & instituto Majorum, qui maximis & amicissimis sibi Principibus, & eximia virtute & Nobilitate præditis viris hunc honorem persæpe habuerunt, præfatum Serenissimum Ducem & Electorem, in celeberrimam Nostram præfati Ordinis Georgiani societatem de consensu commilitonum, præviisque eorum de more calculis eligere, eumque commilitonem præfati Ordinis pronuntiare. Hac de causa, utque hoc tam gratum opus citius absolvatur, cum Nobis in animo sit & in præsentiarum ex more incumbat, ad præfatum Consanguineum Affinem & Amicum Nostrum subligaculum & Ceruleam Trabeam, cæterumque Ordinis amictum & apparatum, quibus tam Nosmet ipsi quam reliqui commilitones in festivis divi Georgii aliisque Ordinis Solenniis solemus uti, quantocyus transmittere, eamque Provinciam aliquibus ad hoc maxime idoneis e Nostris demandare. Nos pro ea fiducia, quam habemus in dilectis ac fidelibus Nostris, Nobili Viro Thoma Higgons, Equite aurato, Nostro in Germania prolegato Extraordinario, atque item in spectabili viro Thoma St. George uno ex præcipuis Nostris officialibus ad Arma, quorum fidem, solertiam & curam non semel experti sumus, præfatos Higgons & St. George (vulgo Sommers & Herald vocato & nuncupato,) veros & indubitatos Legatos & Deputatos ea in parte commisimus, dantes & tribuentes eis omnimodam potestatem, facultatem & Mandatum speciale, ut pro Nobis & Nostro Nomine ad præfatum Ducem & Electorem se conferant, su-

pra

pra memorata indumenta amictum & insignia Ordinis Ei peramanter offerant, ipsis Eum induant, jusjurandum in Verba statutorum Ordinis ab eo accipiant, cæteraque præstent omnia in similibus assolita, quæque tam ad Nostrum Ordinisque & dicti Ducis & Electoris decus, quam ad hujusmodi solennia rite & quam maximo poterunt decore exequenda opportuna & inservire judicabunt, non secus atque ipsi præstare possemus, dato quod illic Ipsi coram adessemus. Dabantur in Palatio Nostro Albæ Aulæ 29. Nov. Anno Domini 1668.

Carolus Rex.

(L. S.)

## CCCCXCVI.

*Literæ CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad JOHANNEM GEORGIUM II. Saxoniæ Electorem, quibus ipsi de fausta Nepotis JOHANNIS GEORGII IV. nativitate & auspicato novi anni initio gratulatur, 166 $\frac{8}{9}$.*

P. P.

PRiusquam ad Officium illud accedamus, quod a Nobis jure postulant Celsitudinis Vestræ literæ, decimo secundo Decembris novissime elapsi de bono recurrentis anni augurio, liceat Nobis in anni præteriti gaudia adhuc recentia oculos animumque paulisper retorquere, oculos quidem in alteras Celsitudinis Vestræ literas vigesimo die Octobris ad Nos scriptas, animum vero in gratissimam earundem materiam, nempe faustum novi Principis partum, unde Celsitudo Vestra dul-

cissimum avi Nomen sortita est, Filius ipsius unicus cum Serenissima Puerpera lætissimi parentes evasere, antiquissima autem Domus Electoralis exoptatum columen & augmentum nacta firmius, ad perennitatem grassatur. Vivat vigeatque isthoc tam multiplicis lætitiæ pignus & argumentum, ut qui nunc in cunis blande subridet Illustrissimus infans, olim Pater, olim avus ipse quoque salutetur, & ad seros Nepotes Saxonicæ Claritudinis facem transmittat. Hoc opportuno propitii Numinis dono Celsitudo Vestra quandam immortalitatis speciem visa est acquisivisse. Quod tamen impedimento Nobis esse non debet, quo minus (ut supra innuebamus) novi quoque anni initium Celsitudini Vestræ prosperum gratulemur, & progressum multo feliciorem exoptemus. Sed amplius de hisce aliisque affectus Nostri testimoniis coram disseret Ablegatus Noster Extraordinarius, qui jam pridem versus Celsitudinem Vestram iter suscepisset, nisi quod hyems solito asperior Regionibus Nostris diu incubuerit mariaque ac terras prorsus impervias reddiderit. Illius tamen adventum accelerabimus, cum tempus navigationis profectionisque paulo patentius obvenerit. Interea Celsitudinem Vestram cum universa Domo Electorali & clarissimis Ejusdem surculis Dei Optimi Maximi tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Palatio Nostro de Whitehall decimo octavo die Januarii 166 8/9.

CCCC XCVII.

*Litera CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad JOH. GEORGIUM II. Saxoniæ Electorem, de trans-*

*transmisso ipsi per præsentem Ablegatum Ordinis a periscelide nomen trahentis ornatu agentes, 1669.*

Carolus II. Dei gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei Defensor &c. Serenissimo Principi, Domino Johanni Georgio (II.) Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Duci, Sacri Romani Imperii Archimarescallo & Principi Electori (tot. tit.) Consanguineo, Affini & Amico nostro charissimo, salutem!

*Serenissime Princeps, Consanguinee, Affinis & Amice charissime.*

ANtiquissimum celeberrimumque ordinem nostrum Gartierii dictum, cujus tot Principes olim, summique ii, per orbem Christianum, Equites sociique extitere, Celsitudini Vestræ Electorali dignum pariter videri, quem eadem propensitate expeteret, ab amicis ipsius aliquot læti accepimus, volentesque summam illam existimationem, animoque nostro justissime conceptam de persona Celsitudinis Vestræ, utpote ex tam celsa origine tantaque meritorum gloria societati nostræ decori futura, insigniori quavis nota testari, in dictum illum præclarissimum Periscelidis Ordinem, quo unus idemque Nobiscum socius illius esset, una conscriptam Eam fore consensimus. Eumq; in finem præsentium latorem, dilectum Nobis ac fidelem Thomam Higgons Equitem Auratum, supremique Nostri Angliæ Concilii sive Parlamenti Senatorem, necessariis ad id instructum omnibus (adjunctoque etiam officiario ad ejusmodi negotia speciali

luit, condignas eidem gratias agimus, quod tam honorifica de partu Nepotis Nobis gratulatione facta participes Nos reddidit splendoris, de quo glorioso ejus Regimini Domuique Regiæ merito gratulamur. Deum Ter optimum maximum precacati, ut sceptra Regia omni porro rerum florentissimarum incremento cumulet. Nobis autem frequentiores præbeat occasiones, quibus novo jam benevolentiæ vinculo obstrictum Regiæ Vestræ Majestatis animum, & quantum Nobis fiduciæ de Regio Vestro in Nos affectu ex tam insigni argumento accessit, recentioribus subinde studiis palam testari queamus. Quade re Regiæ Vestræ Majestati Ablegatus non minus ac de his, quorum præterea mentio injecta est, prout confidimus, pluribus coram fideliter est relaturus. Adeoque hisce Regiam Vestram Majestatem, Regiamque Domum Vestram divinæ Protectioni serio commendamus. Dabantur in Electorali Nostra Dresdæ die 19. Aprilis 1669.

CCCCXCIX.

*Litera JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad FERDINANDUM II. Magnum Etruriæ Ducem, a quo, ut Johanni Pflugio, stationem inter cohortis suæ prætoriæ Equites gratiose concedere dignetur, amice contendit, 1669.*

P. P.

PRobavit Nobis, qui Dilectioni Vestræ hasce Nostras devote traditurus est, Johannes Pflug, Nobili apud Nos gente oriundus, suum in Italiam Ve-

Vestram proficiscendi Consilium, quo uberiorem rerum & quorum a prima inde adolescentia in aula Nostra tyrocinia fecit exercitiorum Equestrium usum acquireret, junctisque precibus a Nobis impetravit, ut honestos ejus conatus, pro ea, qua fideles subditos Nostros prosequimur gratia apud Dilectionem Vestram redderemus commendatiores. Eandem igitur pro mutuæ Nostræ benevolentiæ fiducia hisce peramanter rogatam volumus, ut benignitatis suæ favore Vasallum hunc Nostrum, majorum exemplo ad condigna natalibus suis adspirantem complecti, interque cohortis Vestræ prætoriæ Equites, si id quidem, prout confidimus, commode fieri potest, stationem Eidem gratiose concedere velit. Consequetur eo ipso speratum commendationis hujus Nostræ fructum, accepti beneficii omni tempore memor, & nostra porro studia atque officia in Dilectionem Vestram, cui prosperam valetudinem & florentem per omnia rerum statum a Deo precamur, constabunt. Dabantur in Electorali Nostra Dresdæ die 7. Aprilis 1669.

D.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem, quibus ipsi iterata vice, pro collatis sibi Ordinis, cui vocabulum a periscelide est, insigniis, gratias agit maximas, 1669.*

P. P.

Quam generoso Regia Vestra Majestas erga Nos feratur affectu, etsi haut obscuris Nobis

rerum documentis hactenus conſtitit, multo tamen luculentiora in eo eluxere, quod Nos in Equeſtrem Ordinis prænobilis Gartierii ſ. Periſcelidis ſocietatem per capituli ſuffragia eligere & cooptare, illoque nomine Oratores ſuos & Deputatos, Virum Nobilem Dominum Thomam Higgons Equitem Auratum &c. & ſpectabilem item Virum, Dominum Thomam St. George &c. cum mandato transferendi tradendique Nobis ſubligaculum cum cærulea trabea, cæterisque Ordinis inſigniis, iisque Nos de more inveſtiendi facultate ad Nos ablegare voluerit. Qua quidem in parte, ſicuti memorati Regiæ Veſtræ Majeſtatis Legati, redditis Nobis Regiis Veſtris Literis, commiſſum ipſis officium decenti ſolertia juxta & laudabili dexteritate, adhibitis de more publicis cæremoniarum ſolemnibus, hac in re abunde per omnia apud Nos explevere: ita Nos non modo auguſtum illud munus, laudata Ordinis inſignia, qua decuit æſtimatione, & quam etiamnum profitemur, gratæ mentis expreſſione ſuſcepimus, verum etiam pro virili annitemur, ut quæ unquam ad Ordinis hujus decus ac ornamentum ſpectare videbuntur, omni meliori modo provehere, tamque ſinceræ Regiæ Veſtræ Majeſtatis erga Nos voluntatis indiciis, paribus devincti animi ſtudiis atque officiis ubique digne reſpondere valeamus. Nulli dubitantes, quin de his omnibus apud Regiam Veſtram Majeſtatem Legati Veſtri fideliter ſint relaturi. Cui ab omnipotenti Deo proſperam Valetudinem & rerum omnium incolumitatem ſe-

rio

rio precamur. Dabantur in Electorali Nostra Dresda die 19 Aprilis 1669.

Regiæ Vestræ Majestatis

*Consanguineus & Affinis Studiosissimus*

Johannes Georgius II. Elector.

DI.

*Litera JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad JOHANNEM de GRENVILLE, Comitem Bathoniæ, a quo, ut Ordini a periscelide nominato, ea, quæ coram fieri consuevissent, sua vice præstare velit, modeste efflagitat, 1669.*

P. P.

Collato Nobis a Serenissimo & Potentissimo Principe, Domino Carolo II. Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rege Domino Consanguineo & Affine Nostro colendissimo prænobilis Georgiani Ordinis a Periscelide nuncupati, supremo Magistro, per splendidos Ablegatos suos Ordini, modo dicti axiomate, muneris Nostri ratio postulavit, ut quæ de more ordinis in frequenti capitulo coram fieri consuevere, per Vicarium Nostrum præstemus. Cum igitur hac in parte haud vulgariter commendatæ Nobis Virtutis Vestræ fiducia Nos teneat; peramanter vos hisce rogatos volumus, ut quicquid muneris hujusce Nostro Nomine in arce Windesoria obeundi adhuc restat, citra molestiam in Vos, virtute præsentis manu sigilloque Nostro roborati Procuratorii suscipiatis. Per-

gra-

gratum in eo studiosi Vestri erga Nos animi extabit argumentum, Nostramque benevolam erga Vos Voluntatem quavis occasione vicissim probatam dabimus. Dabantur in Electorali Nostra Dresda die 19. Aprilis 1669.

## DII.

*Procuratorium JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, quo Johanni de Grenville, Comiti Bathoniæ, plenam facultatem committit, omnia ea Ordini a periscelide dicto suo nomine præstandi, quæ adhuc præstanda absenti restarent, 1669.*

NOs Johannes Georgius II. Dei Gratia Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux, Sacri Romani Imperii Archimareschallus & Princeps Elector &c. &c. Omnibus & singulis præsentes literas lecturis, vel legi audituris salutem. Quandoquidem Serenissimus & Potentissimus Princeps, Dominus Carolus II. Dei gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex &c. Dominus Consanguineus & Affinis Noster colendissimus, supremus prænobilis Ordinis Gartierii sive Periscelidis Magister, pro antiquissima Regiæ suæ & Nostræ Electoralis Domus necessitudine Regioque affectu, Nos in commilitonem Ordinis hujus Equestris, suffragante Ordinis Capitulo eligere, ejusque rei per literas juxta & Legatos Regios certiores Nos, adeoque ipso facto Ordinis participes facere voluit. Susceptis, quo par fuit grato animo, transmissis traditisque Nobis celeberrimi Ordinis Insigniis, illud, quod hac in parte de more ordinis

ad

ad officium Noſtrum reliquum eſt, propter abſentiam, ſolito loco ac tempore per vicarium Noſtro nomine fieri cenſuimus; ac proinde eo fine in Procuratorem Noſtrum elegimus, prout Virtute præſentium eligimus & ſubſtituimus, Virum Perilluſtrem, Dominum Johannem de Grenville, militem, Comitem Bathoniæ, Vicecomitem Lansdoniæ & Baronem de Kilckhampton & Biddeford, Cornubiæ Locumtenentem Generalem, & Angliæ Parem, ut Noſtro Nomine in Capitulo Ordinis, præſtituto loco & tempore compareat, vices Noſtras hac in cauſa, juxta ſpecialem Noſtram Declarationem, quam deſuper manu ſigilloque Noſtro roboratam dictis Legatis Regiis extradi, atque præſtitis ad Illius tenorem præſtandis in Acta Ordinis publica rite referendum curavimus, ſuppleat. Quo facto omne id, quod modo nominatus Comes Bathoniæ in commiſſo hoc ipſi negotio Noſtra cauſa egerit feceritque, ratum gratumque per omnia habebimus. In cujus rei fidem præſentes manu Noſtra ſubſcriptas Sigillo Noſtro Electorali communiri juſſimus. Actum in Electorali Noſtra Dresda, die 15. Aprilis Anno 1669.

## DIII.

*Diploma JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, quo ſe ſtatuta Nobilis Georgiani Ordinis, in quantum licuerit, ſedulo obſervaturum eſſe declarat, 1669.*

NOs Johannes Georgius II. Dei gratia, Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux, Sacri Romani Imperii Archimareſchallus & Princeps Elector

ctor &c. &c. Omnibus & singulis, ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem. Cum Serenissimo ac Potentissimo Prinoipi Domino Carolo II. Dei gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regi, Domino Consanguineo & Affini Nostro colendissimo, prænobilis Ordinis Georgiani, vulgo a periscelide, nuncupati, supremo Magistro placuerit, ut suffragante ordinis Capitulo, ad hoc expresse convocato, in evidentius quoddam affectus erga Nos Regii specimen, Nos in societatem & collegium hujus Ordinis eligeret & cooptaret, illoque Nomine ad Nos Oratores, Legatos & Deputatos suos, virum Nobilem, Dominum Thomam Higgons, Equitem auratum, supremique sui Angliæ concilii sive Parliamenti senatorem, nec non in Germania Prolegatum Extraordinarium, & spectabilem item virum, Dominum Thomam St. George e Fecialibus suis primariis unum, vices agentem Garterii præcipui ad arma Reguli, ablegaret, data ipsis facultate transferendi, tradendique Nobis transmissum amictum cum subligaculo cæterisque Ordinis insigniis, præsentium tenore testatum volumus dicta illustris hujus Ordinis insignia Nobis ab eorum manibus, ritibus insuper, qua decuit methodo & solennitate adhibitis & celebratis tradita esse. Quemadmodum igitur Regium hoc cooptandi Nostri in equestrem illam fraternitatem studium & voluntatem, pro eo, ac par est, grate agnoscimus. Ita per hasce simul promittimus verbo Electorali ac fidem damus sub honore Nostro, Nos fideliter & pro viribus observaturos statuta clarissimi Georgiani Ordinis a Periscelide nuncupati, prout illa

articu-

articulatim in libello ad Nos transmisso descripta continentur, quatenus observari possunt ac debent, &tum professa a Nobis Religioni, tum Dignitati Nostræ & officio Electorali, iisque juribus & prærogativis, quæ alias Nobis competunt, non derogant. In cujus rei testimonium hasce Nostra manu subscriptas sigillo Nostro Electorali communiri jussimus. Actum in Electorali Nostra Dresda, die 13. Aprilis Anno supra millesimum sexcentesimum, sexagesimo nono.

## DIV.

*Litera* EPISCOPORUM POLONIAE, *ad* CLEMENTEM PAPAM IX. *a quo, ut ad instantem Novi Regis Electionem Legatum a Latere mittere dignetur, supplices precantur, 1669.*

STatus, & Ordines Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lituaniæ ad providendam ex communi consilio securitatem congregati, nihil magis in præsenti orbitate expetere visi sunt, quam ex Sanctitatis Vestræ dignatione beari, ut futuram novi Regis Electionem per Legatum a latere suo mittendum condecorare velit, hujus demissæ supplicationis nos Episcopos interpretes esse voluerunt, quam dum præsentibus humillime Sanctitati Vestræ exhibemus, Eminentissimis simul Sac. Rom. Eccles. Cardinalibus Regni nostri Protectori, & Comprotectori desiderii hujusmodi causam, & rationem, adeoque illius evidentem pro Religionis Catholicæ utilitate necessitatem prolixius exposuimus;

mus, dignetur modo Sanctitas Vestra eam ab iisdem excipere, ac pro Paterna sua, eaque incomparabili in populos Christiana fidelitate Sanctitati Vestræ subjectos pietate, in quorum numero non postremam se esse Polonia gloriatur, omnium nostrum votis clementissime annuere, quod maximi loco beneficii acceptum in perennaturos referemus fastos, ac una nos posterosque nostros perpetuo gratitudinis tributo æternum nomini Sanctitatis Vestræ obligabimus. Beatissimis ejusdem pedibus venerabundi humillima figentes oscula. Dabantur Anno 1669.

## DV.

*Litera* EPISCOPORUM POLONIAE, *ad* CARDINALEM REGNI POLONIAE COMPROTECTOREM, *quibus eum, ut officiis suis interpositis, summo Pontifici ablegationem legati a latere in Poloniam persuadere haud gravetur, impense rogant, 1669.*

PEculiare in hac orbitate nostra a Paterna Sanctissimi Domini nostri cura, & solicitudine tuleramus solatium, dum ex publica accepimus fama destinari huc a latere Sanctissimi Legatum, qui futuræ electioni assisteret, tamque eminenti autoritate rei illius actus moderaretur, ejusmodi Nuntio exhilarati jam dignos tanto hospiti honores, omnem humanitatis cultum apparabamus, cum recens rumor mutatum id sanctitatis propositum divulgavit, quod minus acceptum nonnullis nostrorum popularium tantæ dignationis argumentum fore sua sanctitas arbitraretur. Omnino itaque necessa-

cessarium duximus supplices ad Sanctitatem suam scribere literas, quas ad Eminentissimum Cardinalem Regni nostri Protectorem annexas Eminentiæ Vestræ præsentare, & pro eximia, qua Regnum hoc complectuntur, benevolentia missionem Legati a latere apud Sanctissimum meritissima promotione sua accelerare dignabitur; Et licet pluribus evincere possimus rationibus, quantum rei Catholicæ intersit, ut id decoris futuræ electionis Solennitati Sanctissimus impertiatur; iis tamen omissis ea cumprimis perquam humiliter insinuamus, Regnum Poloniæ duntaxat, non in personam, sed fatis ita urgentibus, in familiam, quæ cœlitus destinata fuerit, transferendum, quod fieri Divino nutu, orbis universus tunc intelliget, si Sanctissimi Domini veluti interpres supremæ voluntatis Legatus a latere electioni nostræ adstiterit. Jam vero cum inter metuendæ potentiæ competitores Magni Ducis Moschoviæ Filius per ora vulgi passim circumferatur, multique pronis eum studiis Græcum Schisma cum lacte haustum Catholici Regni premio ejuraturum polliceantur; Est sane cur Romanam fidem extremum periculum subituram vereamur. Nam cum certo nobis constet, duram Gentis cervicem; nisi singularis Numinis ope ad meliorem frugem flecti posse; quis Principum Christianorum sponsionem de assumenda fide Romano-Catholica; retinendoque ejusdem ritu pro schismatico hoc in solium (quod absit) assumpto in se reciperet, gnaris omnibus, quam sit Moschorum Gens moris ac erroris sui supra modum tenax, ac insito in Sacram Romanam Ecclesiam odio deditissima; proinde

hanc populi ad sola temporalia commoda, minime vero ad maximum rei Catholicæ detrimentum respicientis inclinationem superna Christi in terris Vicarii autoritate, omnino opus habere judicavimus. Suppetunt etiam summorum retroacti sæculi Pontificum exempla, qui levioribus de causis Reges nostros, adeoquo ipsa interregna similibus legationibus condecoravere. Cum igitur nobis certum sit, summam utilitatem rei Catholicæ eximiumque Suæ Sanctitatis solatium emanaturum, dum in tam dissitis & per vastissimum septentrionem diffusis populis filialem erga sanctam sedem cultum profitentibus, paternæ sollicitudinis gloria in Regnum hoc orbatum personuerit, in spe adipiscendi favoris hujus erigimur, dummodo Eminentiæ Vestræ efficacissima accedat opera, quam cum enixius in hanc rem sollicitamus, devota nostra Eminentiæ Vestræ deferimus officia. Dabantur Varsaviæ Anno 1669.

## DVI.

*Literæ MICHAELIS, Poloniarum Regis, ad CLEMENTEM PAPAM IX. cui se in Regem Poloniæ concordibus gentis suffragiis electum esse venerabundus nuntiat, 1669.*

### Michael DEI Gratia Rex Poloniæ &c.

POst oscula beatorum pedum Sanctitatis Vestræ, mei, Regnique mei humillimam commendationem. Ad anxias Sanctitatis Vestræ curas, quarum non minor pars Regni Poloniæ orbitas Sancita-

ctitatem Vestram exercebat, censui pertinere Sanctitati Vestræ eum differre Nuntium, me totius liberæ Gentis concordibus suffragiis, ad Thronum Regni Poloniæ 19. Junii electum tandem hesterna 7. Julii die post capitulationem conclusam, & juramentum religiose peractum, sceptrum Polonum maximis studiis, & votis externorum Principum petitum feliciter capessivisse. Mirabitur orbis me Regni indigenam, nullis fultum exterorum commendationibus, ab omni remotum ambitu, concordi Ordinum Regni voce ad onus regendi, regnandique in Polonia assumptum; manus Domini fecit hæc, & opus solius dexteræ Excelsi. Atque, dum humeros impares licet tantæ suppono moli, Sanctitatem Vestram, amantissimum Christiani orbis & Poloniæ Parentem, demisso cultu, & filiali obsequio veneror, beatissimisque ejusdem advolutus pedibus, paternam supplex flagito benedictionem. Minimo filiorum suorum Sanctitas Vestra eam non gravetur impertiri. Benedicat mihi Anima Tua, ut Polonæ Aquilæ juventus meis sub auspiciis renovetur, Religio Catholica per Regnum annexasque provincias, & major gloria Dei proferatur, validum hoc Christianitatis antemurale terrori sit, & formidini iis hostibus, cum quibus a tot annis gravi & ancipiti dimicat bello. Hæc Sanctitati Vestræ nuntiare suadet, & erga Sanctitatem Vestram mea summa devotio, tum & Antecessorum meorum erga Sanctam Sedem constans & pervetusta reverentia. Ejus impulsu dum hæc scribo, me regnumque meum Sanctissimis orationibus tum & Paternæ Sanctitatis Vestræ protectioni

diligenter commendo. Dabantur Varsaviæ die 8. Mensis Julii Anno 1669.

## DVII.

*Breve* CLEMENTIS PAPAE IX. *quo* MICHAELI, *Poloniæ Regi, ad prainsertas respondet literas, 1669.*

CHarissime in Christo Fili Noster, Salutem & Apostolicam benedictionem. Ingenti sane gaudio Paternum animum nostrum compleverat Venerabilis Fratris Archi-Episcopi Corinthi, Nuntii Apostolici relatio de Majestatis Tuæ Persona concordibus Comitiorum votis in Poloniæ Regem evecta, deque summa expectatione, quam eximiæ virtutes, quibus eadem speciali Dei munere spectate insignitur, & imprimis ardens Religionis Catholicæ zelus excitaverant. Hujusmodi vero lætitia, & spes nunc etiam nobis confirmatur, & augetur ex literis tuis, suscepto statim Regni sceptro, summa cum filialis erga Nos & hanc Sanctam sedem pietatis, & obsequii significatione perscriptis. Etenim recte ac sapienter Majestas Tua primordia Principatus a cœlo auspicatur, & Regimina populorum ab ejus sedis veneratione, cui Christus Jesus universas oves suas regendas commisit. Initium profecto sapientiæ est timor Domini, nec ipse rerum ordo sinit, ut bene non imperet hominibus, qui bene non paret Deo. Itaque pro certo habemus egregiam animi præcelsi tui magnitudinem, quo magis agnoscit in sui electione conspicue ac mirabiliter Altisimi dexteram adfuisse, eo certe

certe confidentius & enixius incumbere velit totis viribus, ut beneficii tanti largitori se gratum, & obsequentem præbeat, omnibus Regis optimi partibus implendis ac potissimum S. Religionis Orthodoxæ, cui etiam istius præclarissimi Regni fundamentales leges maxime innituntur, rebus & rationibus universis omni studio tuendis, & provehendis, cumque non sine magno mentis nostræ gaudio intellexerimus, nonnulla haud parvi momenti commoda & lucra, in istis Electionis Tuæ Comitiis adversus Hæreticos Religionis Catholicæ bono quæsita esse; vehementer a Te petimus, ut ea etiam, quantum maxime poteris, extenta, & ampliata penitus executioni demandentur. Utque præterea vel imprimis Acatholicis omnis aditus ad quascunque dignitates, & officia Regni præcludatur. Etsi vero cuncta hæc, te pro spectata pietate tua zeloque Regio sponte effecturum fuisse non dubitamus, tamen, ut id a Te rursus etiam atque etiam efflagitemus, cum rei gravitas, tum etiam muneris nostri debitum a nobis exigit. Nos utique charitatis Apostolicæ documenta insigniora, quæque inclyto Religiosissimæ ac fortissimæ Gentis Moderatori debita, semper prolixe cumulateque præstabimus Majestati Tuæ, cujus expectatissimæ virtuti, & gubernio felices successus a Rege Regumque Deo, toto ex corde peroptamus, Apostolicamque benedictionem quanto pietatis studio postulas, tanto benevolentissimi cordis affectu impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, 10. August Anno 1669.

## DIIX.

*Litera ANDREÆ OLZOVII, Procancellarii Regni Poloniæ, ad CAROLUM HYACINTHUM, Lotharingiæ Ducem, quem Regno Poloniæ potiundi spe elapsum, generose solatur, 1669.*

MAgni & invicti animi Documentum est, quod Serenitas Vestra Regiæ fortunæ spe, & proximo Rerum fastigio excidens tamen in gradu persistat, neque in dolorem & querelas victa erumpat, sed constanter toleret, quidquid Divini arbitrii ineluctabilis necessitas præter spem & vota decrevit. Euripum jure aliquis appellavit Comitiorum & populi favorem; Sane hic mirus fuit erga Serenitatem Vestram, nisi obstinata Candidati æmulatio, tertio nec opinanti facilem viam aperuisset. Factum est, & quod infectum reddi nequit, fortiter ferendum. Confidat Serenitas Vestra, me serio a partibus ejus fuisse, nullo privato commodo, sed laudatissimis ejus virtutibus fuisse addictum. Deum precor, felicitate & ornamentis omnibus cumulatam reddat Serenitatem Vestram, cujus ego memoriam non prius nisi cum vita dimittam, ac maneo. Dabantur Varsavia, 17. Julii, 1669.

## DIX.

*Literæ MICHAELIS, Polonorum Regis, ad LEOPOLDUM, Roman. Imperatorem, cui Regios sibi a Polonis fasces concreditos esse refert, 1669.*

Micha-

MIchael DEI Gratia electus Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ &c. Salutem & Fraterni amoris continuum incrementum. Pro eo benevoli animi studio, quo in vicinum sibi Poloniæ Regnum Majestas Vestra Cæsarea propendet, non ingratum existimamus Majestati Vestræ accidisse Nuntium, de nostra ad thronum Regium evectione. Quod licet fama ipsa notum, movemur tamen officii nostri ratione, & summo erga amicissimum & inclytum Principem respectu, ut ex nobis etiam Majestati Vestræ innotescat, nos in campo libertatis Polonæ consensu omnium Ordinum die 19na Junii in Regem acclamatos tandem die septima Julii post Capitulationem conclusam, & juramentum religiose præstitum, sceptrum feliciter capessivisse non humanæ industriæ opus, non solers, & ingeniosa prensatio eum nobis struxit gradum, solius Domini est assumptio nostra, inter prodigia orbis jure recensenda. Porro quo affectu Regnum hoc, nostrosque Antecessores Majestas Vestra in tam propinqua vicinia complectebatur, eundem erga nos velit continuare, enixius optamus. Non desiderabit in Nobis Majestas Vestra Cæsarea parem officii, bonæ vicinitatis, & optimæ correspondentiæ vicissitudinem. Contendemus exemplo Majorum Nostrorum, olim & nuper regnantium eam amicitiam, & fœderum religionem sancte observare, quam non annorum, sed seculorum diuturnitas & constans ac illibata observantia cum Serenissima Domo Austriaca validissime firmavit. Interim Majestati Vestræ Cæsareæ cum longæva incolumitate felix & tranquillum impe-

rium ex animo vovemus. Dabantur Varſaviæ, 20. Julii, 1669.

DX.

*Literæ MICHAELIS, Poloniæ Regis, ad FRIDERICUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum, quibus controverſias ab utraque parte motas Cracoviæ ſub coronationis ſuæ tempus opportune terminari poſſe innuit, 1669.*

HUmanitati & propenſo erga Nos Serenitatis Veſtræ ſtudio, tributum imus, quod in præcinctu diſceſſus ſui ex Pruſſia in Marchiam certiores nos facere ea de re Serenitas Veſtra operæ pretium duxerit: reſpondemus pari benevolentiæ noſtræ affectu Serenitati Veſtræ, cui proſperum iter apprecantes ſinceram pariter amicitiam, bonam vicinitatem, fœderumque nobis & Reipublicæ, cum Serenitate Veſtra intercedentium, illibatam obſervantiam, ex parte noſtra adpromittimus. Cum vero non ignotum ſit Serenitati Veſtræ, Ordines Regni Poloniæ in proxime præteritis Electoralibus Comitiis ita ſanxiſſe, nobisque inter pacta conventa propoſuiſſe, ut exortæ & quæ adhuc exoriri poſſunt differentiæ, ac mutuæ prætenſiones, nos inter ac Serenitatem Veſtram, amicabilibus mediis ſopiantur, & determinentur. Damus id libenter populorum noſtrorum deſiderio, ſimulque retinendæ ac magis promovendæ cum Serenitate Veſtra bonæ amicitiæ, ac mutuæ confidentiæ ſtudio, ut ad peragendum id negotium Serenitatem Veſtram invitemus, neque exiſtimamus commodiorem locum, ac tempus proponi poſſe, quam Cracoviæ ſub felicem coronationem noſtram, cui ſolen-

ſolenni ritu celebrandæ diem 29. Septembris indiximus. Certa ſpe ſumus, Serenitatem Veſtram ſingulari erga nos propenſioris animi documento per legationem ſuam, eundem Coronationis actum exornaturam, quod pergrate habituri paribus officiis viciſſim rependemus. Ac interim Serenitati Veſtræ bonam valetudinem & proſperos rerum ſucceſſus ex animo precamur. Datum Varſaviæ, 29. Auguſti, Anno 1669.

## D XI.

*Literæ ANDREAE OLZOVII, Procancellarii Regni Poloniæ, ad CARDINALEM URSINUM, quem Epiſcopum Biterrenſem nomine Regis Poloniæ ad Cardinalitiam dignitatem commendatum eſſe edocet, 1669.*

POſt multas tribulationes tandem potior viſus eſt obtinendæ nominationi a Sacra Regia Majeſtate ad Cardinalitiam dignitatem Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D. Petrus Bonſi, Epiſcopus Biterrenſis, qui legatione Gallica Extraordinaria binis vicibus in Polonia fungebatur. Conceſſum id præ aliis motivis Sereniſſimo Galliarum Regi nimis nimiſque inſtanti, quo cum bona correſpondentia & amicitiæ veteris conſervatio Regi Poloniæ, Regnoque huic ſæpius maximis caſibus laboranti Turcicæ potentiæ expoſito, nec fruſtra poſt triſtem Candiæ deditionem ſibi metuenti perutilis videretur. Dignabitur Excellentia Veſtra validam manum & operam admovere, ut nominationis Regiæ idem D. Epiſcopus Biterrenſis quam primum effe-

ctu potiatur, gaudeatque efficaciori ſtudiorum & benevolentiæ Excellentiæ Veſtræ documento. Non repeto ea, quæ Regiis literis expreſſa ſunt, addo duntaxat calculum officii, & devotionis meæ erga dictum Illuſt. Epiſcopum Nominatum Regium, ac meorum promptitudinem obſequiorum Eminentiæ Veſtræ dico, & addico. Datum Varſaviæ, 17. Novembris, Anno 1669.

## DXII.

*Literæ ANDREAE OLZOVII, Regni Poloniæ Procancellarii, ad FRIDERICUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum, quibus ſe excuſare maximopere aggreditur, quod ejus actiones nunquam alieniori aut infeſto animo erga Reipublicæ Proceres interpretatus ſit, 1669.*

EPiſtolam Serenitatis Veſtræ, Regiomonto tertiâ currentis ad me datam, libens & debita tanto Principi veneratione accepi, pro cujus honore conteſtataque erga me benevolentia ago, debeoque quam maximas Serenitati Veſtræ gratias. Perſcribere dignata eſt Serenitas Veſtra inopinatum eidem accidiſſe, me ſincera Serenitatis Veſtræ toties Reipublicæ probata officia, alieniori animo interpretari, ſimulque actiones ejus Serenitatis reddere ingratas, quod vulgo ſpargatur, & propria manu mea probari poſſe affirmatur. Excuſabit benigne Serenitas Veſtra, ſi fides mea & amor in Patriam ita ſuadet, meque impellit, ut ea, quibus aliquantum lædi Rempublicam Polonam advertam, tacitus permittere nec poſſim nec debeam. Non po-

potui non indolere post tractatus diversos de rebus Polonicis aut Poloniæ annexis a Serenitate Vestra nobis insciis initos & conclusos, querela gravi a frequentissimo Senatu, sub tempus funeris Reginalis Cracoviam congregato, expressoque per Primatem Regni, doloris publici sensu, frustra habitis, proximo post tempore Serenitatem Vestram, promotionem ad coronam Poloniæ nominatim Principis Neoburgici pactis firmasse, eidemque tractatui alios Principes invitatu Serenitatis Vestræ accessisse. Rem adeo novam, nostris liberrimis juribus adversam & nocivam pro officii mei ratione & juramenti nexu aliquot concivibus viris gravissimis communicavi: quod jure a me factum quilibet a partium studiis, ab ira & odio vacuus, nostræque Reipublicæ nonnihil peritus judicare poterit. Apprehensio possessionis Præfecturæ Drahimensis, quod recenti orbitate nostra tristi Reipubl. tempore acciderit, quod (intervenientibus mutationibus & nostris æquis prætensionibus) nulla prævia tractatio, ac ne quidem denunciatio anteverterit, fateor mœrori mihi, & quam plurimis fuisse; neque id negaverim aliquoties a me voce & scripto illatum, quod auxiliares copiæ Serenitatis Vestræ equitum peditumque bis mille novis nostris bellis, Moschovitico, Cosatico, Scythico defuerint, quæque ad expurgandam hostibus Poloniam ex pactis adhuc debebantur, intra verba steterint. De noviter attentato per Vistulam trajectu, querela frequens est Statuum & Ordinum terrarum Prussiæ non ignota opinor Serenitati Vestræ. Pilaviense vectigal dimidia parte

Regi

Regi Poloniæ debitum penitus non extradi, est quod in dispendio censeatur Lemburgi & Bitoviæ titulum pactis nullatenus expressum. Cum eas præfecturas Serenitas Vestra seu datario jure obtineat (dominio directo Regum & Regni Poloniæ salvo manente) condonabit Serenitas Vestra me inconsulta Republica, cujus jura & dignitatem tueri, jurata fide obstrictus sum, tribuere ex Cancellaria Regni minime posse. Atque hæc forte sunt, quæ alienioris animi & sinistræ officiorum in Rempubl. Serenitatis Vestræ interpretationis invidiam mihi accumulant. Nullus tamen dubito, quin Serenitas Vestra pro sua æquanimitate frequens studium meum pro hac Republica boni consulere ac melius interpretari dignatura sit. Deum animitus rogo, ut istud controversiarum & suspicionum momentum bonis mediis quam primum sopiatur, nullaque causa suboriatur invicem conquerendi, quod pridem forte actum fuisset, si diuturna Serenitatis Vestræ in Aula Polona legatio, agere quam trahere negotium maluisset. Audeo affirmare submotis Patriæ meæ dispendiis, atque iis quæ nos territant, constantia obsequiorum & devotionis erga Serenitatem Vestram neminem ante me futurum. Eadem porro obsequia sublimi gratiæ Electorali Serenitatis Vestræ humiliter commendo. Dabantur Varsaviæ, 18. Novembris, Anno 1669.

## DXIII.

*Literæ MICHAELIS, Poloniæ Regis, ad FRIDERICUM WILHELMUM, Electorem Bran-*

*Brandenburgicum, quibus ipsi qua ratione controversiis inter Rempubl. Polonam ipsumque gliscentibus finis modusque imponi tandem possit, amanter exponit, 1670.*

P. P.

TRibus Epistolis Serenitatis Vestræ de data 10. & 11ma Septembris ad nos datis, insimulque nobis 15ta Octobris redditis, una hac nostra libenti officio respondemus. Probe novimus vigore Pactorum Bidgostiensium obligatam fuisse Serenitatem Vestram ad nostram felicem Coronationem, consiliarios, aut officiales suos mittere, qui feudum de arcibus & oppidis Bitow & Lemburg ad Regnum Nostrum pertinens recognoscere, & literas recognitionis & renovationis feudi a Nobis accipere debebant. Ac licet Nobis non constet de causa legitima, cur id officium & debitum in hac felici Coronatione Nostra non sit adimpletum, exinde tamen Pactorum religioni nullum detrimentum fieri pro observantia earundem, & pro singulari erga Serenitatem Vestram Nostra propensione declaramus. Altera epistola recte memorat articulo vigesimo primo fœderis Bidgostiensis dispositum esse, ut id ipsum fœdus perpetuum post Electionem Nostram ab utraque parte renovetur, confirmeturque juramento desuper præstito per Deputatos in animam Principalium jurantes. Equidem nihil Nos probius, sanctiusque ducimus observantia & plenaria executione fœderum, uti cum omnibus principibus vicinis, ita pariter cum Serenitate Vestra, quod omnibus officiorum docu-

cumentis ex parte noſtra comprobaturi ſumus. Eſt tamen, quod Nos & Respub. Polona ex parte Serenitatis Veſtræ deſideremus, prout id pactis conventis cum Ordinibus & Statibus Regni Poloniæ ſub tempus Electionis Noſtræ per Nos juramento firmatis, atque cum ſcitu Legatorum Serenitatis Veſtræ in Capitulatione Noſtra inſertis, ac in publicam lucem emanatis comprehenſum eſt. Quod quidem punctum Capitulationis Noſtræ ſuper prætenſionibus Nos inter ac Serenitatem Veſtram ad invicem per Commiſſarios in dignoſcendis & ſopiendis memorati Serenitatis Veſtræ legati non tantum pro rato & grato acceperint, ſed etiam, cum eaſdem non leves differentias & prætenſiones jam alias Serenitati Veſtræ per legationem ſub interregno expoſitas, iterum ex parte Poloniæ proponi,& cum Legatis Serenitatis Veſtræ Varſaviæ ſub tempus electionis juxta reſponſum per legatum Reipub. Magnificum Boguslaum Principem Radziwill M. D. Lithuaniæ, ſtabuli Præfectum a Serenitate Veſtra datum agitari atque definiri optaremus, idque tam Nos ore proprio, quam per Miniſtros Status Noſtri proponeremus. Iidem legati articulum prædictæ Capitulationis pro parte ſua allegantes, & opponentes non poſſe jam eo tempore, & loco deſuper tractari, ſed rem in aliud tempus, atque ad Commiſſarios vigore ejuſdem Articuli Capitulationis, nec non juxta pacta nominandos differri oportere, reſponderunt, penituſque intacto negotio diſceſſerunt. Quod attinet tertiam epiſtolam Serenitatis Veſtræ; articulum de Præfectura Drahimenſi continentem, agnoſci-

ſcimus centum viginti millia thalerorum pro ſumtibus belli & delectu militum Serenitati Veſtræ a Repub. Polona deberi, atque in defectu non ſolutionis arcem & oppidum Drahim cum omnibus pertinentiis & attinentiis vigore inſcriptionis & obligationis ſibi ſervientis a Serenitate Veſtra potuiſſe propria autoritate apprehendi. Minime tamen Serenitas Veſtra negaverit, decenter & ſervatis omnino gradibus id fieri debuiſſe, nam & requiſitio ſummæ in comitiis apud totam Rempub. juxta morem hic obſervari ſolitum præcedere, & in quantum Rex & Reſpublica exſolutionem ſummæ detrectaſſent, denuntiationis alter gradus ſervari, atque deinceps Serenitas Veſtra vigore Juris ſui Præfecturam apprehenſuram, publice id prius intimari debebat, quod omnino non factum, aut non rite factum, ac ſub tempus ipſum abdicationis regiæ conſternata ac confuſa Repub. minus convenienter attentatum, eſt quod doleamus, prout in recenti Ordines Regi per alte memoratam legationem ſuam dolorem juſtum expreſſerunt, & reſtitutionem dictæ arcis, & Præfecturæ Drahimenſis in manus Reipub. (ſalvo deinceps gradu decenter juxta pacta requirendi & denuntiandi) inſtanter ac fruſtra poſtularunt. Quæ res cum ita ſe habeant, opportunum maxime & pactis conveniens erat, mitti a Serenitate Veſtra Conſiliarios, & Officiales ad Comitia Coronationis noſtræ, prout eandem literarum officio amanter invitabamus. Nunc in tempore tam anguſto & elabentibus proxime comitiis aliud conſilium non ſupereſt, niſi ut literarum recognitionis & innovationis feudi de Arcibus

bus & Oppidis Bitow & Lemburg extraditio; nec non juramenti super renovatione & confirmatione fœderis perpetui in animas principalium præstatio ad alia comitia proximo mense Martio celebranda differatur. Parati porro erimus Commissarios ex parte nostra ad proponendas & excipiendas, determinandasque ultro & cito differentias & prætensiones deputare; quibus omnibus juxta formulam pactorum plane compositis ac penitus difficultatibus & prætensionibus sublatis, ea, quæcunque ex pactis obligamur præstare, libenti animo adimplebimus, prout etiam ex parte Serenitatis Vestræ adimpletum iri plane confidimus. Hisce ad literas Serenitatis Vestræ responsis, & singulari nostra propensione, ac sinceræ amicitiæ, fœderis, & bonæ vicinitatis studio declarato confirmatoque in ejusdem etiam affectus Nostri testimonium, titulum in Lemburg & Bitow Serenitati Vestræ adscribimus. Reliquum est, ut bonam valetudinem & prosperos rerum successus eidem Serenitati a Deo precemur. Datum Cracoviæ, 1670.

## DXIV.

*Recredentiales a MICHAELE, Poloniarum Rege, Petro Wychio, Ablegato Anglicano, ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem tradita, 1669.*

GRatulationem noviter delati Nobis sceptri Polonici, ea propenso & fraterno Serenitatis Vestræ affectu profectam læti libentesque accepimus, qua decenter peracta simulque expeditis Vestræ man-

mandatis redux hinc abiit Generoſus Petrus Wyche, Ablegatus Extraordinarius, commodam grati animi noſtri ſignificationem pro tam luculenta propenſæ erga nos voluntatis expreſſione coram relaturus. Erit viciſſim nobis curæ & cordi, ut mutua ſinceri animi & amicitiæ noſtræ conteſtatione Serenitati Veſtræ reſpondeamus. Porro propoſita Nomine Serenitatis Veſtræ de arctiori fœdere cum Sereniſſimo Rege Sueciæ ineundo negotii reſolutio, cum præter Comitiorum Regni Noſtri indeterminationem ad præſens ſubſequi non potuerit, neceſſario ad tempus magis opportunum differri debuit. Nihilominus præfati Generoſi Ablegati extraordinarii dexteritatem ac uti addecebat fidum & diligentem Miniſtrum probatam ſedulitatem, & in tractando laudabilem conatum, non poſſumus non proſequi Regia Noſtra apud Serenitatem Veſtram commendatione & benevolum ipſi conciliare reſpectum. Quod reliquum eſt Serenitati Veſtræ optimam valetudinem & læta quæque ex animo apprecamur. Dabantur Varſaviæ, Anno 1669.

## DXV.

*Literæ, quibus JOHANNES GEORGIUS II. Saxoniæ Elector, COSMO III. Magno Etruriæ Principi de feliciter exantlatis longinquæ peregrinationis moleſtiis & auſpicato ad patrios lares reditu animitus gratulatur, 1669.*

P. P.

MAgnopere Nos exhilararunt Dilectionis Veſtræ redditæ Nobis literæ, quibus non modo

certiores Nos de felici suo in patrias oras reditu reddere, verum etiam pristina benevoli erga Nos animi experimenta renovare voluit. Facti igitur favente divino Numine voti Nostri, quo Dilectionem Vestram sub ipsis itineris auspiciis pridem prosequebamur, compotes, Eidem de longinquæ peregrinationis terra marique feliciter exantlatis molestiis nactoque lætæ patriæ portu hoc impensius gratulamur, quo firmior Nos spes tenet fore, ut ex diuturna Dilectionis Vestræ incolumitate & quæ generosæ mentis per Christianum Orbem ipsa abunde edidit documentis Serenissima Domus atque adeo Etruria Vestra florentissima perenne decus capiat atque emolumentum. Quo nomine Dilectioni Vestræ pro animi Nostri studiosissimi constantia, prosperos quoscunque rerum atque annorum successus serio precamur. Dabantur in Electorali Nostra Dresda, die 31. Dec. 1669.

## DXVI.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, quibus FERDINANDO II. Magno Etruriæ Duci pro transmisso sibi Leonum pari ingentes grates persolvit, 1670.*

P. P.

Quam propenso erga Nos affectu Dilectio Vestra perseveret, etsi id multis modis jam diu experti simus, recens tamen in Nos profectum benevolentiæ pignus, bini quippe cordati Leones, quos Dilectionis Vestræ jussu & Nomine, unus e cubi-

cubiculariis Nostris nobilibus atque agens, dilectus Nobis ac fidelis Domenicus a Melani deprædicata majorem in modum summa Ejusdem perpetuique amoris in Nos proclivitate, salvos huc atque integros adduxit, quique generosum donantis animum testatiorem fecere. Æstimato igitur tam insigni gratissimoque Nobis munere, Dilectionem Vestram securam esse volumus, nihil tam antiquum Nobis fore, quam ut circumspectis quibuscunque occasionibus, meritorum Vestrorum Magnitudini, grati devinctique animi studiis atque officiis respondere queamus, Deum interim precati, ut Dilectionem Vestram quam diutissime salvam atque incolumem servet. Dabantur in Electorali Nostra Dresda die 12. Januarii 1670.

## DXVII.

*Litera CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad MICHAELEM, Poloniæ Regem, cui de contracto nuper fausto omine cum Eleonora, Austriæ Archiducissa matrimonio, candide gratulatur, 1670.*

Carolus Dei gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei Defensor &c. Serenissimo ac Potentissimo Principi, Domino Michaeli, eadem gratia Regi Poloniæ, Magno Duci Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæque, Fratri consanguineo & amico nostro charissimo omnimodam salutem.

*Serenisſime ac potentiſſime Princeps, Frater conſanguinee & amice chariſſime.*

PEr Serenitatis Veſtræ literas 15. die Januarii noviſſime præteriti ſcriptas intelligimus, Serenitatem Veſtram nuptias cum Sereniſſima Domina Eleonora Archi-Duciſſa Auſtriæ contraxiſſe, easdemque die 2. Martii jam appropinquantis Varſaviæ celebraturam eſſe. Quod quidem ſingularis amicitiæ teſtimonium a Serenitate Veſtra profectum, ea qua oportuit reciproci affectus lætitia accepimus. Utque ex publica ratione Serenitati Veſtræ gratulamur, quod hoc connubio auguſtam Cæſareæ domus affinitatem ſibi ac regno Poloniæ adjunxerit, cujus auxiliis communem Chriſtiani nominis hoſtem vel facilius repellere vel fortius ſuſtinere poſſit, ita privatim Serenitati Veſtræ ſuæque Serenisſimæ Sponſæ omnia fauſta ac felicia auguramur, Deum Opt. Max. precantes, ut utrisque Serenitatibus Veſtris, cum diuturna proſperitate Regiam quoque prolem ex voto concedere velit. Dabantur in palatio noſtro de Witthal 7. die Febr. Anno Domini 1670.

Serenitatis Veſtræ

*Bonus frater & conſanguineus*

Carolus Rex.

DXVIII.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Electoris Saxoniæ, ad MICHAELEM, Poloniæ Regem, cui Eleonoram, Archiduciſſam Auſtriæ, lectisſimam fidamque Throni Torique Regalis gratulatus ſociam*

*ciam, cur in designato festivitatis nuptialis termino Varsaviæ comparere non possit, exponit, 1670.*

**P. P.**

Regiam Vestram Serenitatem divina favente clementia non solum ad viduatum Inclytæ Poloniæ Regni solium feliciter adspirasse; verum etiam spe Regiæ Sobolis ex Augusta Austriaca Domo, Potentissimi Romanorum Imperatoris sororem, Serenissimam, Dominam Eleonoram, Natalium gloria juxta & animi dotibus maxime insignem, pacto sanctioris matrimonii fœdere in Throni Regalis ac Thori sociam delegisse, pro nostris in contrahentium partes studiis vel eo libenter accepimus, quod ex Regiæ Vestræ Serenitatis literis, lætioris hujus successus nuntiis, pristinæ illius, quæ cum Regno Poloniæ Nobis atque Majoribus Nostris jam diu intercedit, necessitudinis vigor elucescat: In eo igitur & quod insuper Regia Vestra Serenitas ad celebrandas brevi Varsaviæ Regiarum Nuptiarum solennitates invitatos Nos voluit, haud vulgaris ejus erga Nos benevolentiæ argumentum, pro eo, ac par est, grato animo agnoscimus. Hac omnino fiducia freti, inevitabilem Nostram absentiam, in designato festivitatis Nuptialis termino, pro ratione angusti temporis & rerum præsentium statu, vel ultro a Regia Vestra Serenitate excusatum iri: Id quod ab Eadem etiam atque etiam expetimus, nuncupato benevoli animi voto, ut fausta hæc connubii auspicia, divinum Numen in diuturnum Reipublicæ Christianæ, adeoque Regni & Regiæ Domus solatium omnigenæ prosperitatis

incremento cumulet, Veſtramque Serenitatem quam diutisſime ſervet ac tueatur. Cui Nos ad quæcunque ſinceræ amicitiæ & vicinitatis officia devinctos profitemur. Dabantur in Electorali noſtra Dresda die 8. Febr. 1670.

DXIX.

*Litera MICHAELIS, Poloniæ Regis, ad CLEMENTEM PAPAM X. cui de collata unanimi Cardinalium ſuffragio Pontificia dignitate devote gratulatur, 1670.*

POſt oſcula pedum Beatorum Sanctitatis Veſtræ, mei & Regni Dominiorumque meorum filialem commendationem. Non minor ejus lætitiæ pars, quæ orbem exhilarat Catholicum, & in me redundat, dum Sanctitatem Veſtram cœleſti nutu & ſuffragio electum Chriſti vicarium intellexi. Si enim Eccleſiæ orbitas, erepto ex vivis Sanctitatis Veſtræ optimo Prædeceſſore, non niſi triſtis & acerbi doloris plena, Chriſtianum orbem in mœrorem traxit, fauſtus hic nuntius toti Catholico Gregi, qui curæ Paſtorali Sanctitatis Veſtræ eſt ſubjectus, ingens fœnerat ſolatium. Hocque Regnum Dominiaque mea cum impleat filiali cultu & ſubjectione, ſupremam hanc & cœlo ipſi confinem gratulor Sanctitati Veſtræ dignationem, vota mea ſuperis nuncupo, ut Sanctitatem Veſtram diu ſoſpitem & omnigenæ felicitatis auctam incrementis conſervet, in hac Eccleſiæ navis gubernatione, quæ tot procellis & fluctibus agitatur. Mittant auxilium ab alto. Provideat Princeps Paſtorum, ut orbem Chriſtianum tot bellorum tumul-

multibus fessum, Sanctitas Vestra pacatum regat. Imperet ventis, ut quiescant, Paternæque Sanctitatis Vestræ obediant voci; Turca immanissimus occupata Candia ferox & insultans concordia & viribus Catholicis minuatur & sternatur; Clementum Pontificum egregius semper in Poloniam favor, ac affectus erga me, Regnumque meum patescat. Hæc vero vota mea dum intimo & sincero promo pectore, omne studium, observantiam & filialem promtitudinem meam nutui addico Sanctitatis Vestræ, Ejusdem paternæ Protectioni me, Regnum & Dominia mea commendans, longævum & felicissimum rei Christianæ imperium Sanctitati Vestræ auguror, Ejusque Pontificiam de genu exoro benedictionem. Dabantur Varsaviæ d. 20. Maji Anno 1670.

## DXX.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad COSMUM III. Magnum Etruriæ Ducem, quibus ipsi dolorem de mœstissimo Parentis testatur obitu, ac fausta suscepti Regiminis auspicia precatur, 1670.*

P. P.

EX perscriptis ad Nos Dilectionis Vestræ Literis sane quam moleste tulimus excessum Serenissimi Principis, Domini Ferdinandi Medices, Magni Ducis Etruriæ, Domini & Amici Nostri quondam charissimi, tam ob luctuosam, quam tanti Principis Respublica fecit jacturam, quam quod pro antiquissimo mutui amoris cultu haud

minimam, quam exinde Dilectio Vestra cœpit, doloris partem jure Nobis vindicemus. Solatio autem Nobis est, quod vita gloriosa insignis Parens, olim non modo ditionum Paternarum, verum etiam magnitudinis adeoque paterni in Nos animi hæredem, Dilectionem Vestram reliquerit superstitem. Quo nomine quidem Dilectioni Vestræ, cujus benevolum affectum ex communicato Nobiscum quantumvis funesto casu, pro eo ac par est agnoscimus, ex animo gratulamur, Deum precati, ut præsentis Regiminis auspicia, Dilectionis Vestræ atque adeo in quam pristinæ necessitudinis non minus atque officiorum documenta cuncto tempore extare cupimus, inclytam Domum omni porro florentissimarum rerum successu cumulet ac tueatur. Dabantur in Electorali Nostra Dresda, die 13. Junii 1670.

## DXXI.

*Literæ CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad JOANNEM GEORGIUM II. Saxoniæ Electorem, cui de auspicato nepotuli secundi, FRIDERICI AUGUSTI, Imperium in Polonos & Saxones nunc gloriosissime obtinentis, candide gratulatur, 1670.*

P. P.

Haud facile dictu est, quanta cum lætitia Celsitudinis Vestræ Electoralis Literas decimo quarto die Maji proxime elapsi datas acceperimus, quibus Nos certiores fecit alterius fulcri Domui suæ Electorali nuper additi, secundi nempe Nepotuli, Cujus auspicato partu serenissima Domina Anna

Anna Sophia Celsissimi Principis, Filii & Electoratus Vestri Hæredis unici Conjux, tum Celsitudinem Vestram Electoralem, tnm ipsum Maritum totamque familiam Electoralem iterum beavit. Enimvero omne genus felicitatum Celsitudini Vestræ Electorvli ex animo gratulamur, hanc vero præcipue, qua Domus sua Electoralis non solum in præsens ornatur, sed in perennitatem stabilitur. Utque huic Celsitudinis Vestræ Electoralis gaudio cætera quoque deinceps ampliora faustioraque adjiciantur, Deum optimum maximum precabimur. Cujus tutelæ Celsitudinem Vestram Electoralem commendamus. Dabantur in Palatio Nostro de Whitehall 22. die Junii 1670.

## DXXII.

*Literæ CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad JOHANNEM GEORGIUM II. quibus ipsius tristitiam ex præmaturo filiæ Electoralis, Erdmuth Sophiæ obitu conceptum, efficaci emollire satagit solatio, 1670.*

P. P.

PEr Celsitudinis Vestræ Electoralis duodecimo die Julii novissime elapsi scriptas intelleximus, providentiæ divinæ ita visum fuisse, ut eodem doloris ictu & eodem fere tempore Nos charissimæ unicæque Sororis Nostræ Henriettæ & Celsitudo Vestra Electoralis dilectissimæ Filiæ suæ Erdmuth Sophiæ jacturam fecerimus. Sic res Mortalium ferunt, & sic easdem ferre debemus. Cumque prædictas Celsitudinis Vestræ Electoralis Literas eo fine perscriptas & ad Nos missas fuisse existi-

memus, ut mœrorem noſtrum lenirent; Nos quoque hasce Noſtras pari affectu conceptas, non minori efficacia præditas ad emolliendam Celſitudinis Veſtræ Electoralis triſtitiam fore ſperabimus. Nec precari deſinemus, ut Deus Optimus Maximus hisce malis Noſtris contentus imperturbatum felicitatis ac ſalutis tenorem, tum Nobis, tum Celſitudini Veſtræ Electorali impoſterum concedere velit. Quam de cætero ejusdem Dei Optimi Maximi tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Palatio Noſtro de Whitehall decimo ſeptimo die Auguſti 1670.

DXXIII.

*Literæ commendatitiæ, Wilhelmo & Benedicto ab Alefeld fratribus, nobilibus Danis, a JOHANNE GEORGIO II. Saxonum Electore, ad COSMUM III. Magnum Etruriæ Ducem traditæ, 1670.*

P. P.

Antiquiſſimam illius, quæ cum Dilectionis Veſtræ divo Parente olim Nobis diu multumque interceſſit, neceſſitudinis memoria ducti derivatæ in eandem ſtudioſæ noſtræ voluntatis comprobandæ indies anſam merito quærimus: adeoque per præſentes hasce earum exhibitori, e primariis Cameræ Noſtræ Nobilibus dilecto Nobis & fideli Wilhelmo ab Alefeld ſimulque fratri ejus Benedicto natu majori, itineris per Italiam Comiti, ad Dilectionis Veſtræ Aulam & gratiam viam communire vel eo non ſuperſedimus, quod ea, qua Parens eorum jam diu in Regia Danorum & paſ-

ſim

ſim in orbe ſplendet meritorum fama, hoc ipſum quodammodo a Nobis exigere videatur. Hosce igitur clariſſimorum Majorum juxta & paternæ virtutis æmulos, quo Dilectio Veſtra prono benignitatis ſuæ favore complecti, atque illo omnino loco habere velit, unde ſperatum commendationis hujus non mediocris fructum experiuntur, pro mutuæ Noſtræ conjunctionis fiducia Eandem peramanter rogatam volumus. Atque adeo noſtra porro ſtudia atque officia in Dilectionem Veſtram, cui proſperos per omnia rerum ſucceſſus ſerio precamur, etiam atque etiam conſtabunt. Dabantur Torgavii in arce Noſtra die 14. Septembris 1670.

DXXIV.

*Literæ MICHAELIS, Poloniæ Regis, ad FRIDERICUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum, quibus ſe intemperantis calami acerbitatem, in poſtremis ipſius ubique exuberantem minime promeruiſſe, & ſuſcepta Kalckſteinii protectione, nihil fœderibus adverſum commiſiſſe, aſſeverat, 1670.*

P. P.

INtemperantem calamum, quem in ſcribenda utraque ad Nos epiſtola Cancellaria Serenitatis Veſtræ exacuit, graviore ſenſu excepiſſemus, niſi prævalerent apud Nos levioresque vel injurias facerent, neceſſitudinis & amicitiæ ſacra fœdera, quæ cum ſinceritate Veſtra inviolabili conſtantia obſervare, & Regium & Religioſum eſſe exiſtimamus. Mirari duntaxat ſubit, quod licet non mini-

minimis hactenus argumentis propensum studium & sinceram amicitiam Nostram Sinceritati Vestræ approbaverimus, nihilque quod augendæ firmandæque illi momentum adderet, prætermiserimus, secus tamen pleraque a Serenitate Vestra fieri, ac variis tentamentis nostram exstimulari patientiam experiamur; An enim nata hac occasione dissimulemus, quod legatio nupera Serenitatis Vestræ protestationem quandam Nobis Senatuique prægravem, non tantum ex itinere ad Nos mittere, sed eandem publicis Notis castri Nostri Sochacoviensis inscribendam procurare, ac sub tempus Comitiorum multis Senatoribus & Nuntiis Palatinatuum diversisque Personis distribuere, jus fasque sibi duxerit. Quonam alio fine, nisi concitandis illorum animis & conturbandæ Reipublicæ, atq; ut isto veluti classico contraventio fœderis Bidgostiensis ex parte Nostra non sine præjudicio existimationis Nostræ designaretur. An etiam decorum non tantum memoratas epistolas calumniæ, falsitatis, indignationis aliisque verborum contumeliis repleri, sed earundem epistolarum copias prius etiam, quam nobis originales præsentarentur, per manus hominum Varsaviæ alibique dispergi, denique nobili Eusebio Brand, multa temere & licenter obloquendi (quod jussu & ex præscripto Serenitatis Vestræ facere se affirmavit probavitque) audaciam committi, cujusvis æqui & moderati judicio relinquimus. Acerrima querela contra instigatorem Regni Nostri, quod in actione de crimine læsæ Majestatis, Magnifico Castellano Posnaniensi in nuperis Comitiis intentata, conferentiam

tiam illi cum Serenitate Veſtra intercesſiſſe allegaſſet; illud imprimis iniquum habet Inſtigatorem contemptim appellatum, quem genere nobilem, dignitate Regni officialem, ævo judicioque maturum, bina legatione apud Serenitatem Veſtram, ſub tempus belli Svetici functum, ignorare Cancellaria Serenitatis Veſtræ non debuit: In cujus viri mores modeſtiamque indecora calumniandi Serenitatem Veſtram temeritas cadere non potuit, ſed malignitas potius, aut imperitia notatoris cujuspiam culpam meretur, qui aures, animumque Serenitatis Veſtræ ſiniſtra relatione implevit. Objectum fuit memorato Caſtellano, ex delatione duorum Palatinatuum, & Terrarum Regni Majoris Poloniæ conſenſu & approbatione omnium Palatinatuum & Terrarum Regni & Magni Ducatus Lituaniæ eum conſilia cum externis agitaſſe, pecunia aliena corruptum egiſſe, in pago quodam correſpondentiis opportuno, quem poſta Serenitatis Veſtræ transcurrere ſolet, ſubſtitiſſe, quid ergo tantopere iſta allegatio Serenitatis Veſtræ afficiat animum, cum Reipublicæ inſtituto & legibus novellis prohibitum ſit, ne cuipiam Polonorum cum externis, in negotiis præſertim ſtatum afficientibus privatim conferre & correſpondere liceat: Quid actio a Civibus contra Civem intentata, in Regia Noſtra agitata Clementia & Amneſtia conſopita Serenitatem Veſtram, aut aliquem, niſi alienorum nimis curioſum concernat, an ea cauſa a malevolo quopiam ultro quæſita, ſatis idonea videtur Serenitatem Veſtram adeo graviter offendendi ejusque amicam erga Nos & Rempubli-

bicam voluntatem mutandi & alienandi? cujus Electoralis dignitas, & fœderata nobiscum conjunctio, uti extra ictum, vel suspicionem aliquam posita est, ita vana vel falsa rumorum figmenta facile postponere debeat. Quod attinet Ludovicum Christianum a Kalkstein, quem gravissimorum scelerum reum judicio damnatum, ut prehendi & custodiæ mandari atque ad fines Ducalis Prussiæ, una cum scriptis ejus cum securo comitatu deduci & suis extradi velimus, Serenitas Vestra efflagitat, id vero nimis rigidum, neq; ex pactis debitum existimamus; indignum etiam Regia Clementia hominem afflictum & gratiam implorantem ad certum dedi supplicium. Novimus recte, quid ex fœdere Bidgostiensi conveniat, quod supremo Tribunali appellationem in Ducali Prussia constituto, ab eo judicio ad Nos provocare, querelasque ad Nos deferri, aut a Nobis admitti non liceat. Ea causa querelas Kalcksteinii non admittimus, ut de iis cognoscamus & decernamus, sed miseratione hominis & humanitatis ducimur, ut eidem benignitatem Serenitatis Vestræ conciliare studeamus. Institimus proinde apud Serenitatem Vestram per Ablegatum Nostrum Generosum Morsztyn, sed cum Regia interpositio Nostra nullum effectum obtinuisset, eo deventum est, ut memoratus Kalckstein, ex origine nobilis Polonus Stolinski dictus, aliquorum cognatione subnixus, militaria inter signa multis notus, & de Republica meritus Equestris Ordinis Patrocinium in Comitiis imploraret. Neque frustra Jura, privilegia, libertates Ducalis Prussiæ in memoratis Pactis præcustoditas esse, earumque ac sui

pro-

protectionem ad Rempublicam Polonam, a qua non in perpetuum exciderint, spectare allegaret. Cujus scripta nos ne legimus quidem. Quod igitur in dedendo eodem Kalckstenio Serenitatis Vestræ desiderio non satisfaciamus, ægre id Serenitas Vestra habere non potest, datis ab eadem exemplis, quæ afflictis & judicio lapsis aliquibus Polonis patrocinium impendere eosque autoritate, & studiis suis adjuvare, ac in pristinum statum reponere, tametsi Antecessori Nostro id permolestum fuerit, non alienum officio suo id existimavit. Cæterum moneri jussimus Kalcksteinium, ut modeste se gerat, & decentibus mediis clementiam Serenitatis Vestræ exorare contendat. Quod superest Serenitati Vestræ bonam valetudinem & prosperos rerum successus ex animo vovemus. Datum Varsaviæ die 24. Mensis Novembris, Anno 1670.

## DXXV.

*Literæ MICHAELIS, Poloniæ Regis, ad REGENTES DUCALIS PRUSSIAE, quibus Ludovicum Christianum a Kalckstein, Regiæ protectionis securum, per emissarios quosdam ex Ducali Borussia subordinatos Varsaviæ clanculum captum & in Borussiam deductum esse graviter conqueritur, 1670.*

Michael Dei gratia Rex Poloniæ &c.

*Magnifici grate Nobis dilecti.*

GRavissimum & detestabile scelus patratum est in Regia Nostra, per emissarios quosdam ex Duca-

Ducali Prussia subordinatos, qui nobili a Kalckstein Stolinski. interpositionem nostram Regiam, ad reconciliandum Serenissimum Electorem imploranti, securitate publica freto violentas manus proditione injecerunt, eundemque præstricto ore manibusque pedibusque revinctis in curru clauso, ad id disposito, ad Ducatum Prussiæ evexerunt. Tam immane & inauditum facinus, quo non solum fœderatæ amicitiæ & vicinitatis, sed Gentium jura violata sunt, magnæ injuriæ nostræ ducimus, exindeque, tametsi ex peracta inquisitione, satis Nobis constet evidentia facti, ac principalis reus Minister Electoralis hesterna fuga se ipsum damnaverit, tamen cum ex Ducatu Prussiæ plagiarii isti immissi fuerint, eosdemque cum abrepto Kalckfteinio reverterint, consultum Nobis visum est informationem de personis delinquentibus & de toto facto, a Gratitudinibus Vestris per literas Nostras explorare, simulque ab iisdem requirere, ut Kalckfteinius, non expectata Nostra, ad literas Serenissimi Electoris responsione, nefario modo captus, supplicio & carcere eximatur, inque eum locum & statum, in quo ante captivitatem fuit, reponatur, nempe ut Varsaviam salvus & liber deducatur, atque ut criminis læsæ Majestatis Nostræ & violatæ securitatis publicæ ac juris Gentium rei vel nobis dedantur, & remittantur, vel in carceribus detenti judicentur, & supplicio, pro enormitate sceleris, afficiantur. Facturæ sunt gratitudines Vestræ rem bonæ vicinitati & conservandæ mutuæ tranquillitati convenientem, quas de reliquo bene valere cupimus. Dabantur Versaviæ die 5. Decembris Anno 1670.

DXXVI.

## DXXVI.

*Literæ PETRI COMITIS A ZRIN, ad LEOPOLDUM, Romanorum Imperatorem, quibus se a malevolis æmulis inique Criminis læsæ Majestatis & perduellionis reum censeri, demonstrare maximopere satagit, & ut in causam suam æquius legumque Hungaricarum peritius judicium inquiri jubeat, supplex orat, 1670.*

### Augustissime ac Invictissime Cæsar.

QUandoquidem præter spem & opinionem & contra clementiam Heroicis animis usitatam, Austriacis vero ita innatam, ut jam in naturam & debitum transierit, in hac captivitate malorum omnium Iliade detinear, propono Majestati Vestræ justificationis meæ argumenta, humillime supplicans, ut æqua & benigna aure auscultare, finemque tandem his miseriis imponere non gravetur.

Absit autem, ut ego hic ullatenus disceptare aut defendere velim, licitum esse ulla ratione Hungaris arma contra Majestatem Regiam suscipere, prætexentibus sua jura & libertates tolli, leges fundamentales everti, pleniorem Monarchiam & absolutum Dominium sensim introduci in Rempublicam mixtam & Regnum Electivum. Absit, ut prætexam inter Regem & Regnicolas mutuum esse juramentum & contractum, a quo cum una pars resilit, resilire liceret & alteri; absit denique, ut Majestati Vestræ Cæsareæ vacantiam diuturnam Palatinatus aut violationem aliarum legum juratarum, aut articulorum, aliaque gravamina, quæ ho-

die passim a malecontentis circumferuntur, objiciam, quamquam hæc, & similia efficiant forte, ut tumultus Hungarici tam infames non audiant, quam hæreditariorum Vasallorum rebelliones, & propterea Augusta Vestra Domus mitius & moderatius exemptos Hungaros, quam nocivos subditos tumultuantes hactenus castigare consueverit; nunquam tamen ejusce mentis fui, ut ob similes cavillationes fidem & tranquillitatem publicam violarem.

Inprimis ergo quod factum ipsum attinet, jam Majestati Vestræ Cæsareæ & toti orbi notum, me nullum fœdus cum Turcis iniisse, nullis pactis subscripsisse, nullam penitus hostilitatem contra Majestatem Vestram opere exercuisse, nullum meorum militum aut servitorum arma sumpsisse; Sed e contra me in omnibus & per omnia suis literis & nutibus obedivisse, meum filium Viennam præmisisse, meipsum sponte secutum fuisse, imo ex meis literis ad Principem Ragozium datis nonnihil ad compositionem tumultuum Hungariæ superioris cooperatum fuisse, quin imo rem totam confecisse, ita ut hoc unico actu quæcunque delicta perpetrassem, resarsisse & recompensasse videar, ut meum peccatum, si ita appellare placeat, sanctum beatumque appellari debeat, quod Majestati Vestræ Cæsareæ tantam felicitatem causaverit, & licet hæc opus externum concernant, plurimum tamen ponderis & momenti habent, cum summæ leges non nisi judicent, nec soleant Principes sublimes & heroicæ mentes anxie attendere ad molimina interna, quæ noxia non sunt, vel feliciter succedunt. Quare cum

cum Cæsar Pompeji & postea Scipionis offendisset literas, quibus dabatur notitia conspirantium civium & secutarum machinationum, non solum ea non legit, sed ne adspectas quidem incendio absumpsit, ratus, non debere Cæsarem causas irarum quærere, nisi in iis, qui sese aperto Marte vel ostentabant vel opponebant. Quantum vero ad intentiones meas & secreta cordis attinet, quandoquidem tota causa huc devolvatur, & nemo ea sciat melius quam ego, jurando affirmo (paratus quandocunque solenne juramentum super hoc deponere) me nunquam habuisse intentionem rebellandi, multo minus me submittendi Turcis, aut iisdem adhærendi, sed potius eos ruinandi & destruendi, si possem. Consiliorum Hungariæ superioris non fui complex aut particeps, licet aliunde subodoraverim, rem ibi non bene & fideliter agi, pro Majestate Vestra Cæsarea, quod ipsum in aula vestra patefeci, sed id contemptum aut non creditum, tanquam foret proprium commentum.

Misi in Turciam Capitaneum Bukorakci, eumque fateor, munivi literis Credentialibus & sigillo meo, permissione tamen Majestatis Vestræ Cæsareæ, quæ concessit, ut res Turcarum missis Exploratoribus accurate explorarem, nam paulo ante per Comitem Rothal aperui candida mente Majestati Vestræ Cæsareæ oblationes & promissiones Turcarum mihi factas mediante quopiam mancipio meo Turcico, nomine Omer Ispaya, quod etsi difficulter fuerit creditum, jussit tamen Vestra Cæsarea Majestas, ut arctam cum Turcis correspondentiam servarem. Misi ergo dictum Capitaneum

intentione explorandi molimina Turcarum, quibus facili negotio exitium causassem, in hunc finem Bukovakcio injunxi, ut oculotenus tractatus cum Turcis iniret, aut potius inire fingeret, ut Majestati Vestræ clare demonstrarem, nullam habendam esse fidem mellitis illis Turcarum verbis, quibus aulam vestram inescant, & fluxa & fucata esse eorum fœdera promissa, & tamdiu durantia, donec suppetat occasio: ne tamen res eo loci deveniret, unde pedem recte referre non liceret, caute eidem injunxi, ut unum alterumve reservaret, super quo assereret, se concludendi potestatem non habere, donec ad me reverteretur.

Spargitur interea & ope æmulorum fama ubique volat, Zerinium rebellem esse, defecisse a fide Cæsaris, educturum in Christianos ingentem Turcarum exercitum, habere suos legatos apud Portam Ottomannicam, terrore tandem implentur omnia. Et ego, ut verum fatear, volens in aqua turbida piscari, & præmium virtutis, meo judicio toties negatum, dolo extorquere, non fui sollicitus de compescendo illo rumore, sed eum permisi currere liberrime, imo quodammodo auxi, si non claris saltem ambiguis literis, colloquiis, discursibus, tractatibus aliisque argumentis, quæ jam in partem facti contra me afferuntur; Cum tamen simulata mente & personato vultu a me acta sint ad hanc technam struendam, ut vel hoc umbratili terrore æstimationem aut promotionem adipiscerer, in qua illibata firmiter meæ familiæ fides, majorum meorum gesta miranda potius quam imitanda, nupera mei Fratris gloriosæ memoriæ merita, & nonnulla etiam mea (absit jactantia verbo)

bo) extincta & obliterata multorum judicio jacebant; non obstante tamen hoc stratagemate & techna hac artificiosa quam ordiebar, ut mea mens pura remansit, nunquamque ad perfidiam collimavit, ita omni hostilitate abstinui, & nihil prorsus gessi, quod Vestræ Majest. Cæs. esset perniciosum, imo in reditu P. Forstall, quem ad Majestatem Vestram ablegaveram, ad nutum Vestræ Cæs. Majest. & suorum Principalium Ministrorum ab hac ipsa umbratili & personata pugna primum abstiti, & cætera omnia Majestati Vestræ gratissima præstiti, etsi facillimum mihi fuisset, multa mala perpetrasse, & ut omnes fatebuntur, Cæsareum militem in confinio meæ insulæ de die in diem lento pede sine ullo ordine & raris agminibus se se congregantem, in dies parva manu successive trucidasse. En tibi, Augustissime Cæsar, veram seriem non facti tantum, sed & intimarum mearum cogitationum, quibus parum aut nihil me peccasse reor, cum ad optatum pervenissent scopum, scilicet, si ego promotionem, officium, munus quodpiam insigne a Vestra Cæsarea Majestate hoc stratagemate extorsissem, id ego credo collatum fuisset (sine jactantia tamen) in virum & familiam de Rep. Christiana bene meritum, & qui fide in Austriacos nulli unquam cessit, ego igitur nec peccarem recipiendo, nec Vestræ Cæsareæ Majestati præjudicium fieret conferendo. Agnosco tamen & experior, nec serio nec joco paciscendum cum Principe, aut cum eo ineundas conditiones; si id tamen crimen sit, certe non læsæ Majestatis, non perduellionis, non perfidiæ, aut infidelitatis crimen est, sed

techna etiam multoties practicata a Vasallis etiam fidelissimis, potentia & invidia oppressis in aula, ut ex veteribus & ex recentibus auctoribus optime constat. Et hanc artem non semel fortassis exercuerunt aliqui nostratum sub penultimis Majest. Vest. Cæsar. ministris, qui similes præsumptos tumultus exercuere, quorumq; pretio malebant redimi, quam ad puriorem resolutionem devenire; & sane me alienam ab hac intentione mentem omnino habuisse, convincitur quamplurimis evidentissimisq; rationibus, indiciis & argumentis. 1.) Cum sit fluxa & falsa Turcarum fides, nulli unquam servata, ita ut vix hodie extet memoria ullius familiæ ex tot illustribus, quæ se unquam Turcæ submiserunt, facilitas ipsa & promptitudo Turcarum ad violandam pacem & fœdera inita cum Cæsare mihi argumento esse poterant, non majorem in fœderibus ineundis mecum fore firmitatem. 2.) Est innata mea Majorumque meorum Antipathia cum Turcis, eorumque meum; tot enim tantæque acceptæ & vicissim illatæ clades, facile animos utrinque exacerbarent, nec diuturnam admitterent amicitiam. 3.) Est impossibilitas ipsa exequendi destinata sine commeatu, armis, pecuniis, militia, sine liga, sine confœderatione, sine ulla prorsus adhærentia, ubi e contra fere omnes totius orbis Christiani Principes jure merito habiturus essem pro hostibus. 4.) Imperceptibile est, me voluisse illibatam familiæ meæ fidem, & gloriam tot heroicis gestis confirmatam, tam fœde & ludicre contaminasse. 5. Est, me Regni Proceres aut vicinos meos in partes meas non sollicitasse, sine quorum assisten-
tia

tia tamen nihil fieri poteſt. 6. Eſt, meipſum primum fuiſſe, qui in aula Veſtræ Cæſar. Majeſt. hanc præſumptam rebellionem primus patefecerim, expulſa Comitiſſa fratria mea vidua, præmiſſo ad Majeſt. Veſt. Cæſ. Epiſcopo Zagrabienſi & poſtmodum Patre Forſtall, plurimisque aliis indiciis, & licet affinis ſeu uxorius meus alio fine urſerit, ut vidua expelleretur ex arce, & una etiam expelleretur Pater Forſtall, ego tamen, quum diverſos ab Affine alebam conceptus, & patrem Forſtall detinui, & viduam abeuntem rogavi, ut has controverſias in aula componere ſatageret, recordareturque ſe brevi redituram; nihil autem certo horum feciſſem, ſi adventum Turcarum, qui primum in Julio in campum prodire ſolent, expectaſſem, ſed omnia alto ſilentio presſiſſem, ſimulata interea ſumma fide usque ad deſtinatum tempus. 7) Efficacisſimumque argumentum eſt, quod nulla præparatoria fecerim, nullum commeatum, annonam, munitionem aut militem vel pro defenſione unius quidem loci comparaverim (num ergo toti potentiæ Auſtriacæ me opponere voluiſſem) nulli meorum dederim ordinem arma ſumendi, nullam prorſus reſiſtentiam fecerim, nullamque hoſtilitatem exercuerim, quum miles Veſt. Cæſ. Majeſtatis vix ad tria quatuorve millia numeraretur, ac laſſus nulloque ordine conveniens ad internecionem deleri potuisſet. Filium denique ad Cæſaream Majeſtatem Veſtram, Patremque Forſtall ſine mora ac tergiverſatione miſerim, promiſerimque eidem Patri Forſtall, me una iturum aut confeſtim ſecuturum, quotiescunque Veſt. Cæſ. Majeſt. juberet, cum tamen mihi

facillimum fuiſſet divertere, aut digredi quocunque libuerit, in Italiam, Germaniam, Hungariam aut Turciam, & tam amici quam inimici multum improbarent meum adventum Viennam, ivi tamen, quia nullius mihi malitiæ conſcius eram. Hisce argumentis perpenſis nemo eſt, qui ſuſpicari poterit, me voluiſſe a fide Veſtræ Cæſareæ Majeſtatis deficere, aut Turcis adhærere, niſi delirus ſit, aut me deliraſſe exiſtimet, ſed volui ſolummodo ad lucrum nomenve conciliandum tentare ſub Principe Averſperg, miniſtro, qui tunc erat, Majeſt. Veſtræ, quod alii ſub eodem non ſine lucro tractarunt, cum ille ad alia merita vix attendebat, & hoc facile penetrant, qui ſtatum meum & illorum temporum intelligunt; & licet e re mea non mihi videatur, meas ſecretas intentiones in ordiendo hoc ſtratagemate pluribus communicare, communicavi tamen iis, quibus fidebam, & quorum intererat. Teſtes adduco, D. D. Vice-Bannum Chiculianum, Petrum Braſinski & Nicolaum Batachich, coram quibus me expectoravi, aſſerens, me cum conſenſu Cæſaris correſpondentiam cum Turcis non ad malum finem habere, eodemque aſſecuravi, quod nullatenus intenderem eſſe Prodito: Patriæ, aut Cæſari Rebellis, teſtis ſit P. Forſtall, quem cum conturbatum ob hanc rebellionem vidiſſem ſeria & ſincera intentionum mearum expectoratione ſolatus ſum, ſpecialiter autem quadam vice, cum Orpheus Franchipanus plurima præjudicia e ſuo cerebro diſſeruiſſet, P. Forſtall ſermonem reſumſit & liberius reſpondit, nos procul adhuc eſſe ab illis Chimæris, quales ſibi imaginaretur Fran-

Franchipanus, ſive res ſerio ſive joco agatur; ſi vero Chriſtiani eſſemus, ſatius eſſe, ut de compoſitione tempeſtive ageretur, & alia plura in hunc finem addidit. Replicavit Orpheus cum fervore, rem hanc adeo difficilem non eſſe, & jam prætergreſſos eſſe omnes compoſitionis terminos, non eſſe credendum verbis aulæ & verbis Germanorum: ex neceſſitate ergo faciendam eſſe virtutem. Tunc dimiſſo colloquio, iterum ſemotis arbitris aſſecuravi Patri Forſtall de mea optima & Chriſtiana intentione, monens tantum, ut pro ſui ſecuritate cautius & mitius loqueretur, præſertim coram iis, quos noſſet male intentionatos esſe, & ob hanc cautelam, dictum Patrem Forſtall aliquot diebus rarius ad me admiſi, & vix unquam aliquid præſente Orpheo aut Marchione cum illo locutus ſum. Omitto verba mea prolata in teſſeram fidelitatis erga Majeſtatem Veſtram Cæſaream coram Patre Superiore Uratinenſi, Soc. Jeſu & coram D. Canonico Heslinger, coram quibus pluries repetii, me magis timere amicitiam Turcarum, quam inimicitiam; prætereo multas alias rationes evidentes, ſcripta, facta & verba, ex quibus manifeſtam fidelitatem meam erga Majeſtatem Veſtram Cæſaream abunde probare poſſem. En factum & intentiones meas, Auguſtiſſime Cæſar, jam ad verbum, idem, promiſſiones Majeſtatis Veſtræ Cæſareæ & ſuæ aulæ, firmiſſimum omni gentium jure præſidium me converto. Dato & nunquam conceſſo, quod fuiſſet mihi animus rebellandi, verbum tamen Majeſt. Veſtræ Cæſareæ ſanctum & inconcussum manere debet. Violationem fidei, etiam

Turcis & infidelibus datæ, Deus sæpe non semel severe castigavit, verbi adeo tenax fuit Austriaca Domus, ut maluerit aliquoties magnæ ruinæ periculo sese exponere, quam verbum violare: In hoc fundatur jus Gentium & totius generis humani commercium & communicatio. Fides & clementia duo fulcra sunt Vest. Augustæ Domus, quæ ruere nunquam potest, quamdiu illa non subvertitur; Majestas autem Vestra Cæsarea inprimis suis literis per Episc. Zagrabiensem mihi indubitate promisit continuationem pristinæ gratiæ & adhuc novos favores, quæ certe amplissima venia & amnestia Princeps a Lobkowiz, supremus Minister & Aulæ Præfectus, distinctius & articulatius mihi promisit nomine Maj. Vestræ Cæsareæ per Magnum Marcum Forstall Augustinianum, me nullatenus declaratum iri in rebellem, aut infidelem, nihil facturum in vita, bonis, honore, libertate, muneris officiis, dignitatibus aut privilegiis, si tempestive obediero, si meum filium in obsidem, si chartam biancam manu mea subscriptam in tesseram obedientiæ ac fidei ad Majestatem Vestram Cæsaream confestim transmisero; promisit mihi Generalatum Varadinensem aut Carlstadiensem, si tamen Bannatum resignare vellem, promisit solvere debita Domus ad 40. millia circiter florenorum, promisit res familiæ nostræ habituras in aula prosperum successum, & rursum se tanquam dilectissimum cognatum me nunquam deserturum promisit, quia sicut illo tempore in Passione legebatur, quod Sanctus Petrus ad teriam vicem peccare-

caverit, & facta pœnitentia, nihil eidem ademptum sit, sed fuerit factus Princeps Apostolorum; ita & mihi fieret, si resipiscerem, addiditque Princeps, iteratis vicibus, se neminem unquam decepisse, semperque suis verbis stetisse, Clementiam Austriacam esse infinitam. Hæc vere omnia confirmavit Dominus Baro Hocher, Aulæ Cancellarius, sermonem in conferentia exorsus, de revirescentia veris meritorumque aliquid simile saltem hoc dixit: meum lapsum mihi non nociturum, & non solum dandum esse præmium resipiscentiæ & obedientiæ modernæ, sed etiam fore, ut post resipiscentiam virginea & incontaminata Zriniorum fides, & illustria merita tam familiæ, quam mea propria hactenus sopita, revirescant & præmium obtineant, sicut Deus soleat cum peccatoribus agere. Hæc & alia, quæ brevitatis causa omitto, pluribus verbis coram me exaggeravit dictus Pater Forstall. Quare verbo ultro citroque dato, & stipulata utrinque manu filium meum & chartam biancam eidem assignavi, addens præterea, me paratum ad :os comitandum, siquidem Vestra Cæs. Majestas usserit: Idem mihi oretenus Celsissimus Princeps le Lobkowiz, præsente Barone Hocher, cum ad udientiam ejus Viennæ admissus fuissem, pollicius est, dummodo tumultus Hungariæ superioris neis literis componere juvarem, quod & feci, das ad Generum literis, & Deus illorum animos ita nollivit, ut ad meas simplices literas statim Vest. æs. Majest. sese submitterent, statimque Comitem : Stahrenberg liberarent. Hæc inquit Prinps, Domine Cognate, si effeceritis, promitto vobis

bis ſancte, totalem veniam, liberationem, gratiam Suæ Majeſtatis, priſtinam reſtitutionem bonorum in integrum, honores, officia, Generalatum primum vacantem, in ſumma vos magnum adhuc virum efficiam. Qui norunt, quam exiguus fuerit exercitus Majeſtatis Veſtræ Cæſareæ, qui norunt, quod decem poſſint illos paſſus contra centum defendere, non negabunt, me tantum meritum feciſſe iſtis literis, quantum rerum Ungaricarum felicis ſucceſſus intererat Veſtræ Cæſ. Majeſtatis. In danda charta bianca Patri Forſtall hæſi aliquantulum, ut verum fatear, cum in ea poſſit vitæ ac necis ſententia, nec non retractio factarum promisſionum contineri; mirabar, quem in finem peteretur, ſed cum P. Forſtall replicaſſet, non eſſe ſcrupulandum, ubi cum Clementiſſimo Cæſare res eſſet, chartam biancam peti in majorem confirmationem & validationem promiſſorum, depoſita omni cunctatione & formidine, eam tradidi. Poſtmodum quando P. Forſtall hic Viennæ ad meum colloquium admiſſus eſt, inquiſivi de me charta bianca & quid in illa ſcriptum; reſpondit, propria manu ſe in conclavi Principis ſubſcripſiſſe in ea, quæ Princeps juſſit, Principem autem nihil aliud petiiſſe, quam ut me obligarem ad ſuſcipiendum præſidium Cæſareum, ad Viennam veniendum in perſona & ad denunciandum complices, ſi qui eſſent, quæ omnia jam a me facta & præſtita ſunt. Si ergo Veſtra Cæſarea Majeſtas pro ſua infinita Clementia, nihil in me benignius ſtatuere velit, valere ſaltem debet iſta charta bianca, tanquam ultima reſolutio & concluſio Veſtræ Majeſta-

jestatis Cæsareæ. Audio posse hisce meis rationibus opponi, quod forsitan P. Forstall pro suo interesse excogitaverit, & commentus sit illa verbosa promissa, item Principis de Lobkowiz & Aulæ Cancellarii non sufficere, nec teneri Cæsarem ad omnia, quæ Ministri promittunt, adimplenda, denique per chartam biancam obligari me quidem, non autem Cæsarem. At similes subtilitates Professoribus in Scholis competunt, & vix inter honestos mercatores practicantur multo minus in Aula Cæsarea, aut quando tractatur, cum Principe, Rege, Cæsare. P. Forstall literas Credentiales habuit a Principe, quibus ego fidem dare debui: Si P. Forstall male fecit, si erraverit, si limites suæ jurisdictionis excesserit, quod non credo, viderit ille, ipsius error non debet mihi damnum reputare, dum feci, quod debui. Ego cum Principe de Lobkowiz & Domino Cancellario Aulæ, in quantum personæ publicæ sunt, & Cæsarem repræsentant, ejusdemque Principaliores Ministri sunt, egi. Verbum igitur eorum, mihi Verbum Cæsaris est. Obligatio pariter per chartam biancam mutua & reciproca est; ad quid alias Cæsar sola illa puncta, non alia inscribi curaret chartæ biancæ, nisi cum iisdem contentus esse velit? Similes subtilitates sternerent viam ad omnem fidem tollendam. Cæsarea Aquila non capit muscas & Augustissima verba, auguste amplianda & favorabiliter glossanda, non ad subtilitatum angustias coarctanda. Quod a verbo mihi dato, a venia promissisque mihi factis fortasse desunt aliquæ formalitates, aut apices juris, in quibus nec ego versatus,

nec

nec Reges aut Cæſares, quorum eſt jura facere, mutare aut corrigere, admodum curant, mihi profecto, qui ſincere egi, præjudicio eſſe non debet, & nullius rei pœnituiſſe magis fertur Carolus V. & de nulla re magis taxatur, quam quod ob Miniſtri ſui Granvellani cavillationem ambiguam reddere voluerit veniam factam Landgravio Hasſiæ. Præter hæc conſideret Clementisſima Majeſtas Veſtra, magnam partem Acatholicorum & aliorum, qui hoſtilitatem exercuerunt, qui arma contra Majeſtatem Veſtram ſumpſerunt, quorum etiam Majores forſan deliquerunt, perdonatam tamen eſſe & reſtitutam, mihi vero obedientia mea, fiducia in Cæſarea clementia, mea & avorum fidelitas reportabit damnum, nocebitque, quod ab hoſtilitate abſtinuerim, quod ad pedes Veſtræ Cæſareæ Majeſtatis accurrerim, tanquam ad aſylum; illis temeritas ſua & reſiſtentia commodum referet, eruntque melioris conditionis, qui pejus fecerint; & ego, qui cognitione, verbo, opere, non contradixi, dicor tamen rebellis. canam ergo cum Penelope:

*Diruta ſunt aliis & nunc mihi Pergama reſtant.*

Conſideret etiam benignisſima Veſtra Cæſarea Majeſtas, quod nemo posſit duplici pœna puniri, ego autem poſt promiſſa præmia tot tantasque patior pœnas, morte ipſa mihi longe graviores, in honore, fama; ſupellectili, bonis, libertate, in proſcriptione & diuturna hac captivitate, ſine ullo prorſus ſolatio, ut vel posſim meas rationes Veſtræ

Cæ-

Cæsareæ Majestati proponere, aut ullum peritum de statu meo consulere, & non ego tantum patior, sed & tota mea familia domestica, & binæ innocentissimæ proles. Filius, qui ob teneritudinem sui affectus, erga Cæsaream Majestatem Vestram, cum præsumptos rumores audivisset, eos patefaciens præmio dignissimus esset, diu in captivitate hæsit, a studiis & a virtutum via impeditus. Patimur etiam contra jura Regni ac patriæ nostræ a Majestate Vestra Cæsarea sancte confirmata, quæ statuunt, ut nemo captivetur, nullius bona confiscentur, nulla denique executio fiat, nulla pœna infligatur, nisi legitime citatus & condemnatus fuerit, auditis suis rationibus & defensionibus: statuunt præterea eædem leges, ne filius portet iniquitatem patris, ut familia non privetur avitis bonis & possessionibus ob delictum unius, & omnia hactenus experti sumus, & nobiscum incipitur ab executione, confiscatione. Sic leges, quæ profuere aliis, iis favere cessant, qui diuturnitate fidei & servitiorum superiorem habent nullum, aut certe paucos pares. Dignetur Vestra Cæsarea Majestas gratiose sese resolvere, quod ad leges Imperiales ac aliarum provinciarum nos non teneamur, Vestra Cæsarea Majestas autem ad Hungaricas sese benigne obligaverit, & secundum has æquum est, ut causa decidatur, perque homines earum peritos, quando de jure agitur. His tamen omnibus, si ita placet, prætermissis, ad solam Clementiam Austriacam appello. Domus Vestra cum Clementia nata est, cum Clementia adolevit & confirmata est, & non nisi extin-

tincta clementia mori aut extingui poterit; In totis Annalibus Austriacis hodiernæ severitatis exemplum vel unicum non extat, quo primus lapsus, si ita appellare lubeat, familiæ benemeritæ (primum voco lapsum; nam delicta, quæ non probantur, aut sententiantur, inter lapsus non numerantur) familiæ inquam, quæ pro Austriacis tot seculis vigilantissime excubavit, sanguinem suum prodige pro iis effudit, stupenda pro iis patravit, monstrum fidei & constantiæ erga Austriacos inter tot procellas extitit, nulla exercita hostilitate, ultro comparens, potens fugere & digredi, habitis tot splendidis promissis, tam terribiliter capite plectatur, ad arbitrium & falsam delationem aliquorum æmulorum & paucarum quarundam familiarum ex Carniola, Styria & Croatia nostris bonis & sedibus insidiantium, quorum merita & Heroica gesta, si quæ sunt, ego sugillare nolo. Econtra quamplurima extant exempla, ubi infestissimi hostes, ex semine etiam rebellium, post illata ingentia damna, vi aut justo bello capti a Clementia Austriaca non solum Viennæ donati, & in integrum restituti fuerunt, sed etiam divitiis & honoribus aucti.

Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis. Bene norunt hoc mei æmuli, quod nos diu multumque sudavimus, excubavimus, pro Styria, Carniola & Croatia defendendis, Zriniisque vigilantibus, poterant ii secure quiescere; ut vetera exempla omittam, moderna produco. Sexto abhinc anno devorassent Tartari Styriam, si meus Frater eam non conservasset, Muræ undis; Rinkchick, alias Zokolock Bassa Carniolam & Croatiam in

Cine-

Cineres redegiſſet, niſi ego derelictus quidem a Generali Averſpergio, qui ſecuritatis ergo, Labacum ſe contulit, Turcas profligaſſem, capto fratre ipſius Baſſæ. Jam autem in præmium laborum, & teſſeram gratitudinis ſuadent, ut ſtirpitus eradicemur, ut alio transplantemur, ut illi noſtra bona, quæ multo nobis ſanguine conſtiterunt, occupent & poſſideant; Prodeat in medium quicunque illorum, qui audeat, cum veritate promittere, ſe ſuosque præſtituros Domui Auſtriacæ aut Chriſtianitati, plus quam Zrinii præſtiterunt æqua fide & conſtantia meliusque domituros immanem illum hoſtem, lubens ſuæ prætenſioni ſuffragium addam; ſi autem nemo eſt, qui id præſtare præſumat, ſi noſtro muneri ad ſtuporem eorum, qui hiſtorias legunt, ſatisfecimus, cur non mereamur illud continuare, avita bona poſſidere, plus quam alii? Cur non deberent potius averruncatæ arbores iterum plantari & rigari, ut radices figerent, & denuo ſimilem fructum ferrent? Dabitur forte adhuc occaſio, qua licebit monſtrare, quis ſui ſanguinis profuſior ſit, in ſervitio Domus Auſtriacæ? Faxit Deus, ut eo fervore, quo jam accurrunt ad bona noſtra, unc omnes certemus, curramus ad profligendum oſtem. Potenter ſe exercuit hactenus contra os invidia, jam foret tempus, ceſſaret, ſi ratione : virtute contentaretur: At ea eſt invidiæ condio (ut accurate notat Savedra) ut non ante deſiit, quam æmulum ad extremam, ſi ita poſſit, deſerit miſeriam. Sol enim umbras non facit, amdiu in ſupremo conſiſtit vertice, quando aun declinat, tum creſcunt illæ & porriguntur lon-

 gius;

gius; Sic etiam prorſus invidia majori propellit impetu, qui in ruinam jam pronus eſt, aut labi incipit, & quoniam illa plerumque nonniſi puſillanimes occupat, ſemper in metu eſt, ne rurſus ſeſe erigant. Si tamen iſti aut alii quicunque timent ultionem, iram vel vindictam a me in illos exercendam, ut ſpargitur, ſuadentque propterea Veſtræ Cæſareæ Majeſtati, ne reſtituar in bona, patriam, officium & libertatem; eſto ſit frivolus ille timor & excuſatio, quæ omnem juſtitiam peſſundaret, libenter tamen cautionem quamcunque & fidejuſſionem dabo, & quamcunque compoſitionem imaginabilem cum iis inibo; contra omnia mala, excepta morte, poteſt inveniri remedium, ego a Deo non peto mihi dimitti peccata, ſi Chriſtiane iis non ignoſco omnes injurias, ita ut nec recordari earum optarem. Quibus omnibus perpenſis, humillime ſupplico Majeſtati Veſtræ Cæſareæ, ut ſe ad ſtatum ſibi naturalem reducat, benignitatis ſcilicet & clementiæ, & tam noſtrorum ſervitiorum fidelium quam ſuorum promiſſorum, ut ſacri verbi memor, miſericordes oculos in me convertat, & non inurat notam familiæ nigram, ſemper ſibi fideliſſimæ, quæ nullum unquam ſcivit nævum admittere. Efflictim autem rogo, ut mihi libertatem interim concedat, qua cauſam meam defendere coram viris legum noſtrarum peritis, rationeſque meas proponere & media placandæ Veſtræ Cæſareæ Majeſtatis invenire valeam, cæteraſque gratias largiri mihi non gravetur, quas in hoc ſtatu rerum neceſſarias reputo, quam

diu

diu multumque conservet, ut optat Vestræ Cæsareæ Majestati

*Dabantur Neostadii*
*Anno 1670.*

*Humillimus Orator*
Comes Petrus a Zrin.

## DXXVII.

*Litera FRANCISCI COMITIS de NADASD, ad FILIUM SUUM, natu majorem, quibus ipsum rogat, ut associatis reliquis fratribus, sibi apud Cæsaream Majestatem delicti veniam impetrare sollicite conetur, 1670.*

Precum mearum ad Deum devote oblata commendatione præmissa, Dilecte Fili.

HEri Dominus Aulæ Cancellarius huc veniens ad examen me evocavit, rogavi eum pro facultate scribendi, quam etiam concessit. Has itaque literas tibi majori meo filio ita inscribo, ut non gravetur cum aliis duobus confidenter communicare, illique eas ita accipiant, quasi suis Dominationibus singulatim scripsissem, quod facere me minime piguisset, sed judicavi, me multa scriptione posse aliquam indignationem incurrere.

Deprehendi jam manifeste in secundo examine meo, quod in res meas ita inquiratur, ut tandem illis judicialiter respondeam, ac exinde rerum mearum finem præstoler. Et licet statim in primo meo examine manifeste me resolverim, quod nolim me immittere in judicium cum clementissimo Principe meo, quinimo Principis de Lobkowitz Celsitu-

dini primis captivitatis meæ diebus supplicavi, ne sua Majestas me in judicium trahat. Nihilominus tamen heri iterato examinatus humillime significavi, me nullo modo velle ullum Processum inire, nec ullo scripto purgatorio me purgare, verum totum me Clementissimi Domini & Principis gratiæ committere & capite meo ejus clementiam implorare.

Ostendat itaque semper sincere cognitam filialem erga me affectionem & una cum duobus meis filiis supplicent, fatigentque ac laborent pro me, ut gratiam apud S. Majestatem mihi impetrent, nec parcant huic labori, pro quo Deus O. M. millies erit remunerator.

Et siquidem sapientissimus Salomon ait: Patientia leniatur Princeps & lingua mollis confringat duritiem, ut eo facilius ad misericordiam moveatur, ac in se ipso Domoque Austriaca innata clementia Dominus meus Clementissimus flectatur, hoc scriptum meum & si quid aliud ad leniendum occurrat, pro sapienti suo judicio suæ Majestati aperiant.

I. Et quidem primo comprobabo ac cum Deo testificabor, cui occulta omnia patent, & cujus nomen in vanum assumere nolo, quod etiamsi ex omnibus me liberare & explicare possem, malim tamen me Suæ Majestatis gratiæ committere, quam excusationem prætendere, ut totus mundus videat, convenientius esse, ut ego pro Reo habear, quam ut judicer, me immeritum pati. Dicam quoque cum Divo Jobo, quod etiamsi habuero quidpiam ju-

justum, non respondebo, sed Deum judicem deprecabor.

II. Moveat Suam Majestatem ad clementiam illud, quod caput meum pedibus ejus submiserim, & delictum meum viva voce aperuerim, & velut a dulcissimo Patre ac Domino meo gratiam expetierim, atque omnino arbitrabar, me eam adeptum iri, præsertim, quod post hoc meum factum plures Suæ Majestatis eosque clementissimos favores acceperim. Certus sum etiam, quod in rei substantia nihil omnino celaverim, cum quibuscunque aliquam majoris momenti correspondentiam habui. Verum, ut omnes rerum etiam minutiores circumstantias ac interessatorum scriptitatiunculas referre potuissem, erat impossibile. Quia etiamsi hodie hac exactissima rerum manifestatione Regnum cœlorum adipisci possem, non valerem, ita sum oblitus earum; Nam duo prope sunt anni, a quo me abstraxerim ab illis.

III. Emolliat Suæ Majestatis pectus clementissimum & illud, quod quamdiu ego rerum istarum secundum aliquid conscius fui (quia omnium horum Wessaliana Palatinissa motrix fuit) ne minimum istæ intentiones contra Suam Majestatem progressum habuerunt. Ego etiam nullius novæ conspirationis autor fui, minus effectuavi tale quidpiam, quinimo impedivi, in quantum impedire potui. Atque hinc factum, quod Adversarii me excluserint, videntes per me nullum progressum res eorum habere posse, unde & Calvinianus ille Ladislaus Fay fassus est (ut mihi nonnulli

omnis felicitas concidit. Minorennes filii mei vehementer metuo, ne anima & corpore damnificentur adepturi præmaturam libertatem, quos ego duriori educatione continui in timore, quod alii vix iis præstabunt, licet non dubito, a Vestris Dominationibus eos bonis moribus adjuvandos, verum maturum judicium Sacræ admonitiones requirunt.

VII. Recogitet Sua Majestas Majorum meorum fidelia & utilia obsequia, ipse etiam nunquam fui inobediens servus Suæ Majestatis, nec ullis sumtibus ac laboribus peperci, fideliter equidem servivi & infelicior fuissem, ac propter malevolorum obtrectationes majorem fidem habuissem, sincero corde desideravi fidelissime servire.

VIII. Contra quem ostendit potentiam suam Sua Majestas? Hic iterum cum Jobo dicere possum. Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam & stipulam siccam persequeris. Dignetur Sua Majestas clementissimo oculo relegere 31. Maji, quantum memini, datas meas, dum adhuc liber essem, qualiter me clementissimæ S. Maj. gratiæ submisi, quod & nunc facio, etiamsi in tenebris mortis me collocaverit S. Maj. & nunc me Clementiæ ejus resigno.

At ne prolixiori scripto sim importunus, adjicio pro clausula illud, quod Sacræ literæ de Principibus loquuntur, dum scilicet Principes Dii vocantur. Sua Majestas est eritque Princeps inter omnes dignitate adeoque propinquior æterno Deo, super cujus opera est misericordia ejus, teste Propheta

Davide dicente: Misericordia ejus super omnia opera ejus. Et ubi majus delictum, illic etiam est gloriosior misericordia. Fateor equidem magnum esse delictum meum, quia peccavi contra maximum totius mundi Dominum, confido tamen in misericordia ejus, siquidem non ex præsumtione operatus sum, verum insipienti meo sensui plus nimio credens, sperabam res meas ita gubernaturum, ut non tantum mali inde eveniat, verum quod jam supra memoratam meam intentionem assecuturus, magnamque gratiam adepturus, & quia hanc eo modo habere non potui, precor, ut Vestrarum Dominationum intercessionem habeam.

Non graventur Vestræ Dominationes apud Suam Celsitud. Principem de Lobkowiz pro me intercedere, ut tanquam benignissimus Princeps, sit meus Patronus, & gratiam, quam mihi præstabit, D. O. Maximus Suæ Celsitudini rependet. Apud reliquos intimos Ministros Vestræ Dominationes quoque agant & intercedant, rogo.

Hunc laborem, ego afflictione & amaritudine pene consumtus miserabilis homo nunquam potero reservire. Verum Deus erit liberalissimus remunerator, metuo autem, ne ob hanc meam afflictionem animæ meæ detrimentum patiar, etenim qualitercunque me componam ac cuncta ex animo rejiciam, nihil me juvat, nec Deo meo, uti deberem, servire possum. Sentio etiam intra me ipsum, quod dies resolutionis meæ instet, nec multum prolongabo dies vitæ meæ, utinam tantum a Deo temporis impetrem, ut pacata men-

te

te me possim parare ad bonam mortem. Deo commendo Dominationes Vestras ac maneo

*Viennæ ex domo captivitatis meæ in domo Provinciali 14. Dec. 1670.*

*Sincero corde Deum deprecans Parens*

Franciscus de Nadasd.

DXXVIII.

*Literæ FRANCISCI COMITIS de NADASD, ad LEOPOLDUM, Romanorum Imperatorem, quibus patratorum scelerum veniam supplex precatur, 1670.*

Clementissime Imperator.

QUod infelix ego & indignus subditus Majestatem Vestram sacratissimam hucusque meis submisissimis precibus interpellare, & thronum gratiæ ejus adire intermiserim, verecundia iniquitatis meæ arcebat, & præsumebam nudis orationibus, inops meritorum, indignationem justam Majestatis Vestræ sacratissimæ magis in me irritare: Feci id per alios debita humilitate, præsumendo unice post Deum in terris a Majestate Vestra sacratissima gratuitam & pientissimam, benignissimis visceribus ejusdem innatam misericordiam. Sed me infelicem! Supergressæ sunt iniquitates caput meum: nam horrendam sententiam mortis meæ ignominiosæ, loco misericordiæ obtinui. Clementissime & misericordissime Imperator, liceat mihi

omni auxilio humano destituto hisce indignissimis precibus coram Majestate Vestra sacratissima comparere & supplicare, quatenus dignetur piissimis suis oculis pauculas lineas lacrymis meis aspersas legere & admittere. Vices Dei in terris Majestas vestra sacratissima agit, Divina justitia juxta S. Augustinum ordinavit pœnam, amantibus culpam. Et S. David inquit, misericordiam & justitiam cantabo Domino, cum itaque judicium mihi pœnam merenti factum sit, fiat & misericordia culpam abominanti, & non moriar per gladium, moriar per misericordiam Vestræ Majestatis sacratissimæ in pace, finiendo in luctu & pœnitentia pauculos Dies residuos vitæ in aliqua religiosa Domo, ne cum corpore etiam anima moriatur; sed pœniteat prius de præteritis male consumptis diebus; moveatque Majestatem Vestram sacratissimam innata Domini suæ misericordia judicium non exercere sine misericordia: Tunc namque præcipua laus est misericordiæ ac mansuetudinis, cum iræ justissima causa est. Recompensabit misericors & miserator Deus Misericordiam Majestatis Vestræ sacratissimæ hic & in æternum, cui omnem felicitatem submississimo & devotissimo corde a bonitate divina exopto & me subjicio pedibus. Dabantur Anno 1670.

Majestatis Vestræ Sacratissimæ

*Humillimus & infimus subditus*

Franciscus de Nadasd.

DXXIX.

## DXXIX.

*Litera MICHAELIS, Poloniæ Regis, ad FRIDERICUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum, de Kalckſteinio violenter Varſavia abducto agentes, 1670.*

P. P.

CUm Serenitas Veſtra per literas ad Nos exaratas de Kalckſteinio Stolinski Colonello, ubi & quando captus ſit, unde & qua ratione abductus, quique & quales fuerint, qui ejusmodi nefas patraverunt, neſcire ſe prorſus affirmat, cumque occaſione tam atrocis facti, ac injuriæ publicæ complura interveniant, quæ per epiſtolam ſatis explicari non posſint, in animum induximus mittere ad Serenitatem Veſtram ablegatum Noſtrum Extraordinarium, qui totius flagitii ſeriem exponat, & a quibus quove modo & loco peractum evidenter demonſtret, ſimulque condignam nobis & Reipublicæ, ac univerſæ nationi Polonæ ſatisfactionem præſtari unice requirat. Exinde minime nunc verbis laboramus, in accuſando crimine læſæ Majeſtatis, violati juris Gentium, amicitiæ & fœderum prope interrupti nexus, quæ omnia maturato itinere ad locum reſidentiæ Serenitatis venturus ablegatus noſter prolixe coram repræſentabit. De Euſebio Brandt, qui in nefarie capiendo & abducendo Kalckſteinio primas partes tenuit & contra fidem, ac decus publici Miniſterii deliquit, declaramus Serenitati Veſtræ nullatenus a Nobis tolerari poſſe, ut in Regiam Noſtram adeoque minus in conſpectum Noſtrum accede-

cedere & functionem publicam apud Nos obire valeat. Id vero jure merito a Nobis fieri ex productis notoriis documentis, quibus scelus hominis evincitur, Serenitas Vestra dignoscet. Accedit quod eidem Brandio a concitatis animis sortem Kalcksteinii miserantium, & facinus detestantium, atque a nonnullis nobilibus Polonis cognatione Kalcksteinio junctis; omnimodam securitatem polliceri non possimus, graviusque forte aliquid exinde emanaturum prævideamus. Porro alterius cujuspiam integri & honesti viri opera ad Nos Serenitas Vestra, si libitum erit, utatur, quem ex propositis & demandatis ad Serenitatem Vestram exemplo Nostrorum reverti, neque hic continuam residentiam figere conveniens videtur. Interim Serenitatem Vestram Divinæ Protectioni commendantes eidem valetudinis incolumitatem ex animo apprecamur. Datum Varsaviæ die 31. Decembris Anno 1670. Regnique Nostri secundo.

## DXXX.

*Literæ MICHAELIS, Poloniæ Regis, ad CLEMENTEM PAPAM X. quibus Nuntium Apostolicum cum Nationis Poloniæ, zelo & propensione in Religionem Catholicam nulli unquam gentium cedentis, flagitio, e Polonia avocari, vehementer conqueritur, 1671.*

POst oscula pedum Sanctitatis Vestræ meique ac Regni & Dominiorum meorum, filialem commendationem. Insperata mihi omnino accidit a Nuntiatura Poloniæ ad Hispanicam Promo-

motio Reverendiſſimi in Chriſto Patris Archiepiſcopi Corinthi Mareſcotti, qui ſine tali hinc diſceſſu non deſiderium magis ſui, quam juſti doloris cauſam mihi & Nationi Polonæ reliquit. Patietur benignitas Sanctitatis Veſtræ grandem exinde animi mei ſenſum in paternum ejus ſinum deponi, eo majore fiducia, quod Regnum Poloniæ,totaque hæc Natio aliquot annorum commemoratione Sanctitati Veſtræ optime noteſcat. Amplitudo Regni mei tot quot populorum in unum collectum, ac ingens robur nulli alteri Regno & genti decedit, atque ſi erga Sedem Apoſtolicam reverentia, erga fidem Catholicam ardenti & invicto zelo comparetur, etiam forte præcedit. Non exaggero fortitudinem & gloriam bellorum, quibus contra Eccleſiæ Romano-Catholicæ juratos hoſtes, Turcas, Tartaros, ſchiſmaticos, natio mea fatigatur attollere cuivis ſigna & ſacra Domini bella ampliare, anniverſarium imo perpetuum genti Polonæ eſt. Pro unione Ruſſorum Græcorum cum Latinis, quantum conſiliis & ferro etiam nunc laboretur, vel hoc argumento ſit, quod florentiſſimis & feraciſſimis Ukrainæ terris tot jam annis carere, quam unionem Græci ritus non retinere levius exiſtimemus; tractatum pacis, quem ſola unitorum cauſa difficilem reddet, magno Reipublicæ diſpendio & Regni periculo trahamus, vitam, fortunas, ſanguinem civium pro defendenda re Chriſtiana in aciem aleamque mittamus. Audeo ego affirmare Sanctitati Veſtræ, ſi de protectione unitorum vel paululum mittam, ſi Abbatias & templa ab unitis recens recepta relinquam, ſi res diſ-

disjunctorum ad eum ſtatum, quo ſub antiquis Regibus fuerunt, revocem, plane merito pacem domeſticam cum Coſaccis concludi, & bellorum ab intra & extra tempeſtati obviam iri poſſe. De me ipſo, quam majoribus meis Regibus Poloniæ pro Religione Catholica paria faciam, quam Schiſmaticos Epiſcopos vulgo Vladicas Senatu arcere, Hæreticos deponere, palmarium ducam, neque ſine aliqua invidia ac perturbatione rerum mearum oppugnatoribus orthodoxæ fidei me opponam, conſcientia mille teſtes, ſi alii deficiant, mihi ſuffragabitur, Principem unum Radzivil, Mareſchalcatus Lithuaniæ & Præfecturæ Samogitienſis (primariæ dignitates iſtæ ſunt) ſpe & ambitu dejectum, ſola ea cauſa, quod Calviniſta eſſet; ſparſum exinde in vulgus rumorem ac ſuſpicionem, quaſi non integra fide, ſed cum reſtrictione mentis juraverim, Reverendiſſimus Archiepiſcopus Corinthi candide informabit: Palatinus Trocenſis magnæ dignitatis a Schiſmate ad Latinum ritum traductus. Epiſcopatus & templa græca unitis per privilegia vel decreta tradita, novi Principatus & innati in rem Catholicam affectus mei documentum ſunt. Quidni ergo ex merito dolorem intendam, quidni coronam meam extra nominis ambitionem certe Catholicam & Chriſtianiſſimam minore loco Romæ haberi & per ejus limen ad aliud Regnum tanquam ſuperius nuntiis Apoſtolicis gradum aperiri querens indoleam. Notum ſane eſt a talibus primis exemplis ad alia exempla Curiæ Romanæ viam monſtrari, & Poloniæ quaſi de facili toleranti majora imminere, licet minus æque dehinc ſuſtine-

ſtine-

ſtinenda; ſperare tamen meliora de Sanctitate Veſtra non deſino, cum Clementem, gratum pridem & populare Regno meo nomen cogito, cum prima auſpicia Pontificii Regiminis mihi juxta, ac aliis amica ac læta fore voto & affectu præcipio. Ingredior in eam ſpem, futurum, ut Sanctitas Veſtra Paterna ſua providentia aſpera hæc in vias planas componat, vim & effectum nominis ſui, in me meosque exerceat. Clementiſſimo ſuo judicio palam faciat, num minus quid Eccleſiaſticæ coronæ a corona iſthac debeatur. Sanctitati Veſtræ longævam incolumitatem & felix Reipublicæ Chriſtianæ Imperium humili devotione ad extremum apprecor. Dabantur menſe Januario, Anno 1671.

## DXXXI.

*Literæ MICHAELIS, Polonorum Regis, ad FRIDERICUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum, cui Ablegatum ſuum extraordinarium Varſavia jam diſceſſiſſe nuntiat, ejusque fidei commiſſa de meliori commendat, 1671.*

EX reſponſoriis Noſtris, quas per Regiomontum ſecure iviſſe, jamque ad manus Serenitatis Veſtræ perveniſſe indubium habemus, ſatis conſtat Serenitati Veſtræ, periculum amiſſionis & ſuppreſſionis literarum ejusdem nullum fuiſſe, neque ſupereſt, quod ad præſens aliud ſcribamus, niſi Ablegatum Noſtrum extraordinarum ſufficienter inſtructum, jam hinc diſcesſiſſe, qui demandato ſibi officio recte & copioſe coram fungeretur. Expecta-

pectamus porro a Serenitate Vestra eam satisfactionem, quam omni jure & æquitate requirimus, tanto meliore firmitudine, quod Serenitas Vestra se jus & justitiam administrare velle in eos, qui contra Majestatis Nostræ & Reipublicæ dignitatem, contra gentium jura deliquisse, convicti fuerint, Nobis amice polliceatur. De reliquo Serenitatem Vestram Divinæ Protectioni commendantes eidem bonam valetudinem ex animo vovemus. Dabantur Varsaviæ die 22. Januarii, Anno 1671.

## DXXXII.

*Litera MICHAELIS, Poloniæ Regis, ad FRIDERICUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum, a quo Kaclksteinii Varsavia violenter abducti ergo, sibi Reique publicæ plene satisfieri desiderat, 1671.*

**P. P.**

Quod felicem Nostram Electionem Serenitas Vestra non mediocri animi lætitia exceperit, eandem nobis per Legatos suos pro tunc Varsaviæ agentes, & per literas boni affectus plenas, celeriore e vicinia cursu, aliorum Principum amica officia prævertente congratulata fuerit, id statim equidem pergrate accepimus, & nunc recenti atque nunquam obliteranda memoria retinemus, neque defuimus ex parte Nostra, qua literis, qua plerisque contestationibus elucidando reciproco studio erga Serenitatem Vestram, cui Nos fœderatæ amicitiæ, antiquæ necessitudinis, proximæ vicinitatis vincula arcti-

arctius colligarunt. Sed intervenisse nonnulla, quæ tam prosperis amicisque principiis, non bene deinceps responderint, justo dolore prosequimur, neque causam a Nobis profectam fuisse ad cujusvis recti, imo orbis judicium provocamus, bonam tamen in spem erigimur, redintegrandi mutui affectus, & inviolabilis amicitiæ conservandæ, ob promissam a Serenitate Vestra satisfactionem, ad quam in effectu obtinendam, misimus nuper ad Serenitatem Vestram Ablegatum Nostrum extraordinarium, ejusdemque ad Nos reditum vel nuntium cupide præstolamur. Cæterum nulli adversario locus futurus est, qui sinceram propensionem nostram vel minimum perturbet; si Nobis & Reipublicæ condigna satisfactio a Serenitate Vestra præstetur, ulteriora studiorum Nostrorum & reciproca voluntatis argumenta monstrabimus. Interim Serenitati Vestræ diuturnam Valetudinis incolumitatem a Deo vovemus. Dabantur Bialozercæ, die 24. mensis Januarii, Anno 1671.

## DXXXIII.

*Literæ MICHAELIS, Poloniæ Regis, ad CLEMENTEM PAPAM X. quibus sibi suisque incolis constans propositum hærere, se contra Turcas Tartarosque strenue defendendi, & Ecclesiam Catholicam ab eorum ferocitate vindicandi, asserit, 1671.*

POst oscula pedum Sanctitatis Vestræ meique ac Regni & Dominiorum meorum commendationem Pontificiæ & paternæ Sanctitatis Vestræ pro

Republica Christiana proque cælitus sibi commisso grege solicitudini adscribendum, quod me per Epistolam suam per Reverendissimum Archiepiscopum Florentinum Nuntium Nostrum certiorem reddat, prævalidas & successu Candiæ tumescentes Ottomannorum vires in perniciem Regni mei & vicinarum ditionum conspirare armarique. Atroces isti periculorum ab Oriente Nuntii remotiorem Europam implent, meas vero e propinquo aures classicum ferit, admonetque, ne formidandam deterrimi hostis potentiam, inter postrema Regiarum curarum reponam. Equidem ea indole animoque sum, quo majores mei Reges Poloniæ immortale decus meruerunt, ut pro gloria divina & fide catholica augenda & defendenda omnia discrimina subire, & vitam ipsam sanguinemque prodigere minime dubitem. Sed viginti ultra annos ingentibus & continuis bellis fatigata Polonia defensioni licet parata sit, neque impar videatur, sed offensivum tamen bellum, per temporum præsentium injuriam & nervi bellici penuriam gerere nondum satis valescit. Compertas optime habet Sanctitas Vestra Regni mei rationes. Quid porro faciendum erit ex ulteriore rerum cursu & aliorum Principum Christianorum junctis animis armisque consilia metiri, mihi senatuique meo, pro ratione status conveniet. Cæterum dignissimam Sanctitatis Vestræ operam agnosco & veneror, quod Serenissimum & Potentissimum Imperatorem Leopoldum, Fratrem & Affinem Nostrum decenter compellare in animum induxerit, & pro communi securitate & Regnorum suorum salute tuen-

tuenda, ſocietatem armorum inire, ac opportuno apparatu, ea quæ belli ſunt impenſe curare non deſiſtat. Secundet divina benignitas piiſſimam intentionem Sanctitatis Veſtræ, cui felix Chriſtianæ rei Imperium apprecando, Regnum meum filioli devotione commendo. Dabantur Varſaviæ, die 19. Februarii, Anno 1671.

## DXXXIV.

*Literæ credentiales, quas JOHANNES GEORGIUS II. Saxoniæ Elector, Friderico Adolpho ab Haugwitz, Ablegato ſuo, ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem tradidit, 1670.*

P. P.

CОrruſcante jam a biennio fere Aula Noſtra Electorali inſigniis prænobilis Ordinis Britannici Georgiani, quo Regia Veſtra Majeſtas veluti Regii in Nos affectus monumento, cohoneſtatos Nos atque devinctos ſibi ſplendida legatione voluit, ad officium Noſtrum pertinere cenſuimus, id impræſens effectum dare (quod quidem ſi per alia ſubinde impedimenta licuiſſet, jam pridem præſtitiſſemus) ut editis quantumvis ſemel atque iterum gratæ mentis pro tam auguſto munere indiciis, ſolenniori tamen quadam ratione palam conſtaret, quanti omnino Ordinis pariter ac Regiæ benevolentiæ teſſeram faciamus. Qua de re quidem quo plenius adhuc, pro eo, ac par eſt, coram teſtari queamus, præſentem Virum Nobilem Conſiliarium Cameræ Noſtræ & cubicularium dilectum

Nobis ac fidelem Fridericum Adolphum ab Haugwiz in Grosdubra &c. Ablegandum statuimus, atque ideo Regiam Vestram Majestatem amanter admodum atque officiose rogatam volumus, ut dictum modo Consiliarium Nostrum non tantum lubenter admittat, verum etiam benigne audiat, Eidemque in his quæ mandato & nomine Nostro expositurus est, omnimodam fidem adscribere dignetur. Deum Optimum Maximum precati, ut Regiam Vestram Majestatem diuturno Domus Regiæ, Regnorumque atque adeo Orbis Christiani bono salvam sospitemque cælitus servet ac tueatur. Dabantur in Electorali Dresda, die 27. Martii, 1671.

## DXXXV.

*Responsoria CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad præcedentes JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris literas, 1670.*

P. P.

ILlud Nobis præcipuæ curæ esse solet, ut ejusmodi Principes, Heroes atque Optimates in antiquissimum & celeberrimum aureæ Periscelidis Ordinem cooptemus, qui summa tum affectus tum decoris testimonia a Nobis promeriti sunt, quique clarissimæ sodalitati ornamento esse poterunt. De quorum numero Celsitudinem Vestram Electoralem inter primos optimo jure æstimandam esse censemus, adeoque lætamur eundem honorem eo animo a Celsitudine Vestra Electorali acceptum esse, quo a Nobis collatus est, sicut & sæpe alias & nuper amplissime testata est per literas suas die 27.

Mar-

Martii noviſſime elapſi ſcriptas, quas Nobis in manus tradidit Dominus Fridericus ab Haugwitz in Grosdubra &c. Celſitudinis Veſtræ Electoralis Conſiliarius, Ejusdemque ad Nos Ablegatus. Grata fuit ſcribendi materies, qua Nobis adhuc gratiorem reddidit Nuncius tam ſpectabilis, cujus merita & virtutes dignum ſibi locum in Celſitudinis Veſtræ Electoralis gratia acquiſiverunt. De cætero Celſitudini Veſtræ Electorali Ejusque ſplendidiſſimæ Domui fauſta omnia ac felicia ex animo apprecamur. Dabantur in Palatio Noſtro de Whitehall, die 21. Maji, 1671.

Celſitudinis Veſtræ Electoralis

*bonus Frater & Conſanguineus*

Carolus R.

## DXXXVI.

*Literæ CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad JOHANNEM GEORGIUM II. Saxoniæ Electorem, cui Annam, Fratris ſui Jacobi, Ducis Eboracenſis Conjugem, ſupremam obiiſſe diem ſignificat, 1671.*

P. P.

Quandoquidem abunde Nobis exploratum eſt, nihil Celſitudini Veſtræ Electorali leve aut tralatitium eſſe poſſe, quod vel perſonam Noſtrām vel Regiam Magnæ Britanniæ Domum ullatenus attingit, ſeu bonum illud ſeu infauſtum ſit, Amici-

tiæ & Necessitudinis Nostræ esse duximus, Celsitudini Vestræ Electorali quam primum significare, sicut hisce literis Nostris significamus, ita summo rerum moderatori visum esse, ut ultimus dies Martii triduo abhinc elapsi vere ultimus esset Celsissimæ Dominæ Ducissæ, Annæ, charissimi Fratris Nostri, Jacobi, Ducis Eboracensis, Conjugi dilectissimæ. Quæ postquam gravi morbo diu conflictata esset, in florenti ætate ex hac vita tandem excessit. Facile æstimabit Celsitudo Vestra Electoralis, quantum ex hoc casu dolorem merito conceperimus; adeoque patietur, ut illius partem in amicos Nostros transferamus. Precabimur interim Deum Optimum Maximum, ut Celsitudini Vestræ Electorali bonam firmamque valetudinem quam diutissime conservare, eandemque omnimoda prosperitate cumulare velit. Dabantur in Palatio Nostro de Whitehall, die tertio Aprilis, 1671.

## DXXXVII.

*Responsoria JOHANNIS GEORGII II. ad præinsertas CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis literas candidæ reciproci doloris per inopinum de Ducissæ Eboracensis morte Nuncium excitati testes, 1671.*

P. P.

Festivas inter, quas honori Ordinis Gartierii hac tempestate publice destinaveramus, occupationes haud levi perturbatione animum Nostrum perculit, quæ rerum humanarum conditio est, jacturæ

e Nuncius, quam ex inopino Celsissimæ Dominæ
.nnæ, Ducissæ quondam Eboracensis, Fratris Regii
actenus Conjugis dilectissimæ, Serenissima Do-
ius Regia, nutu Divino, fecit. Cujus quidem
ommunis doloris partem haud minimam, non
b unam necessitudinis causam, condolendo No-
is vendicamus; Firmiori tamen solamine erigi-
ıur, quod cum beate defuncta vitam caducam
ım cœlesti feliciter commutaverit, Regia Vestra
[ajestas profectum ex beneplacito divino casum
quiore animo sit latura. Atque adeo Regia,
uæ præsentis sortis Nos participes voluit, bene-
olentia freti, divinum Numen juxta veneramur,
t compensato lætioribus post hæc vicibus Regiæ
'omus luctu, Regiam Vestram Majestatem quam
iu salvam sospitemque præstet ac tueatur, Nobis
ıtem exoptatas, quibus Eidem animum Nostrum
ovis subinde amicitiæ vinculis obstrictum, novis iti-
em studiorum documentis comprobare queamus,
ccasiones largiatur. Dabantur in Electorali
Iostra Dresda, die 30. Aprilis, Anno 1671.

## DXXXIIX.

*itera FRANCISCI FRANGEPANII, ad LEOPOLDUM, Romanorum Imperatorem, quibus vitæ criminisque Perduellionis veniam impetrare conatus est, 1671.*

acratissima Cæsarea Regiaque Majestas,
Domine Clementissime.

PRæ horrore tremendæ mortis sententiæ vix ca-
lamum regere possum: desunt mihi vires,

Clementisſime Imperator, pro debito ſubmiſſum conceptum formandi ad elucendam Scintillam unam Auguſtisſimæ Clementiæ & Pietatis Chriſtianæ; unde humillime rogo hanc Spiritu languido compactam ſupplicationem connaturali ſuâ benignitate perlegere clementisſime dignetur. En genu flexus procido ante Auguſtisſimum Thronum Majeſtatis Veſtræ Sacratisſimæ, & lacrymis defluentibus ac inceſſantibus ſingultibus rogo per quinque vulnera Chriſti, per merita Virginis Deiparæ omniumque Sanctorum, dignetur Majeſtas Veſtra Sacratisſima parcere unico juventutis meæ delicto, & immaturi judicii transgresſioni. Reſpiciat Clementisſimus Imperator ſuo gratioſisſimo oculo floridam ætatem meam, quam intempeſtive perdere debeo. Ponderes, Clementisſime Imperator, me miſerandum unicum familiæ ſuperſtitem exſtare, quæ ab enumerabilibus annis Auguſtisſimæ ſuæ domui totique Chriſtianitati incontaminata fidelitate ac devotione ſemper inſervivit, & in quantum merita majorum non ſufficiunt, nec mea perſonalia (Deum teſtor) fidelisſime præſtita ſervitia Majeſtati Veſtræ Sacratisſimæ, perficiat incomparabilis ac ubique terrarum deprædicata clementia & miſericordia Majeſtatis Veſtræ, & mihi jam mortuò vitam reſtitui gratioſisſime concedat; non abhorreo mortem in exequendo mandato Majeſtatis Veſtræ Sacratisſimæ, & conteſtanda immutabili devotione mea erga meum Clementisſimum Dominum: ſemper enim paratus eſſem ad minimum Majeſtatis Veſtræ nutum ultimam ſanguinis mei guttam profundere. Sed, Clementisſime Imperator,

con-

ıtremiſco in ſola contemplatione ignominioſiſ-
i tranſitus ex hac vita per manus ſicarii. Eheu
miſerum & infelicem! utinam nunquam natus,
jam antea e vivis deletus fuiſſem! Clementisſime
ɔerator, Carolus ille Magnus in comparationem
immenſæ bonitatis & miſericordiæ exclamare
:bat, vellem & mortuos ad vitam rovocare, non
ıor in Majeſtate Veſtra Sacratisſima cognita &
nperta ſemper fuit Clementia. Nunc, Clemen-
me Imperator, exerce glorioſisſimam magnani-
atem tuam in reſuſcitando me miſerrime peritu-

Agnoſcam vitam meam, quod Sacroſanċte
ndeo, totaliter debitam (poſt Deum) miſericor-
Majeſtatis Veſtræ; nec impoſterum mihi, ſed
jeſtati vivam devotisſime. Gratiam, pietatem,
ericordiam, Clementisſime Imperator, hac ſo-
ı vice per Sanċtisſimam Trinitatem obteſtor!
ıſeat calix iſte a me! Imposſibile enim eſt, Cle-
ntisſime Imperator, ut ſpatio aliquot horarum
bus & ſpiritu dereliċtus, animæ ſaluti providere
:am ad ſufficientiam. Clementisſime Imperator,
·ipe flebiles deprecationes meas, & gratiam vitæ
qualemcunq; aliam pœnam pro lubitu benignis-
o commutare dignare. Vellem, Clementisſime
perator, plura perſcribere & miſericordiam im-
rare, aſt præ lasſitudine miſer nequeo, finio, ac vi-
ı & finem vitæ meæ, Majeſtatis Veſtræ Sacratis-
æ Clementiæ & pietati ſubmitto & committo,
ɔiens vivere & mori

Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ

*Humillimus ſervus, & fidelisſimus ſubditus, umbra mortis*

Franciſcus Frangepanius.

P. S. Die mortis hora sexta noctu in potestatem judicii Civitatensis hodie consignatus, & pro die Jovis proximo ad mortem migraturus, nisi Deus & gratia Majestatis Vestræ Sacratissimæ his superresiduis horis me redemerit.

*Neostadii 28. April. hora undecima noctis 1671.*

## DXXXIX.

*Litera* GEORGII WILHELMI, JOHANNIS FRIDERICI *&* RUDOLPHI AUGUSTI, *Ducum Brunsvigo-Luneburgensium, ad* LUDOVICUM XIV. *Galliæ & Navarræ Regem, cui causas, quibus inducti Brunsvigum obsidione cinxerint, breviter exponunt, 1671.*

Serenissime atque Potentissime Rex.

QUandoquidem non uno nobis hactenus constitit argumento, Regiam Majestatem Vestram salutem Domus nostræ singulari plane complecti cura, non facile committendum putamus, ut quod ad illam pertinere videtur, Regiam Vestram Majestatem latere possit. Itaque dum refractariam civitatem nostram Brunsvicum manu militari ad obsequium reducere constituimus, Regiam Vestram Majestatem non solum de eo, sed & causis, quæ ad id nos compulere, certiorem hisce reddere voluimus. Diu nimirum est, ex quo civitas hæc, numero atque opulentia civium ferociens, Domus nostra imperium excutere annisa. Et juvit præprimis

rimis improbum hunc conatum lis, quæ inter ma-
ɔres nostros, lineæ Cellensis & Guelpherbytanæ
'uces, de dominio & jurisdictione civitatis exorta.
a enm factum, ut dum quæque pars sibi studens,
teram in jure suo exercendo impediret, civitas
aulatim obsequendi necessitate soluta etiam ea u-
ırparit, quæ principum propria, nec a subditis, ci-
a nefas, attrectari posse communi gentium bono
lacuit. Equidem cum Fridericus Ulricus, ulti-
us Ducum lineæ Guelpherbytanæ, anno hujus
culi trigesimo quarto fatis functus, qui videri po-
rat, sublatus hic obex est, nec habuit ulterius civitas
ıod ad detrectandum obsequium causari posset.
æterum fecit licentiæ amor, ut civitas nec tum
ıagis bonam fidem agnoverit: tantoque pertina-
us imperata subire recusavit, quando minus peri-
ıli ob accisas principatuum nostrorum vires ea
ıidem tempestate sibi imminere credidit. Ac-
:ssit, quod lis, quæ non minus ac linea sæpius me-
orata Guelpherbytana extincta videbatur, in-
r nostros parentes gloriosæ memoriæ recrudesce-
: inciperet. Neque enim tam personas quam
:incipatus ipsos sequi videbatur. Quam vero id
'ave nobis nostrisque subditis acciderit, comme-
orare nimis longum foret. Nos sane litigii, quo
iscente securitati principatuum nostrorum nun-
ıam satis prospectum pertæsi, sic tandem conve-
.mus, ut civitas penes nos, Ducem Rudolphum
ugustum maneret, validisque præterea non mi-
us ac legitimis mediis ad recipiendum a nobis mi-
tem præsidiarium adigeretur. Nam nec illud
ssimulandum, jam ab initio sic nobis visum, cives
ex

ex diuturna illa licentia tantum in principis nomen
odium non ſaltem ſed & contemptum concepiſſe,
ut,niſi ſimul vir adhiberetur,illos ad debita ſubjecti-
onis munia vocare velle, nihil aliud foret,ac jus ſu-
um autoritatemve illorum ludibrio exponere. Juſ-
ſimus itaque militem noſtrum appropinquari urbi,
cives vero, ut quosdam ex ſuis, in quos diviſa Ci-
vitas, ordinibus mitterent, qui, quæ pro jure no-
ſtro poſtularemus, audirent referrentque. Com-
paruere quoque nonnulli, cæterum relatione fa-
cta, id tantum reſponſi loco tulere, Cives omnia
prius experiri, ac præſidium admittere velle. Vim
etiam illico paraverunt legendo militem, noſtrum-
que, ubi in conſpectum urbis ſe dedit, exploſis tor-
mentis infeſtando. Equidem id omne jure incul-
patæ tutelæ ſe facere, nec in crimen trahi poſſe ob-
tendunt. Ab immemoriali tempore nimirum ci-
vitatem & hac gaudere immunitate, ne militem
recipere cogatur. Eſſe præterea ſibi pacta privi-
legia, judicata, quæ fidem faciant, non eadem ſe
cum cæteris ſubditis vivere ſorte, nec quæ hi præ-
ſtare tenentur, ſibi citra injuriam imponi poſſe.
Quam inania vero hæc atque frivola, demonſtrare
in proclivi eſt, ſi operæ pretium foret. Id conſtat
Majores noſtros a Civitate nunquam in jus voca-
tos, aut cum ea de libertate pactos eſſe: Si quæ
vero inter Duces memoratæ lineæ Guelpherbytanæ
& civitatem conventa, illa nobis officere non pote-
runt, quod non tam ex facto illorum, quam provi-
dentia Majorum noſtrorum civitatem vindicatum
imus. Nec privilegium, quo jus armorum civi-
tati indultum nobis inſciis aut invitis concedi po-
tuit,

tuit, aut concessum unquam docebitur: Ex lapsu vero temporis id petere velle, tam ab omni lege alienum, quam exemplo perniciosum. Atque hinc etiam nos firma spes tenet, neminem fore, qui causam, quam fovemus, damnare velit, cum non tam nostra sit, quam omnium Regum atque Principum, quorum interest, nullo unquam tempore impune cessisse subditis, temerasse jura imperantium. Quod si vero quis odio aut invidia incitatus in nostrum damnum atq; præjudicium, quid moliri præsumserit, a Regiæ Majestatis Vestræ æquanimitate attamen id nobis promittere audemus, illam non minus promptam fore ad tuendam causam justam adeo ac æquam, juvandosque, quos hactenus ut amicos sibi commendatos habere orbi manifestavit. Augebit in ea Regia Majestas Vestra gloriam, quam jam tum sibi paravit immortalem, non minus ac in nobis studium, Regiæ Majestatis Vestræ benevolentiam quovis officiorum genere demerendi, cui & de cætero a Deo vitam longævam, prosperosque rerum successus vovemus. Dabamus in Castris prope Brunsuicum die 1. Junii Anno 1671.

## DXL.

*Literæ MICHAELIS, Poloniæ Regis, ad FRIDERICUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum, de satisfactione Kalksteinii ergo desiderata & fœderis Bidgostiensis per juratoriam confirmationem ratificatione agentes, 1671.*

**P. P.**

QUam magna & plane indubia spe agebamur, gravissimæ injuriæ Nostræ remedium, & condignam

ex diuturna illa licentia tantum in principis nomen odium non saltem sed & contemptum concepisse, ut, nisi simul vir adhiberetur, illos ad debita subjectionis munia vocare velle, nihil aliud foret, ac jus suum autoritatemve illorum ludibrio exponere. Jussimus itaque militem nostrum appropinquari urbi; cives vero, ut quosdam ex suis, in quos divisa Civitas, ordinibus mitterent, qui, quæ pro jure nostro postularemus, audirent referrentque. Comparuere quoque nonnulli, cæterum relatione facta, id tantum responsi loco tulere, Cives omnia prius experiri, ac præsidium admittere velle. Vim etiam illico paraverant legendo militem, nostrumque, ubi in conspectum urbis se dedit, explosis tormentis infestando. Equidem id omne jure inculpatæ tutelæ se facere, nec in crimen trahi posse obtendunt. Ab immemoriali tempore nimirum civitatem & hac gaudere immunitate, ne militem recipere cogatur. Esse præterea sibi pacta privilegia, judicata, quæ fidem faciant, non eadem se cum cæteris subditis vivere sorte, nec quæ hi præstare tenentur, sibi citra injuriam imponi posse. Quam inania vero hæc atque frivola, demonstrare in proclivi est, si operæ pretium foret. Id constat Majores nostros a Civitate nunquam in jus vocatos, aut cum ea de libertate pactos esse: Si quæ vero inter Duces memoratæ lineæ Guelpherbytanæ & civitatem conventa, illa nobis officere non poterunt, quod non tam ex facto illorum, quam providentia Majorum nostrorum civitatem vindicatum imus. Nec privilegium, quo jus armorum civitati indultum nobis insciis aut invitis concedi potuit,

tuit, aut concessum unquam docebitur: Ex lapsu vero temporis id petere velle, tam ab omni lege alienum, quam exemplo perniciosum. Atque hinc etiam nos firma spes tenet, neminem fore, qui caussam, quam fovemus, damnare velit, cum non tam nostra sit, quam omnium Regum atque Principum, quorum interest, nullo unquam tempore impune cessisse subditis, temerasse jura imperantium. Quod si vero quis odio aut invidia incitatus in nostrum damnum atq; præjudicium, quid moliri præsumserit, a Regiæ Majestatis Vestræ æquanimitate attamen id nobis promittere audemus, illam non minus promptam fore ad tuendam causam justam adeo ac æquam, juvandosque, quos hactenus ut amicos sibi commendatos habere orbi manifestavit. Augebit in ea Regia Majestas Vestra gloriam, quam jam tum sibi paravit immortalem, non minus ac in nobis studium, Regiæ Majestatis Vestræ benevolentiam quovis officiorum genere demerendi, cui & de cætero a Deo vitam longævam, prosperosque rerum successus vovemus. Dabamus in Castris prope Brunsuicum die 1. Junii Anno 1671.

## DXL.

*Literæ MICHAELIS, Poloniæ Regis, ad FRIDERICUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum, de satisfactione Kalksteinii ergo desiderata & fœderis Bidgostiensis per juratoriam confirmationem ratificatione agentes, 1671.*

**P. P.**

Quam magna & plane indubia spe agebamur, gravissimæ injuriæ Nostræ remedium, & condignam

dignam ſatisfactionem a Serenitate Veſtra de facili præſtandam fuiſſe, exinde literis Serenitatis Veſtræ de data 21. Decembris confiſi generoſum Opaki Succamerarium Varſavienſem ablegaveramus, dato eidem negotio, ut Kalkſteinium in locum & ſtatum, in quo ante ſubdolam violentiam fuit, reſtitui, Euſebio Brandt, contra officium Miniſtri & honeſti viri decentiam delinquenti, pœnam irrogari, Baumgartum noſtrum militem & quendum Tomaſzewski Noſtrum ſubditum Nobis extradi; cæteros Serenitatis Veſtræ milites Varſaviæ facinus in Regia Noſtra patrare auſos, alios vero per poſtam intra Regnum uſurpatam ad properandam mutatis equis extra Poloniæ fines in Pruſſiam Kalkſteinii deductionem diſpoſitos, tanquam pacis & publicæ ſecuritatis violatores, pro gravitate delicti puniri decenter requireret perurgeretque, tam dolendum Nobis evenit, nihil in effectu pro Juris & Juſtitiæ debito Ablegatum Noſtrum ad Nos retuliſſe, ſolo duntaxat proxime venturi Ablegati Electoralis promiſſo totam ſpem Noſtram ſuſtentatam eſſe. Sed ecce Ablegatus iſte per tot menſes expectatus nondum comparet, & quaſi adventum ejus itinera Noſtra inſtituta, vel inſtituenda diſtinerent, a Serenitate Veſtra allegatur, adjecto non æquum eſſe, ut Kalkſteiniani negotii ulteriori diſcuſſione utrinque fatigaremur. De Brandio, quod extorris vivat, de aliis facti participibus, quod latitent, contra quos id, quod Juris erit, ſtatuendum fore promittitur, itidem Serenitas Veſtra Nobis ſignificat, atque hic voluntati noſtræ ſatisfieri poſtremo inſinuat. Quæ hujuſcemodi an in atrociſſimo delicto inten-

intentioni Nostræ & justitiæ, an sacris amicitiæ, fœderis, necessitudinum nominibus satis conveniant, cuilibet æquo rerum arbitro existimandum relinquimus. Quod vero de præstanda per Nos fœderis Bidgostiensis juratoria confirmatione Serenitas Vestra per eandem epistolam commemorat, equidem in Nobis nulla mora erit expediendi per Delegatum Nostrum juramenti, si prius articulo fœderis, de sopiendis & exterminandis exortis controversiis, ac delegandis intra bimestre tempus Commissariis a Serenitate Vestra ex præscripto eorundem pactorum satisfactum fuerit, cui ultra triennium jam intimata & toties ex consilio Senatus Nostri repetitæ declarationi nostræ in solito pactorum fundamento firmiter inhæreamus. De cætero optimam valetudinem & prosperos rerum successus Serenitati Vestræ a Deo precamur. Dat. Varsaviæ die 9. Junii, Anno 1671.

## DXLI.

*Litera MICHAELIS, Poloniæ Regis, ad FRIDERICUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum, quibus ab eo, ut copias auxiliares, fœdere Bidgostiensi promissas, submittere contra Turcas sibi confestim velit, obnixe contendit, 1671.*

### Michael Dei gratia Rex Poloniæ &c.

PEriculorum ab oriente Regno Nostro minantium non sperati terrores, simul Ucrainæ innovata Rebellio, ac vicinæ barbariei circumstrepentia arma

arma induxerunt Nos in eam ſententiam, ut Nobilitatem univerſam in campum Martis evocandam, Noſtramque Regiam perſonam pro defenſione Regni contra hoſtes opponendam ſtatuerimus, cum vero ſubſidia militaria a Serenitate Veſtra viribus Noſtris momentum additura ſint, revocamus in memoriam articulum fœderis Bidgoſtienſis, quod Serenitas Veſtra mille quingentos pedites, & quingentos equites, nobis ac Regno Noſtro ſubminiſtrare tenetur, neque dubitamus, Serenitatem Veſtram æquitate rei expenſa, non ſolum pro præſenti bello, debitos milites nobis miniſtraturam, ſed etiam, quæ prioribus annis, & tot novis bellis a Serenitate Veſtra auxilia defuerint, ad præſens auctiore numero compenſaturam atque in pleniorem ſatisfactionem Noſtram propenſique erga Nos animi documentum, iisdem auxiliaribus copiis, ſuſtentationem per aliquot menſes ultro & prout inter Nos, poſt eductum ex ducali Pruſſia militem convenerit, ſuppeditaturam eſſe. De cætero Serenitati Veſtræ optimam valetudinem precamur. Dabantur Varſaviæ die 10. Junii Anno 1671.

## DXLII.

*Literæ MICHAELIS, Poloniæ Regis, ad FRIDERICUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum, quibus ipſum incertum rumorem illum, quaſi in Aula Polonica clandeſtini cum Doroszenko rebelli literarum commercii incuſatus fuerit, famæ mendaciis annumerandum eſſe edocet, 1671.*

Micha-

## Michael Dei gratia Poloniæ Rex &c.

GEnerosas atq; erectas mentes, cum sinistris delationibus, quæ integritatem ac innocentiam actionum suarum lædunt, graviter afficiuntur, tum veritate recte indagata famæ mendacia spernere, vel si falsitatis & calumniarum autores detegantur, illis irasci plurimum decet; non semel jam mirari, & dolere nobis contigit, quod nonnulla a veritate aliena non tantum facili aure à Serenitate Vestra admittantur, sed gravi subinde animi commotione, ac verborum acerbitate (quam Cancellariæ Serenitati Vestræ adscribentes moneri eandem frustra requirimus) nobis & Consiliariis nostris impingatur. Anterior Serenitatis Vestræ Epistola plurima fuit in perstringendis malevolorum consiliis, quo nomine Senatus noster, cui ex firma Regiminis Polonici constitutione ad latus nostrum jus dandæ sententiæ est, neque Senatus consultis ulla negotia publica hic expediri mos est, non mediocri injuria afficitur; equidem talia in Consiliarios Serenitatis Vestræ regerere moderatio nostra non patitur, tametsi omnia, quæ velint a nobis, posse retorqueri ajant, & veluti sub pactorum prætextu intendi, scriptaque de nostris in illos plane recidere res ipsa demonstret. Quod attinet præsentem summi doloris expressionem, quod non tantum palam in aula nostra regia Ser. Vestra indigna atque invidiosa oneretur querela, quasi cum Doroszenko, hoste Reipublicæ, consilia & literas ultro citroq; communicasset, sed quod eandem rem, ut sibi compertam

ad Palatinatus detulerimus, eam ſane juſtiſſimam cauſam duceremus, indignandi & graviter expoſtulandi, utque falſos tantæ rei auctores nominaremus efflagitandi, ſi tale quidpiam re ipſa exiſteret, ac vel minimo documento probari poſſet, verum hæc verbo negare ſatis eſt. Conſtat jam Serenitati Veſtræ, quomodo flagitioſa & proditoria Doroſzenko Epiſtola ab emiſſario ejus in Ruſſia, primum detecta, ad noſtras deinceps manus pervenerit, nemo tamen ingenue & aperta fronte affirmare auſit, nos aut quempiam ex Conſiliariis noſtris aliquid ſiniſtri contra hanc Rempublicam Serenitati Veſtræ imputaſſe, tanto minus integritatem ejus aut querela gravaſſe, aut per Palatinatus in dubium vocaſſe, & indigno modo traduxiſſe; aliter ſane de conſtanti & illibato erga nos animo Serenitatis Veſtræ perſuaſi ſumus, quam ut ob nefandam perditiſſimi hominis ſcriptionem vel inclyto nomini Serenitatis Veſtræ ſuſpicionem aſpergi, vel invidiæ & malignitati, cujus & ab animo noſtro, & ab aula procul cauſæ ſunt, aliquid indulgere patiamur. Quod igitur Serenitas Veſtra pro demonſtranda univerſo terrarum Orbi integritate ſua, & pro jure, quod inter omnes gentes, maxime vero amicas & ſocias viget a nobis expoſtulat, ut auctores hujus rei nominemus & palam faciamus, de quibus penitus ignoramus, idem nos multo æquius etiamque certius requirimus, ut in autores iſtius falſæ relationis inquirere, eosque, quod tali ratione ſinceram & fœderatam inter nos amicitiam & bonam vicinitatem perturbare ſatagunt, debita animadverſione coercere velit. Cæterum uti nos

non

non ponimus rumores ante amicitiam Serenitatis Vestræ, ita eandem paria facturam, & veteri ac immutabili erga nos & Rempublicam studio, & propensione mansuram non dubitantes optimam valetudinem eidem a Deo apprecamur. Dat. 15. Julii, Anno 1671.

### DXLIII.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad COSMUM III. Magnum Etruriæ Ducem; quibus ipsi de recens nato Principe, Joanne Gastone, gratulatur, 1671.*

Serenissime Princeps, Domine & Amice charissime.

INsignem communis Nostræ necessitudinis fructum ex nuperis Dilectionis Vestræ literis longe gratissimis sumus consecuti, quibus de felici Serenissimæ Conjugis partu editaque denuo in Domus inclytæ columen mascula sobole certiores Nos & novæ lætitiæ participes reddere voluit. Cum igitur tam læti nuncii officium merito inter mutuæ benevolentiæ argumenta muneremus, gratias inde, pro eo, ac par est, Dilectioni Vestræ agimus haud leves, Eidemque de auspicato hoc familiæ augmento serio gratulamur. Addito insuper sinceri animi voto, ut simul cum Progenie florentissimæ Domus gloria & magnitudo perenni Numinis divini benignitate indies porro crescat & augeatur. Cujus cœlesti Tutelæ Dilectionem Vestram ad comprobanda dediti animi studia nihil facturi reliquum etiam atque etiam commendamus. Dabantur in Electorali Nostra Dresda die 19 Julii 1671.

DXLIV.

*Litera JOHANNIS DOMINICI de LUNIGA & FONSECA, Provinciarum Hispano-Belgicarum Præsidis, ad SENATUM COLONIAE AGRIPPINAE, quibus pollicetur, Regem Hispaniarum ipsorum urbi, requirente necessitatis casu, ad succurrendum paratum esse, 1671.*

Dominus Johannes Dominicus de Luniga & Fonseca, Comes de Monterey & Fuentes, Marchio de Tarracona, Regiæ Majestatis Catholicæ Camerarius, ejusdemque Provinciarum Belgicarum ac Burgundiæ Gubernator Generalis & supremus militiæ Dux.

*Honorabiles, Prudentes, Perdilecti Amici.*

EX literis meis 30. præteriti mensis Julii exaratis absque dubio vobis percipere licuit, me pro prompto Vobis gratificandi studio cursorem specialem in Hispaniam misisse, ut Regiæ Majestatis suæ, Domini mei Clementissimi animum super petita manu fortiori in eventum insperata aggressionis seu obsidionis Civitatis Vestræ, nulla interposita mora explorarem, quem cum eadem Majestas sua mihi paucis abhinc diebus per reditum præfati cursoris benignissime aperire dignata fuerit, Vobis hisce minime celandum duxi, eandem Vobis in prædicto casu (quem Deus avertere dignetur) pro posse auxilio adfuturam, quamprimum militares copiæ suæ Majestatis Cæsareæ ad Vestram defensionem in campum prodierint, & Domini Status generales unitarum Provinciarum iisdem arma sua con-

conjunxerint, quod & illis significare non intermisi, quatenus omnes unanimiter contribuamus, quicquid pro conservatione pacis & publicæ tranquillitatis conducere videbitur, sicque præcaveatur, ne flammæ, quæ ex hoc bello oriri possint, per totam Europam grassentur, eamque rursus iisdem calamitatibus involvant, sub quibus tot annorum spatio miserando gemuit, quæ bellorum scintillæ, ut pro communi bono mature supprimantur & extinguantur, merito e re omnium Principum Christianorum est omnibus modis sollicite invigilare. Quod reliquum est, divinæ tutelæ animitus Vos commendo.

*Datum Bruxellis 7. die*
*Sept. Anno 1671.*

J. D. Conte de Monterey.

DXLV.

*Literæ MICHAELIS, Poloniæ Regis, ad CLEMENTEM PAPAM X. quibus, ut Petrum Bonsi, Archiepiscopum Tolossanum, Cardinalitiæ dignitatis honoribus mactet, obnixe ab eo contendit, 1671.*

POst oscula pedum Sanctitatis Vestræ, meique ac Regni & Dominiorum meorum filialem commendationem. Cum primum certiore notitia intellexi, sedisse animo Sanctitatis Vestræ imminutum mortali necessitate Collegii Cardinalium numerum, aliorum nova creatione supplere, simul lætitia affectus, & in spem dubiam erectus sum, fore ut nominatus a me Reverendissimus D.

Petrus Bonsi Archiepiscopus Tolossanus, Nobilis Florentinus, hac in via, eodemque tempore ad Cardinalitiam dignitatem beneficio Sanctitatis Vestræ evehatur. Notiora sunt Prælati istius merita, quam ut prolixius a me commendari desiderent; Emeruerat ille bonis in Polonia prælare actis legationibus, maximisque virtutum ornamentis præcipuam benevolentiam Serenissimi Regis Johannis Casimiri antecessoris mei, cujus ego Regiæ fortunæ successor, etiam judicium secutus sum, ut iterata nominatione mea priorem libens & ultro firmarem. Neque dubito hærere memoriæ & paterno affectui Sanctitatis Vestræ, cum flagrans desiderium, ac postulatum meum, tum Pontificiam ejus declarationem, qua proxima Cardinalium creatione, insimul cum serenissimo Imperatoris nominato, locum promovendo in Cardinalem Archiepiscopo Tolossano benigne designare dignata est. Aperitur jam campus, in quo Sanctitas Vestra paternam erga me gratiam palam faciat & prioris temporis abolito eventu coronæ Poloniæ de Ecclesia Catholica meritissimæ, decus, meamque Regiam dignitatem, non inferius in urbe haberi orbi demonstret. Quod majorem in modum exorans Sanctitati Vestræ longævum, & felix rei Christianæ imperium devotissime apprecor, meque ac Regnum meum Paternæ & Pontificiæ Sanctitatis Vestræ benedictioni filiali veneratione submitto. Leopoli 20. Oct. Anno 1671.

DXLVI.

*Literæ GENERALIUM FOEDERATI BELGII ORDINUM, ad LUDOVICUM XIV.*

*Galliæ*

*Galliæ Regem, quibus se bello instanti ansam non dedisse demonstrare conantur, aut si præter spem ipsius animum culpa quadam offenderint, se ad omnimodam satisfactionem paratos offerunt, 1671.*

EX quo merita Regum, Majestatis suæ prædecessorum in nos, statusque nostros omni tempore singularia perpendimus, adduci non possumus, ut credamus famæ nuntiæ, præsentem armorum vim in nos collimare. Ii tamen, qui undique ad nos feruntur, rumores, sermonesque habiti a Ministris Suæ Regiæ Majestatis in aulis Regum ac Principum degentibus, scripto ad nos perlati, non dubiam nobis ea de re fidem effecere. Ea propter ipsos nos penitius inspeximus, si qua in re, negotio, modove agendi nostro vel in minimo suæ Majestati ullius contra nos sinistræ opinionis ansam justam forte præbuissemus, quo probatæ hactenus suæ in nos benevolentiæ dulcedo in amarum virus odii, malum! abiisset: Verum omnibus ad unguem excussis nihil offendimus, unde jure insimularemur, sed nec a sua Majestate ullis sumus insimulati. Id quod inducere in animos non possumus, pectus Regium omnis in omnibus justitiæ amantissimum, eo usque sui dissimile, ut arma contra perveteres & fidos imprimis fœderis socios, ne denunciata quidem belli causa, aut injuriæ, si quæ sit, illatæ, resarciendæ præcupida, judicet esse arripienda. Non aliud itaque superest, nisi quod ipsi nos facem huic bello prætulisse censeamur scilicet, pactisque in Regia urbe Parisiorum 1662. initis non stetisse. Nos e contra sancte inviolateque

teque ea observasse, pro comperto habemus; & si hac in re peccati foret nostri quippiam, ecce nos ad reluendum & undequaque faciendum satis paratissimis paratiores. Unum id negari non potest nobis vel maxime invitis rem maritimam in negotiando annis abhinc aliquot non omni absque dissensione fluxisse; sed & hoc fatendum, a nobis nihil prætermissum, quod æquum bonumque exigere videbatur, ut onera cujusque partis obvia difficultatesque eximerentur; prout & hunc maximopere non modo hac in re laboramus, sed & alia quæcunque, quæ suæ a nobis Regiæ Majestatis animum possent avertere, quam ea primum nobis fuerit cognita, personæque tam Regiæ, quam dignitati ejusdem præcelsæ respondere taliter, qualiter a fidissimis, & deditissimis fœderatis desiderari posset; quin & mercimonia, navigationemque eum in statum reducere, in quo ultimo fœderis pacti tempore fuere; verbo, pro firmiori integritatis nostræ argumento copias auxiliares omnes, quoad nobis ex arbitrio sociorum licuerit, in emolumentum Majestatis suæ surrogare. Cæterum quod fama publica indies ad nos auctior, nos terra, marique in arma cogat, ejus nos rei dare rationem cuiquam non arbitramur esse necessarium. Hoc quidem sua sibi Majest. habeat persuasum non id fieri lædendi ullius, sed necessitatis causa solius, qua nos aris focisque tuendis judicamus perquam obstrictos; siquidem videret nos esse promptissimos ad ponenda quantocius arma nostra, quamprimum suæ collibitum fuerit Majestati fama undique nobis appropinquanti non dare cau-

fas

ſas metuendi ſua. Domino Groot Legato noſtro in mandatis dedimus, ut hac ſuper re cum Majeſtate ſua agat paulo uberius, familiariusque, addatque hiscę pauculis ea, quæ candorem animorum noſtrorum eidem faciant apertiſſimum; quocirca hasce noluimus dare fuſiores. Haga 10. Decembris 1671.

DXLVII.

*Reſponſoria* LUDOVICI XIV. *Galliæ Regis, ad præinſertas* GENERALIUM FOEDERATI BELGII ORDINUM *literas*, *1671.*

Amici, fœderatique perquam dilecti.

VEſtrum ad nos Delegatum Dn. de Groote ſuper iis quæ veſtri apud nos cauſa habuit peragenda, præter veſtras 10. Decembr. ad nos datas, riteque traditas, audivimus; In quibus non levi nobis gaudio fuit, vobis ipſis ajentibus, Reges prædeceſſores noſtros ſingularia in vos benevolentiæ ſigna edidiſſe. In votis nobis fuiſſet, ut memoriam pariter eorum, quæ jam inde a tempore coronationis noſtræ contigere, omnem non depoſuiſſetis, adeoque prætermiſſa quavis inutili perſcrutatione rerum, ſaniora, quam nunc de cauſa noſtra, ferretis judicia, fidemque veſtram, quam ex fœdere mutuo perantiquo debebatis, in multis labefactatam facile agnoſceretis. Cum e contra nos ſuppetias ferendi vobis tum, cum maxime egeretis, pro Status Veſtri conſervatione, ſummo emolumento veſtro occaſionem nullam prætermiſerimus. Neque enim arbitramur ea, quæ ab anno 1662. in mercimoniis noviter cepiſtis, ita ſemper vobis, ut nunc,

probata; malumusque hic judicio ſtare eorum, quorum exin minus intereſt, quam noſtra. Quod ſi ergo non eſt absq; vero, æquitatem cauſæ noſtræ, vel ipſis vobis confirmantibus, patrocinari & vos conſcientiam licet veſtram excutientes, quod damnetur, reperire nihil affirmetis, undenam itaq; vobis pavor ille armorum noſtrorum poſt noſtrum ex Flandria reditum, quo noſtra illic præſidia ad munitiones quasdam ſtruendas adhibituri, nos contuleramus, eadem numero auctiora fatemur ultro; ſed auctiora ideo, quia ſubditos noſtros tum contra vos terra marique equite, pedite inſtructiſſimos, tum contra in plerisque aulis Principum quæſitos in capue noſtrum fœderis complices tueremur. Fecimus adeo, quod providentiæ, noſtrique in protegendis ſubjectis leges muneris dictavere. Quo amplius non inficiamur, robur militiæ nos ad eum usque gradum velle invaleſcere, quoad valeat moliri aliquid dignum corona noſtra; ea freti omnino ſpe, Deum non tantum pro cauſæ ſtaturum æquitate, ſed quosvis etiam eminentes rerum Dominos ac Principes pro æqua bonaque habituros, falſisque jam pridem de nobis ſparſis dicteriis minime adſtipulaturos. Habetis ad veſtras, quod reſpondemus; eſto illæ non tam ad nos, quam unum alterumve Principem adverſus conſilia noſtra, cujus etiam prius quàm noſtris illatæ manibus, concitandum, fuerint commentæ. Dabantur Anno 1671.

## DXLVIII.

*Literæ fiduciariæ, quas* JOHANNES GEORGIUS II. *Saxoniæ Elector, Domenico Melani,*

*Ca-*

*Cameræ suæ agenti, ad* COSMUM III. *Magnum Etruriæ Ducem dedit, 1672.*

P. P.

NUlli dubitamus, quin Dilectioni Vestræ interioris Cameræ nostræ Nobilis atque Agens, dilectus Nobis ac fidelis, Domenicus de Melani, exhibitis, quas ad Eandem ipsi dedimus, literis Nostris, privatas nuperæ profectionis suæ causas probaverit. Huic itaque in patria interim commoranti cum pro singularis benevolentiæ inter Nos mutuæ constantia, certa quædam Dilectioni Vestræ oretenus, pro eo, ac par est, exponenda commiserimus, peramanter rogamus, quo haut gravatim benignas eidem aures fidemque in iis, quæ Nostro nomine jussuque proferet, perinde ac Nobis præbere velit. Quibus Dilectioni Vestræ prosperam valetudinem atque incolumem rerum statum, cum studiosissimi Nostri animi, testificatione serio precamur. Dabantur in Electorali Nostra Dresda die 16. Jan. 1672.

DXLIX.

*Breve* CLEMENTIS PAPAE X. *ad* P. GRAVINAM, *Regulæ Dominici addictum, cui consilium, quo oblatos sibi Cardinalitios honores recusaverat, serio dissuadere molitur, 1672.*

Clemens Papa X.

*Dilecte Fili noster Salutem.*

EA, qua par erat, animi admiratione inspeximus religiosæ humilitatis præstantiam, qua Cardinalitiam dignitatem nostram tantummodo in Eccle-

clesia Dei secundam recusare cogitasti, eximiamque pietatem tuam prolixis laudibus prosequuti, accuratas Divinæ Bonitati gratias egimus, quæ tam præclaros (ut ex literis ad nos datis patere videbatur) cordi tuo motus impertiri dignata est, examinanda tamen atque ad trutinam pensanda serio duximus hujusmodi consilia, quandoque enim sub amictu lucis Princeps tenebrarum latet, mentitaque melioris boni specie Divinæ gratiæ incremento resistit. Sententia nobis quoque fuerat, oblatum infirmitati Nostræ Pontificatus Maximi pondus omnino declinare, profusisque in id precibus ac lachrymis vehementer incubuimus; subjecimus vero tandem voci Dei per Cardinales Nos alloquentis voluntatem nostram, onerisque, etiam Angelicis humeris formidandi, gravitatem, impares licet, subire passi sumus; eadem quocirca sequenda a te in præsenti vestigia, pronæque loquenti in Nobis spiritui sancto præbendæ aures, satius esse consultum in Domino reputantes, autoritate qua Nos in terris Christus donavit, præcipimus tibi, dilecte fili, ut dignitatem, qua te, Urbe tibi universa plaudente nuper insignivimus, omnino acceptare velis, jucundius itaque sempiterno Pontifici sacrificium, inclytam nempe animi tui repugnantiam, ingenti cum fœnore meritorum oblaturus. Nec ullus nobis dubitandi locus esse potest, retardatum iri te a præstanda mandatis nostris (ut persuetum religiosi instituti, sectatorem decet) debita obedientia, ob metum, ut scribis, amittendæ salutis æternæ. Damnabile nimirum summopere foret, adeo turpem maculam inurere præcla-

clarissimo Ordini a quo tot, tamque illustria Christianarum virtutum exemplaria prodiere. A pluribus itaque abstinentes a perspecta probataque pietate tua hujusmodi solatium expectamus. Tibi dilecte fili noster Apostolicam Benedictionem interim indulgentes. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die 1. Martii 1672. Pontificatus Nostri anno secundo.

## DL.

*Litera MICHAELIS, Poloniæ Regis, ad NUNTIUM APOSTOLICUM, Viennæ degentem, quibus eum amice requirit, ut fœderis de propulsanda invicem Turcarum hostilitate se inter & Rom. Imperatorem panogendi negotium promovere haud gravetur, 1672.*

Cum præterito anno visum fuerit summo Pontifici speciali legatione per Reverendissimum in Christo Patrem Archiepiscopum Florentinum de propulsanda invicem Turcarum hostilitate, nobiscum & cum Serenissimo & Potentissimo Imperatore conferre, induximus in animum, impendente nobis gravissimo Turcico bello uti opera Paternitatis Vestræ, ut rem nostram, adeoque totius Christianitatis officio suo isthic adjuvet, sustentetque. Communis & juratus Christiani orbis hostis Turca, tot Gentium, tot regnorum spoliis tumidus, attritis, defessisque viribus Regni nostri, vix ac ne vix quidem retundi, reprimique potest. Quo in tanto discrimine ad amica & Fraterna auxilia suæ Majestatis respicientes, eorum non dubiam

am, ſpem pro fœderum ac neceſſitudinis nexu, proque non tantum Regni Noſtri, ſed communi Chriſtianitatis propulſando periculo, in animo fovemus. Gratiſſimum nobis erit, quidquid curæ & ſolicitudinis in tam gravi negotio publici boni, ac imprimis gloriæ divinæ & Religionis Catholicæ, cauſa Paternitas Veſtra impenderit. Uberius deſiderium noſtrum Reverendiſſimus in Chriſto Pater Archiepiſcopus Damiatæ apud nos Nuncius Apoſtolicus ſignificabit Paternitati Veſtræ, cui interim bonam valetudinem a Deo optamus. Datum Varſaviæ die 16. Martii Anno 1672.

## DLI.

*Literæ MICHAELIS, Poloniæ Regis, ad CLEMENTEM PAPAM X. cui, quibus in anguſtiis Regnum Poloniæ, ob imminens ab Ottomannica Tyrannide belli periculum verſetur, exponit, utque idem eo, quo deceret Patrem Chriſtianitatis tenerrimo affectu zeloque ſublevare velit, ſollicite ab eo contendit, 1672.*

POſt oſcula pedum Sanctitatis Veſtræ meique ac Regni & Dominiorum meorum commendationem, hactenus necdum laſſata neque ſatiata tot Chriſtianorum Regnorum ruinis Ottomannica tyrannis ſuas in arcano cogitationes alebat, donec adverſis Regni hujus caſibus, arctisq; rebus in conſilii ſui fortunam adhibitis, bellum immane nullis agitatum cauſis, ſola publice latrocinandi libidine tandem Poloniæ conflaret. Et fecit fidem atrocis iſtius ſuæ mentis, arrogantibus juxta & minacibus ad me perſcriptis literis, quibus Ukrainam & gentem

têm Cosaccorum, subditorum meorum expeditæ a Rebellibus Protectionis titulo, in suum jus devenisse affirmavit, cui tuendo ferrum se capere, & in campum Martium vere novo descendere paratus sit. Jam contractæ toto Oriente in unum vires conglobantur, jam non longe a conspectu finium validi ac numerosi exercitus panduntur, jam Scythæ intima Russiæ persultant, circumsonantia, Istrum, Tyram, Hippanim barbara arma late per campos funduntur, ut venisse summam Regni diem, & ineluctabile fatum, vix est, qui ambigat. Terrent me interim tot funesti provinciarum casus, tot ante oculos Gentium, Urbium, Insularum magna cadavera, Turcica immanitate in prædam & fumum facta. Accedit Moschus, cui semper fides & religio post sua commoda, & fallere jurejurando proinde, ac loquendi modus habetur, ex insidiis gravissimo Reipubl. tempore id agitans, ut occupatis cum Christiano hoste a tergo in Russia incumbat, vires, quas Turcæ objiciamus, sane fateri Sanct. Vest. non erubescam, haud invenio pares. Camenecum Regni mei antemurale primum impetum ægre sustinebit. Fuerunt Poloni, fuit inclyta quondam bellisque, virisque Sarmatia, nunc mutatus est color optimus. Bellis ex se invicem nascentibus, ac nexis, diversisque hostibus, postremo civilibus malis fessi, non jam de victoriæ gloria, sed de salute dimicare reliquum habemus. Ego sane non faciam animam meam pretiosiorem, quam Sanctam matrem meam Ecclesiam, & Sedem Apostolicam, quam Reipubl. Christianæ integritatem, ac meorum subditorum tutelam feram usque ad reliquias

hunc

hunc ſanguinem, quem non impiger pro Deo, & populo mihi concredito devoverim. Video enim in illis ipſis campis pene adhuc pulchre ſtantia Majorum meorum ſigna, video fuſum unctis Regum corporibus, miſtumque barbarico ſanguinem, video Poloniæ Regem & Ungariæ valida pectora in victimam concidiſſe fortunæ loco habiturus, ſi ad Sereniſſimas illas umbras malignæ Lunæ Ottomannicæ aſpectum obſervaturus addar. Denique in his præcipitiis nihil remedii ſupereſſe video, quam ut Dominum Exercituum humilibus votis fatigem, ne iſtam hæreditatem ſuam det in opprobrium, ut dominentur ei nationes, tum ſupplex ad Sanctitatem Veſtram accedo, Clementiſſimi Patris benignitate præſens regni mei periculum, atque in eo totius Chriſtianæ rei incolumitatem, ut ſummæ curæ habendam ſibi exiſtimet, atq; cum Supremo Numini vota ſolvere, tum bello nervum utilem efficaci providentia quamprimum ſubminiſtrare; Principesque Chriſtianos ad auxilium regni mei excitare dignetur. Prolixius deſiderium meum Sanctitati Veſtræ exponet, Illuſt. & Reverendiſſimus in Chriſto Pater Sacræ Rom. Eccleſ. Cardinalis Urſinus, Regni mei Protector. De reliquo Sanctitati Veſtræ longævum ac felix rei Chriſtianæ Imperium auguror, ac mihi, ſubditoque mihi populo Pontificiam benedictionem humiliter exoro. Dabantur Varſaviæ 16. Martii Anno 1672.

## DLII.

*Litera* MICHAELIS, *Poloniarum Regis, ad* DOMINUM DE BOY, *Miniſtrum Gallicum,*

*cum, cui literas suas, Regi Christianissimo extradendas commendat, 1672.*

PErspectum habentes Fidelitatis Tuæ dexteritatem, ac de nobis, & de Republ. Poloniæ bene merendi studium committendum tibi duximus, ut literas nostras Regias, Serenissimo Regi Galliarum, nomine nostro decenter reddas, quarum descriptum tenorem pro informatione Fidelitati Tuæ hisce annecti jussimus. Enixe Regni nostri periculo, auxilia adversus Turcam copiis militaribus & aliquam paratæ pecuniæ summam nobis suppeditare optamus. Diversio etiam belli per mare si classe Gallica fieret, consilia & potentiam Turcarum valde distraheret, plurimumque rebus nostris commodaret, adjungimus & de efficacibus officiis, per Legatum Gallicum apud Portam Ottomannicam interponendis, potest enim dehorratio nomine Serenissimi Regis Galliæ, aliorumque Principum Christianorum facta, Imperatorem Turcarum a bello contra Poloniam suscipiendo deterrere, vel retardare. Confidimus, Serenissimum Regem Joannem Casimirum interventoris partes sedulo obiturum, neque omittendus Cardinalis Bonsius, si præsens in aula Gallica reperiatur, ut consiliis officiisque suis cooperetur. Gratum nobis ac meritorium Fidelitas Tua præstabit servitium, quod occasione data Regali nostra recompensare non gravabimur. Datum Varsaviæ die 25. Martii Anno 1672.

## DLIII.

*Litera MICHAELIS, Poloniæ Regis ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, quibus ipsi, quantum Poloniæ a Turcis metuendum sit, refert, ac abs eo rerum gerendarum nervum & copias auxiliares impense efflagitat, 1672.*

P. P.

NOn ignotum esse existimamus Majestati Vestræ, quanto in discrimine belli Turcici Regnum nostrum versetur. Communis & juratus Christiani orbis hostis, tot Regnorum Gentiumque spoliis & ruinis tumidus, præsertim occupatæ Candiæ successu elatus, rupta fœderum observantia, apertam nobis hostilitatem denunciavit, contractisque magnis exercitibus, & moto sedibus suis oriente ac Tartarorum totiusque barbaræ viciniæ colluvie, ad occupandam quam late patet Ucrainam & Russiam provincias nostras, præprimis ad obsidendum & expugnandum Camenecum, validissimum propugnaculum tota armorum mole imminet. Jam non longe a conspectu finium prævalidi & immensi exercitus hostiles panduntur, jam prope Danubium & Tyram truci Classico, Ottomannica arma circumsonant; Terrent nos funesti tot Regnorum casus, tot ante oculos gentium, urbium, Insularum magna cadavera, quæ Turcicæ immanitati in prædam & famam cesserunt. Scimus res viresque nostras adeo continuis bellis, variisque casibus attritas & defessas, ut nisi aliunde fulciantur, verendum, ne immanissimi hostis potentiæ formidolose succumbant. In tam afflicto & ancipiti Regni nostri

ſtri ſtatu, eximiam ſane ſpem reponimus in auxilio Majeſtatis Veſtræ, cujus numeroſi & inſtructiſſimi exercitus ingenti fama celebrantur, quam uti Chriſtianiſſimi nominis decus ad defendendam Chriſtianitatem armat animatque, ita ultra veterem inclytorum majorum gloriam propria etiam adjutæ nuper Candiæ & Hungariæ exempla, ad præclaram ſuimet imitationem pro Dei imprimis & ſancta Religione, proque tuendo Orthodoxo Poloniæ Regno haud dubie ſtimulabunt. Animadvertit facile Majeſtas Veſtra in Poloniæ noſtræ adverſo caſu reliquæ Chriſtianitatis periculum verti, neque dignius & ſanctius opes Regias impendi poſſe, quam ſi exhauſtis & deficientibus florentiſſimi quondam & amici Regni viribus ſuppeditentur. Dabit Majeſtas Veſtra propenſi erga nos animi & pro Republica Chriſtiana ſummi zeli glorioſum ac præſens, & in ſeram poſteritatem documentum, ſi partes noſtras contra Chriſtiani Orbis prædonem, tam ſuppetiis ærarii, quam ſuis efficacibus per Legatum apud Portam Ottomannicam Reſidentem officiis adjuvet; noſtri viciſſim conatus erit, præſtita a Majeſtate Veſtra difficillimo rerum noſtrarum tempore, auxilia mutuis quacunque occaſione ſtudiis & devinctorum animorum documentis grate remetiri. Quod reliquum eſt, Majeſtati Veſtræ longævam incolumitatem & proſperrimos rerum ſucceſſus a Deo precamur. Dabantur Varſaviæ die 25. Martii Anno 1672.

## D L IV.

*Litera MICHAELIS, Poloniæ Regis, ad SUPREMUM PURPURATORUM IN*

*AULA TURCICA PRINCIPEM, cui se vicinæ necessitudinis tenacissimum rumpendæ pacis fœderumque vinculi nullas unquam suppeditasse Turcarum Imperatori causas explicat, 1672.*

REmittimus Czausium cum literis nostris responsoriis, ad literas Serenissimi & Potentissimi Imperatoris Turcarum, ex quibus edocebitur Illustritas Vestra, quam sincero animo & omni conatu conservandæ paci, bonæ vicinitati, & antiquorum fœderum observantiæ, cum Porta Ottomannica studeamus, cum vero præcipua autoritas sit Illustritatis Vestræ, compellandam eam duximus, ut ad retinendam inter vicina Regna tranquillitatem consilia sua dirigat, cum nulla omnino sufficiens causa sit, ad abrumpenda nobiscum fœdera, quæ ex parte Poloniæ nunquam violata, nihilque hostile a Serenissimis & Potentissimis Regibus Poloniæ Antecessoribus nostris, multo minus a nobismetipsis attentatum, imo optima signa constantis amicitiæ, & bonæ correspondentiæ demonstrata esse variis argumentis etiam orbi universo constat; Prolixius id expressimus in memorata epistola nostra Regia, qua plenissime informabitur. Quod reliquum est Illustritatem Vestram bene valere cupimus. Datum Varsaviæ 28. Martii Anno 1672.

## DLV.

*Literæ MICHAELIS, Polonorum Regis, ad MAHOMETUM IV. Turcarum Imperatorem, quibus ipsi bellum, quod Poloniæ inferre pararet,*

*raret, veluti nullis justarum causarum fundamentis suffultum, graviter dissuadet, & ulteriorem tranquillæ vicinitatis proficuæque necessitudinis continuationem amanter offert, 1672.*

Serenissimo Principi, Domino Sultan Mechmet Chan, Imperatori Maximo Constantinopolitano, atque Asiæ, Africæ, Europæ, Persarum, Arabum, Synæ, Cypri, Ægyptique Domino, Amico & vicino nostro charissimo.

Michael, Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ &c.

EX literis Serenitatis Vestræ ante aliquot Menses per Expressum Czausium, ad nos missis, intelleximus, quod Serenitas Vestra Doroszenkium Rebellem nostrum ad protectionem suæ Portæ Ottomannicæ confugientem receperit, & vexillo ac veste eum donaverit, ac exinde tanquam voluntaria deditione factum subditum suum una cum ejus adhærentibus Cosacis & cum tota terra ac Provincia Ukrainæ potestati & imperio suo vindicet, nec non pro injuria & violatione pactorum, quasi per nos facta, Serenitas Vestra id decernit, quod partem Exercitus nostri præterito autumno ad firmandas præsidio aliquas civitates & arces præcipuo propter reprimendas incursiones Tartarorum Bialogrodensium miseramus, atque ex ea causa nobis & regno nostro primo vere hostilitatem minatur. Equidem nihil sanctius duximus & hactenus ducimus, bona vicinitate & fœderum observatione cum serenissima Porta Ottomannica. Jam satis constat Orbi terrarum, Antecessores nostros Serenissimos

& Potentiſſimos Reges Poloniæ omnibus modis præcuſtodiviſſe, ne Coſſaci irruptionibus ſuis, terra vel mari perPontum Euxinum ditiones Serenisſimæ Portæ Ottomannicæ laceſſerent, proinde non tantum inſolentes Coſacorum Ductores, ſed & univerſa Coſacorum gens ſummo labore & ſumptu arcibus erectis, ac præſidiis impoſitis, miſſis etiam validis exercitibus Polonis coercita fuit, ne limites Poloniæ excederent. Ex hac cauſa ob ademtam prædarum & incurſionum facilitatem originem habuit rebellio Coſacorum, qua auxiliis Tartarorum poſtmodum Moſchorum aucti,tot per annos coërceri totaliter minime potuerunt. Tam ſincerum pacis, amicitiæ & obſervandorum fœderum ex parte noſtra, ſtudium profecto non pari ſtudio ex parte Sereniſſimæ Portæ Ottomannicæ recompenſatum eſt; NamTartarorum excurſiones & cum rebellibus conjunctiones ſæpius permiſſæ fuerunt, ac tandem nunc Doroszenko per ſpeciem protectionis ad rebellionem magis magisque animatur. Poſtremo Serenitas Veſtra, terram noſtram, propriam & hæreditariam Ukrainam ſibi jure Dominii vindicat; Quod igitur in nobis eſt, ſincere informamus Serenitatem Veſtram,Ukrainæ Provinciam ad nos hæreditarie ſpectare, Doroszenkium ſubditum noſtrum alienandæ noſtræ hæreditatis poteſtatem nullam habere, ejusdem Dorozenkii, hominis vilis & apertiſſimi proditoris, qui nuperrime etiam Magni Ducis Moſchoviæ protectionem affectavit, & obtinuit, fraudes & dolos fidem non mereri, certiorem nobiscum ad conſervandam amicitiam viam eſſe, qui fœdera & jura vicinitatis ſem-

ſemper obſervavimus & conſtanter obſervabimus. In cujus rei Documentum, deſtinavimus mittere ad Serenitatem Veſtram Legatum noſtrum, ipſum etiam Doroszenkium & Coſacos in eo ſtatu, prout fuerunt, relinquemus: usque dum per tractatus, & conferentias amicabiles omnes controverſiæ, & prætenſiones ſopiantur & componantur. Minime dubitamus Serenitatem Veſtram æquitati locum daturam, neque antiqua fœdera, ſine juſta cauſa violari & abrumpi (quod Deus ulciſci & punire ſolet) permiſſuram. De reliquo Serenitati Veſtræ longævæ valetudinis incolumitatem precamur. Dabantur Varſaviæ 28. Martii 1672.

## DLVI.

*Litera ANDREAE OLZOVII, Procancellarii Regni Poloniæ, ad SUPREMUM AULAE OTTOMANNICAE MINISTRUM, cui Præcurſorem Legati Polonici, fœderum firmandorum cauſa mittendi, confeſtim in Aula Turcica adfuturum ſignificat, 1672.*

POſtquam Sereniſſimus & Potentiſſimus Rex Poloniæ, Dominus meus Clementiſſimus cum ſuis Palatinis & Senatoribus, atque belli Generalibus Ducibus conſilium magnum abſolviſſet, ſtatuit in primis & decrevit mittere Legatum ſuum ad Sereniſſimum & Potentiſſimum Turcarum Imperatorem, ut decenti modo ſinceram amicitiam, bonam vicinitatem & antiquorum fœderum obſervantiam ex poteſtate ſua conteſtaretur, quod literis ſuis Regiis ad Sereniſſimum &

Potentisſimum Imperatorem per remiſſum Czauſium declaravit. Ex more itaque & inſtituto præmittimus certum hominem exhibitorem iſtius Epiſtolæ, qui de adventu Legati Polonici prænunciet & de propenſione ex parte Veſtra, ad amicabilem tractatum notitiam reportet, minime dubitamus, eam legationem ad retinendam amicitiam, ad amovendas omnes diſſenſionum occaſiones proficuam & efficacem fore. Quod ex mandato Sereniſſimi Regis mei ſignificans, expectabimus quamprimum reſponſum. Interim Excellentiæ Veſtræ bonam valetudinem & proſperitatem a Deo apprecor. Dabantur Varſaviæ, 29. Martii, An. 1672.

## DLVII.

*Litera CAROLI XI. Suecorum Regis, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, quibus ſe ipſi in mediatorem controverſiarum inter eum & fœderatas Belgii Provincias excitatarum offert, & ſanguinolenti belli conſilia diſſuadet, 1672.*

Nos Carolus, Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Dux Finlandiæ &c. Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi, Fratri, Conſanguineo, Amico, & Fœderato Noſtro Chariſſimo, Domino Ludovico XIV. eadem gratia Galliæ & Navarræ Regi &c. Salutem & proſperos rerum ſucceſſus.

*Sere-*

*Sereniſſime & Potentisſime Princeps, Frater, Conſanguinee, Amice & Fœderate Charisſime.*

SI quid unquam triſte ac luctuoſum mœrore nos afficit, id certe ſummopere nos affligat neceſſe eſt, quod Orbis Chriſtianus vix dum etiam ſanatis vulneribus, quæ nuperrimi motus inflixerant, inter pacis gaudia jam lætus tandem ageret, novum inter Majeſtatem Veſtram, & Dominos Ordines Generales Fœderati Belgii accendi bellum videamus. Quem caſum vel ideo infelicem omnino cenſemus, quod non una contentus clade, plurimas miſerandas longe lateque diffundere facile poterit; præſertim cum armorum, ut incendiorum ea ſit natura, ut vix primo ſubſiſtant loco, ſed proxima ſemper quævis, ſæpiſſime etiam longe remota concipere ſoleant. Nec etiam ſine dolore ad animum expendere poſſumus, arma in mutuas cædes cum irreparabili ſanguinis Chriſtiani jactura eos inter explicari, quorum ſociatis viribus rei Chriſtianæ ſalus inniti poſſet, quosque inſuper amicitiæ antiquæ ac fœderum nobiscum jungunt nexus. Nos itaque ex animo vovemus & exoptamus, ut quæ inſtant belli funeſti mala, cum æqua pace commutari poſſint; priusquam eo progrediantur, ut remedia tandem ſi non penitus reſpuant, ſaltem difficile admittant. Non autem hoc intra votum continere ſe poteſt cura, quæ nobis omnibus Chriſtianis Regibus ac Principibus communis eſſe debet, ſiſtendi amicabilibus mediis innoxii ſanguinis profuſionem; quin nobis ea, ut

de tollendis interventione noſtra difficultatibus, quæ Majeſtatem Veſtram inter & Dominos Generales Ordines extant, cogitationem ſuſciperemus, non ſolum ſuaſit, ſed facili negotio perſuaſit. Nimirum cum inſignia admodum Majeſtatis Veſtræ non æquanimitatis minus quam bellicæ gloriæ decora ab Orbe extollantur, perſpectumque ſit, Majeſtatem Veſtram arma antehac ſemper glorioſe æque depoſuiſſe ac ſuſcepiſſe; non poſſumus, quin confidamus Majeſtati Veſtræ nunc quoque haud ingratam fore operam, quam ab omni affectu liberam procurandæ honeſtæ paci obtulerimus. Quam fiduciam noſtram minime fruſtraneam fore, quemadmodum & mutuus inter nos ſincerus affectus, & perſpectus Majeſtatis Veſtræ amor publicæ tranquillitatis promittit, ita noſtro apud Majeſtatem Veſtram Legato Ordinario, Cubiculario noſtro ſupremo, ac legionis prætorianæ equeſtris tribuno, illuſtri nobis ſincere fideli Ottoni Wilhelmo Königsmarck, &c. ut & Cubiculario Noſtro ſupremo, illuſtri nobis ſincere fideli Guſtavo Adolpho de la Gardie &c. in mandatis dedimus, ut noſtro nomine Majeſtati Veſtræ amicam interpoſitionem & mediationem deferant, Noſtrumque præterea quamprimum ſtudium operamque noſtram gratam & acceptam Majeſtati Veſtræ cognoverimus, ſine mora conſtituemus Legatum Extraordinarium, pertractando & perficiendo pacificationis negotio, & dignitate, & animi dotibus parem; nihilque officii intermittemus, quod ad verum pertinuerit Mediatorem, noſtramque erga amicos noſtros fidem, & pro publica incolumitate para-

paratam ac indefessam curam ac sollicitudinem poterit comprobare. Quod superest, Majestatem Vestram divinæ protectioni ad prospera quævis commendatam animitus cupimus. Dabantur in Arce Nostra Holmensi die 24. mensis Maji, Anno 1672.

*Nomine altissime memoratæ Sac. Reg. Majestatis respective Filii Nostri Charissimi, ut & Regis ac Domini Nostri Clementissimi*

HEDWIG ELEONORA

Petrus Brahe, Comes in Wissingsborg, Regn. Sueciæ Drotzetus.

Carol. Gust. Wrangel, R. S. Archistrategus.

Gust. Otto Stenbock, Reg. Suec. Architalassus.

Magnus Gabriel de la Gardie, R. S. Cancellarius.

Claudius Ralamb, loco Regn. Suec. Thesaurarii.

H. Hoghusen.

## DLIIX.

*Litera CAROLI XI. Sueciæ Regis, ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem, quibus ipsi consilium suum de componendis inter eum, generalesque Fœderati Belgii Ordines enatis dissidiis ceptum*

*ceptum aperit, eumque ut certæ pacis dulcedinem, incertis belli casibus præferat, serio monet, 1672.*

Nos Carolus, Dei Gratia, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Dux Finlandiæ, &c. Serenissimo & Potentissimo Principi, Fratri, Consanguineo, Amico & Fœderato Nostro Charissimo, Domino Carolo, ejus nominis secundo eadem gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Regi &c. Salutem & prosperos rerum successus.

*Serenissime ac Potentissime Princeps, Frater, Consanguinee, Amice & Fœderate Charissime.*

QUæ Christianorum Regum & Principum cura est publicæ incolumitatis, ut ea illæsa gaudio, afflicta vero, mœrore affici soleant, ea nos maximopere sollicitos reddidit, posteaquam inter Majestatem Vestram & D. D. Ordines Generales Fœderati Belgii accendi bellum vidimus, calamitatum, quas minatur, atrocitate vel maxime luctuosum. Nam cum omne bellum incendii more, proximis ut plurimum quibusq; correptis in longe dissita serpit; tum hoc ita omnino esse comparatum videtur, ut quadam quasi contagionepluribus, concitatis principalibus totam Europam in dissidia agere possit. Nec etiam sine singulari doloris sensu animo Nostro observatur, eos infestis armis ad mutuas properare cædes, qui victores æque ac victi rem Christianam in magnum discrimen conjiciant necesse est; Cum pretium nullum committi, nec ulla vi-

victoria reportari possit, quin irreparabilis virium fiat jactura, quibus integris ac junctis Orbis Christianus adversus Barbarorum rerum execrantium Deum, vim & sanguinolentos conatus tuto inniti & possit & debeat. Hæc autem inter luctuosa occurrit nobis præclara Majestatis Vestræ æquanimitas & in pacem propensio, cujus inter insignia bellicæ Majestatis Vestræ gloriæ decora illustris quoque splendor collucet. Enim vero ut ea armorum Majestatis Vestræ successus etiam felicissimos solita est antehac semper comitari: ita & nunc confidere nos jubet, permissuram Majestatem Vestram suis præsertim fœderatis; ut sistendo bello huic, vix adhuc sanatis nuperrimorum motuum vulneribus, rursum exorto, amicam manum tempestive, dum modum nimirum ac remedium admittit, admoveant. Suscepimus itaque libenter cogitationem componendorum inter Majestatem Vestram & D. D. Ordines Generales Fœderati Belgii enatorum dissidiorum, eumque in finem per Cubicularium Nostrum Supremum, illustrem Nobis sincere fidelem Gustavum Adolphum de la Gardie Comitem in Leckoö & Arensburg, Lib. Baronem in Eckholmen, Dominum in Hapsahl, Magnushoff, Helmet, Hoyentorp & Wennegarn; ut & Nostrum apud Majestatem Vestram Ablegatum Extraordinarium Nobilem Nobis sincere fidelem, Joannem Leyonbero, Hæreditarium in Larslienda Equitem; interpositionem nostram Majestati Vestræ offerendi. Quod ipsum etiam ut faceremus, facili nobis negotio tum mutuus nos inter & Majestatem Vestram amicitiæ sinceræ fœde-

de-

derumque nexus, tum nostra quoque persuasit intentio integerrima, & quæ præter unam publicam tranquillitatem incolumitatemque Fœderatorum Nostrorum, aliud nihil respicit. Nos insuper simul ac operam Nostram acceptam, & gratam cognoverimus, sine mora Legatum Nostrum Extraordinarium constituemus, pertractando pacificationis & amicæ compositionis negotio, & dignitate, & animi virtute parem; nihilque officii intermittemus, quod ad verum pertinuerit Mediatorem, adeoque Nostram erga Amicos Nostros infucatam fidem, proque publica salute paratam ac indefessam curam ac sollicitudinem testatam reddere poterit. De reliquo Majestatem Vestram Divinæ protectioni ad prospera quævis commendatam cupimus. Dabantur in Arce Nostra Holmensi, die 24. mensis Maji, Anno 1672.

*Nomine altissime memoratæ Sac. Regiæ Majestatis respective Filii Nostri Charissimi ut & Regis & Domini Nostri Clementissimi.*

**HEDWIG ELEONORA**
**Regin. Sueciæ.**

**Petrus Brahe, Comes in Wissingsborg, Regn. Suec. Drotzetus.**

**C. G. Wrangel, Regn. Suec. Archistrategus.**

**Gustaff**

Gustaff Otto Stenbock, Reg.
Suec. Architalassus.

Magnus Gabriel de la Gardie,
R. S. Cancellarius.

Claudius Ralamb, loco Regn.
Suec. Thesaurarii.

H. Hoghusen.

## DLIX.

*Litera JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, quem amice monet, ut præprimis curæ cordique Germanici Imperii tranquillitatem sibi esse sinat, ne quid illa ex vicinis belli motibus detrimenti acciperet, 1672.*

P. P.

Regiæ Majestati Vestræ salutem dicimus,
& operam Nostram in omni officiorum
genere paratissimam offe-
rimus.

*Domine Consanguinee Charissime.*

Literis Regiæ Vestræ Majestatis in Nos favoris testificatione plenissimis, Nobis per Residentem in aula Nostra Ministrum Vestrum, Dominum de Chassan redditis, ipso simul industrio interprete, quæ de perseverantia animi erga Nos Regii, nec non de præsenti Regiæ Vestræ Majestatis in unitas Belgii Provincias expeditione belllica in mandatis habu-

habuit, ſane quam libenter accepimus. Quemadmodum igitur tot egregiis teſtationibus, mutuo inſuper amicitiæ fœdere ſancitis, merito freti plane confidimus, Regiam Majeſtatem Veſtram pro perpetua ſua ac ſingulari erga Domum Noſtram Electoralem propenſione, tum ad pacis publicæ atque univerſorum ſalutem conſervandam ſtudio ac voluntate laudatiſſima (de qua Nos dubitare benevolus pariter atque heroicus Regiæ Majeſtatis Veſtræ animus haut ſinit) in medio etiam armorum atque gloriæ ſuæ curſu, id ſerio ſibi cordi habituram, ne quid ex vicinis motibus, pax & tranquillitas Imperii hujus capiat detrimenti, idque hoc præſertim tempore, quo gliſcentes in Pannonico Limite Ottomannicorum armorum paratus haud levia Germaniæ pericula minari videntur: ita quoque ut compoſitis tandem æquis conditionibus verſante modo Regiam Veſtram Majeſtatem inter & uniti Belgii Status controverſia, Pax Regno & Ditionibus quoque Veſtris ſalutaris, auſpice Deo, ex voto reddatur, equidem futurum ſperamus. Deque Noſtro viciſſim animo, fiducia atque ſtudiis in Regiam Veſtram Majeſtatem (cui fortunatam & pacificam Regni gubernationem cum valetudinis incolumitate perpetua conjunctam ex animo precamur) præfatum ejus Miniſtrum, pro ſolita atque laudabili ſua dexteritate uberius relaturum omnino perſuaſum habemus. Dabantur Dresdæ, die 8. Junii, 1672.

XLX.

DLX.

*Litera CAROLI XI. Svecorum Regis, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, quem amice hortatur, ut universo Christiano Orbi inter magnos metus anxio, se inter faustos victoriarum successus ad pacem æque pronum ac in præliis fortem & insignem esse, generose ostendat, 1672.*

Nos Carolus, Dei gratia Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi, Magnus Princeps Finlandiæ &c. eadem gratia Serenissimo ac Potentissimo Principi, Ludovico, ejus nominis decimo quarto, Galliæ & Navarræ Regi, Fratri, Consanguineo, Amico & Fœderato Nostro charissimo salutem & prosperos rerum successus!

*Serenissime ac Potentissime Princeps, Frater, Consanguinee, Amice & Fœderate charissime.*

QUemadmodum ex nunciis literisque ad nos perlatis prosperos armorum Majestatis Vestræ progressus percepimus: ita quæ nos inter & Majestatem Vestram antiqua amicitia omnia, quæ Majestati Vestræ feliciter & secus accidunt, communia nobis reddere assolet; jam quoque lætitiæ, quam ex armorum suorum successibus Majestas Vestra sentit, partem sibi vendicat: præsertim cum spem certam foveamus, Majestatem Vestram felicitatem, quæ arma ejus concomitatur, non aliter accepturam, ac oblatam quandam ex voto occasionem, qua orbi comprobare & possit & velit,

quam ſit inter victoriarum ſuarum vel maximos curſus pacis ſummopere amans, pronaque ad juſtam compoſitionem ineundam, & prompta æque ac bello fortis & inſignis. Quod ipſum etiam, ut eo certius confidamus, facile nos inducit, celebris ac vero Principe digna ad publicam tranquillitatem tum reſtabiliendam ſimul ac fuerit juxta pax oblata, tum conſervandam propenſio, quam nobis Majeſtas Veſtra conteſtari voluit. Nos equidem, ut pacis cognitio ſine mora, poſtquam innoxius ſanguis jam multus, quod dolendum, effuſus, interveniat, ex animo exoptamus: Vovet id etiam totus Orbis Chriſtianus. Et equidem merito. Nobis enim in luctuoſo hoc noſtrorum amicorum ſeſe inter conflictu nulla enaſci poteſt ex ſecundis unius eorum præliis ac ſucceſſibus lætitia, quam non adhærens alterius clades ſubito interrumpat, ideoque ſolidam non eſſe ſinat. Res quoque Chriſtiana in id jam videtur incidiſſe diſcrimen, ut a Porta Ottomannica incendia, vaſtitatem, & ſubverſionem non absque ratione metuat. Nihil enim aliud magni apparatus, accitæque undique barbaræ, & quæ nihil niſi cruorem ac prædam cogitant, gentes indigitant, quam belli molem brevi erupturam. Et certe quos ſpiritus Turcis immanitas ipſis innata, perpetuumque eorum Chriſtiani nominis odium addit, illos omni absque dubio adauget occaſio ipſi ita nunc obvia, qua Turcici jugi fines unica ſemper protulit: nimirum inteſtina Chriſtianorum ſeſe inter diſſidia, ac bella, hoc etiam tempore eo infelicio-

ra,

-ra, quod qui mutua jam cæde se prosequuntur Christiani Reges & Status, ii sint, quorum unitæ vires ac integræ firmiter ac unice rem Christianam tueri queant. Nullum itaque gloriæ, quæ Majestatis Vestræ arma exornat, illustrius decus addi poterit, quam si Orbem Christianum anxium inter tot metus, interque tanta belli, quod jam flagrat, mala lugentem, læta pace exhilarare rursum Majestas Vestra voluerit. Nos etiam nulla officia amica, quæ eo pertinere potuerunt, pro ea, quæ nobis juxta ac omnibus Principibus Christianis cura tranquillitatis publicæ incumbit, intermittemus: Nostrumque idcirco Legatum Extraordinarium, & nostrum regnique nostri Senatorem, Campi Mareschallum, & Gubernatorem Generalem Livoniæ, illustrem nobis sincere fidelem Dominum Claudium Tott &c. intra paucos dies hinc ad Majest. Vestram, ut & insimul nostros ad Serenissimum ac Potentissimum Regem Angliæ Legatos Extraordinarios, Generalem militiæ nostræ pedestris, & Gubernatorem in Elfsborg, Lækin & Dall, illustrem nobis sincere fidelem Petrum Sparre &c. ut & Consiliarium nostrum Cancellariæ, Generosum ac Nobilem nobis sincere fidelem, Eduvardum Ehrensteen &c. ablegabimus, qui etiam supra dictus Dominus Comes, quantopere confidamus, percelebri æquanimitati, qua antehac pacis consilia Majestas Vestra suscepit; pariterque qua constantia sincere intentioni mutuam Nos inter amicitiam integerrime excolendi inhæreamus, Majestati Vestræ indicabit. Quam de cætero divinæ

protectioni commendamus. Dabantur in Arc nostra Holmensi die 17. Julii Anno 1672.

*Nomine altissime memoratæ S. R. Majestatis &c.*

HEDEWIG ELEONORA,
Regina Sveciæ.

Petrus Brahe, Comes in Wisingsbourg, Regn. Svec. Drozetus.

C. G. Wrangel, Regn. Svec. Archistrategus.

Gustaff. Otto Stenbock, Architalassus Regn. Svec.

Magnus de la Gardie, Regni Sveciæ Cancellarius.

C. Ralamb, loco Regni Svec. Thesaurarii.

H. Hoghusen.

DLXI.

*Literæ CAROLI XI. Svecorum Regis, ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem, quem studiose monet, ut in amplissimo belli theatro constitutus, universo orbi Christiano, celebratæ magnanimitatis suæ specimen edat, positisque armis aures mitioribus pacis consiliis benigne commodet, 1672.*

Nos Carolus, Dei gratia Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiæ &c. eadem gratia Serenissimo & Potentissi-

tiſſimo Principi Domino Carolo, ejus nominis ſecundo, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Regi &c. Fratri, Conſanguineo, Amico & fœderato noſtro chariſſimo, ſalutem & proſperos rerum ſucceſſus!

*Sereniſſime & Potentiſſime Princeps, Frater, Conſanguinee, Amice & Fœderate chariſſime.*

CUm amicitia, quæ nobis cum Majeſtate Veſtra jam inde a longo tempore intercedit, non poſſit, quin felicibus Majeſtatis Veſtræ ſucceſſibus ſemper applaudat; tum quæ ad nos de armorum Majeſtatis Veſtræ progreſſibus ſunt perlata, grata nobis reddidit. Exoptamus equidem, ut lætitia, ad quam mutua illa amicitia Nos invitat, ſolida eſſe poſſet, nec ita eſſet comparata, ut interrumperetur ad animum expendentibus Nobis, inter arma Amicorum noſtrorum nullum eſſe ſucceſſum armorum unius, qui non alterius cladi ſuperſtruatur. At ſpem indubiam fovemus, Majeſtatem Veſtram, ut ſemper non minus magnanima in deponendis armis fuit, ac bello fortis; ita etiamnum ad æquam ac juſtam pacem pronam ac promtam fore, adeoque tranquillitatis publicæ reſtabiliendæ conſilia lubenter admiſſuram. Quod ipſum, ut eo certius confidamus, facile nobis perſuadent ea, quæ nobis de percelebri ſuo ac vere Regio pacis ſtudio conteſtari voluit; nulli quoque dubitamus, quin Majeſtas Veſtra ad periculum reſpicere velit, quod rei Evangelicæ imminet, ſubrutis ac dilaceratis nimirum mutuis cædibus iis viribus, quibus integris, ſal-

va etiam illa ac tuta esse possit. Quod ipsum dum speramus ex animo etiam insimul vovemus, & quidem communi Nobiscum totius Orbis cum voto. Nec enim obscurum est discrimen, quod Christiano Orbi Porta Ottomannica molitur; cum tanti apparatus totque evocatæ barbaræ gentes, id perspicue satis edoceant; aut dubia fiducia, quæ Turcarum Imperatori quosvis successus promittit, mutuo jam cruore madentibus iis, quorum sociata consilia ac arma terrori ipsi forent. Illustre itaque & a posteris decantandum decus gloriæ Majestatis Vestræ armorum accedet, si læta ac prompta pace incolumitati Evangelicorum, saluti tot periclitantium innocentium hominum, Orbi denique Christiano inter tam magnos metus anxio consulere voluerit. Nos quemadmodum omnia officia reducendæ paci convenientia lubenter admovemus; ita non solum nostram mediationem Majest. Vestræ offerendam jam ante hac censuimus: sed & ne ulla intercedat mora publicæ quieti restaurandæ, nostros Legatos Extraordinarios, Generalem militiæ nostræ pedestris, & Gubernatorem in Elffsborgs, Lahn & Daal, illustrem Nobis sincere fidelem, Petrum Sparre &c. ut & Consiliarium Nostrum Cancellariæ, Generosum ac Nobilem nobis sincere fidelem Eduuardum Ehrensteen, ut & insimul ad Serenissimum nostrum Legatum Extraordinarium, Nostrum regnique nostri Senatorem, Campi Mareschallum, & Gubernatorem Generalem Livoniæ, Illustrem nobis sincere fidelem, Dominum Claudium Tott &c. paucos intra dies amandabimus, qui Legati nostri, qua cer-

certitudine Nobis promittamus, non fore interventionem nostram Majestati Vestræ ingratam, ob affectum erga Nos Majestatis Vestræ integrum ac sincerum, nec ab æqua pace alienum Majestati Vestræ exponent. Nos interea Majestatem Vestram Deo optimo Maximo commendamus. Dedimus in Arce nostra Holmensi die 17. Mensis Julii 1672.

*Nomine altissime memoratæ S. Reg. Majestatis &c.*

HEDWIG ELEONORA
Regina Sveciæ.

Petrus Brahe, Comes in Wisingsborg, Regn. Svec. Drozetus.

C. G. Wrangel, Regn. Svec. Archistrategus.

G. O. Stenbock, Regn. Svec. Architalassus.

M. G. de la Gardie, Regn. Svec. Cancellarius.

Cladius Ralamb, loco Regni Svec. Thesaurarii.

H. Hoghusen.

DLXII.

*Responsoriæ CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad præinsertas CAROLI XI. Svecorum Regis literas, quibus pacis sibi & veræ tranquillitatis studio nihil antiquius nihilque charius unquam fuisse testatur, 1672.*

 Caro-

Carolus, Dei gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei Defensor, &c. Serenissimo ac Potentissimo Domino, Carolo, eadem gratia Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi & Principi Hæreditario, Magno Principi Finlandiæ, Duci Scaniæ, Esthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stettini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandaliæ, Principi Rugiæ, Domino Ingriæ & Vismariæ, nec non Comiti Palatino Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Duci, Fratri, Consanguineo, Amico & Fœderato nostro charissimo, salutem & prosperos rerum successus.

*Serenissime & Potentissime Princeps, Frater, Consanguinee, Amice & Fœderate charissime.*

NIhil unquam Nobis antiquius esse potest aut acceptius, quam quod proponitur adhortatione Majestatis Vestræ, & quod ipsius exemplo approbatur. Cujusmodi merito censemus esse pacificum & Christiano Principe vere dignum consilium, quod Majestas Vestra per unas ipsius literas 24. die Maji novissime præteriti scriptas Nobis perquam amice patefecit, & quod per alteras 17. die Julii datas rursus ingeminavit, in utrisque autem se tranquillitati Europæ restituendæ tuendæque, animo & opera mirifice studere demonstravit; Nec se fefellit, cum Nos quoque iisdem affectibus tangi & impelli existimet. Priores attulit Illustris Gustavus Adolphus de la Gardie, Comes in Lecköö & Arensburg &c. easdemque conjunctim cum Noblii Equite, Joanne Leyonberg Majestatis Ve-

Veſtræ apud nos Ablegato Extraordinario nobis exhibuit. Poſteriores etiam eodem Spiritu afflatæ, Legatos Extraordinarios excellentis ingenii judiciique conſummati viros a Majeſtate Veſtra Nobis & Regi Chriſtianiſſimo brevi mittendos pollicentur. Nos quod attinet præterquam quod natura nobis indolem pacis & æquitatis amantis inſerit, eo etiam majori nixu ejusmodi ſtudia proſequimur, dum vetera & recentia, quæ nobis cum Majeſtate Veſtra intercedunt, fœdera intuemur, quæque vel leviſſime violare ſummum nefas eſſe crederemus. Et licet aliorum fortaſſe Principum literæ, quorum amicitia Nobis non adeo perſpecta eſt, minus apud nos ponderis habituræ eſſent, Veſtræ tamen Majeſtatis interpoſitio ideo plus valere debet, quia belli, quod adverſus Fœderati Belgii Tyrannos gerimus, rationes novit & approbavit, nec non pacta nobiscum, & cum Rege Chriſtianiſſimo ea de re nuper iniit: Quem igitur ſicut oportet, ut utriusque Noſtrum Fratrem & Fœderatum de materia hujus legationis conſulemus, nulli dubitantes, quin ille quoque perinde ac Nos poſtulata ſit accepturus. De cætero prædictum Dominum Guſtavum Adolphum de la Gardie ad magna quævis & præclara natum aptumque non poſſumus ſine ſumma laude dimittere, alterum vero Joannem Leyonberg, Majeſtatis Veſtræ apud Nos ablegatum extraordinarium jam longo uſu neceſſitudinis inter Nos & Majeſtatem Veſtram conſervandæ ſtudioſiſſimum experti ſumus. Quando autem inſignes illi viri, quos Majeſtas Veſtra extra ordinem ad nos legatura eſt, ad-

 huc

huc advenerint, Nos ad ea propensissimos inve nient, quæ ad publicæ paci & Majestatis Vestræ vo luntati maxime congruere videbuntur. Interea Deum Opt.Max. precamur, ut Majestatem Vestram omni felicitatis incremento cumulatissime adaugere velit. Dabantur in Palatio nostro de Withall 3. die Septembris 1672.

Majestatis Vestræ

*Bonus Frater, Consanguineus & Fœderatus*

Carolus Rex.

## DLXIII.

*Literæ* NICOLAI PRAZMOVII, *Regni Poloniæ Primatis, ad* REGNI POLONIAE SENATORES, *quibus injuste secum aliisque Regni Poloniæ Proceribus procedi graviter conqueritur, & ad æquius justiusque Tribunal appellat*, 1672.

P. P.

NIsi me scirem in hac esse Patria natum, in qua potiorem jam meæ ætatis transegi partem; nisi constaret mihi me vitam habere & sensum, judicarem me turbine quopiam per æthera in alias delatum esse Regiones, ut tanti sceleris in libera hac Patria spectator essem, ubi inter Cardinalia non pridem fuerat, neminem captivare, nisi jure victum, nunc vero non sine gravi doloris sensu sola pœna experimur, non tantum non victos jure, sed ne auditos quidem, fuisse reos, ubi subhastantur non bona tantum, verum etiam capita nostra. Hæccine contra nos luce meridiana clariora documenta? hinc gradus jure descripti? hoccine judici-

dicium lege civibus roboratum? heu per Deum & justitiam! velitis ultimam hanc concivium, fratrum vestrorum pressuram, jurium & libertatum interitum vestra cohibere autoritate, civicam a posteris, ob servatos cives, coronam merituri. Assecuro me jus expectaturum nec pedem de loco Archiepiscopalis moturum residentiæ. Detur mihi, cum aliis correis justificandi locus, indicantur comitia, provideatur cuique insimulato securus ad judicia accessus. Ut quid hæc præcipata condemnatio, quis in illo theatro nobilium sanguine decoloratus, comparere possit? velitis Principis mentem alio prudentibus vertere consiliis, audiat vos, ut debet Dominus, ne uno ictu concidant libertates, quæ omnibus nobis hactenus fuere communes, id a te obnixe postulo, primus tam infelix hujus Patriæ Primas. Qui sum &c. Lovicio die 19. Octob. Anno 1672.

## DLXIV.

*Literæ CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad FRIDERICUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum, quibus modum, quo secum adhuc egerat, tanquam inter Principes tam arcto sanguinis necessitudinisque vinculo junctos minus usitatum acerbe improbat, 1672.*

Carolus Dei gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Rex, Fidei Defensor &c. Serenissimo Principi, Domino Friderico Wilhelmo, eadem gratia, Marchioni Brandenburgico, Sacri Romani

mani Imperii Archicamerario ac Principi Electori &c. Fratri, Consanguineo & affini Nostro Charissimo salutem & prosperos rerum successus.

*Serenissime Princeps, Frater, Consanguinee & Affinis charissime.*

Literas nuper a Celsitudine Vestra Electorali binas accepimus, alteras quidem die 3. Augusti ultimo elapsi scriptas, alteras d. 17. Sept. latore Celsitudinis Vestræ Electoralis Ablegato Extraordinario Domino de Crockow. Responsionem priorum ideo paulisper differendam censuimus, quia Ablegatum Extraordinarium a Celsitudine Vestra Electorali tunc promissum quasi quotidie adventantem præstolabamur, sperantes illius colloquium nonnihil lucis allaturum fuisse quibusdam dictarum literarum capitibus, quæ a Celsitudine Vestra Electorali minime expectavimus. Ne autem hæc responsio Celsitudini Vestræ Electorali nova quoque & insperata videatur, in ipsius memoriam revocabimus, quomodo nos erga Celsitudinem Vestram Electoralem gesserimus, ex quo primum de motibus hodiernis cogitavimus. Circiter biennium est, quod Dilectissima Consanguinea nostra, Domina Elisabetha, Princeps Palatina rogatu ac nomine Celsitudinis Vestræ Electoralis ad fratrem suum Principem Rupertum in aula nostra degentem scripserat, sciscitatum, quid ille de mente nostra circa res illius temporis sentiat. Cujus quæstionis unicum esse finem dixerat illa Princeps, ut inde Celsitudo Vestra Electoralis modos & mensuras

ſuras actionum ſuarum melius formaret effingeretque. Quibus literis idem Conſanguineus noſter Princeps Rupertus iſtiusmodi reſponſum noſtro dictamine reddidit; Si viſum eſſet Celſitudini Veſtræ Electorali virum aliquem idoneum & tali fiducia dignum huc deputare, nos illi per quam libenter ac liberi comunicaturos eſſe, quid in animo verſaremus. Et hoc quidem multo maturius a nobis factum eſt, quam ulli Fœderatorum, præterquam Chariſſimo Fratri noſtro Regi Chriſtianisſimo noſtra ſuper ea re conſilia patefeceramus. Verum hunc amicitiæ noſtræ fructum Celſitudo Veſtra Electoralis inſuper habuit, imo prorſus ſivit intermori. Nos autem neque ſic animum deſpondere voluimus, ſed poſtea etiam Georgio Downing, Equiti Aurato, Legato noſtro Hagæ Comitis apud Ordines Generales Reſidenti in mandatis dedimus, ut Celſitudinis Veſtræ Electoralis Miniſtrum eo loci commorantem conſilii noſtri participem faceret, ſicuti fecit. Verum ne ſic quidem aliquid ultra profecimus, totaque hæc noſtra candidi & aperti animi demonſtratio fruſtra fuit, nec intra recondi-tas Celſitudinis Veſtræ Electoralis cogitationes vel minimum penetravit. Quod quamlibet niſi temperaturæ plusquam mediocris amicitiam laxare, ac tepefacere potuit. Sed facta recordatione promiſſionum ac proteſtationum, quas Celſitudo Veſtra Electoralis per tot literas & miniſtros toties nobis iteraverat, eredere noluimus, perſonam, & rerum noſtrarum exiſtimationem tantilli apud Celſitudinem Veſtram Electoralem momenti fuiſſe, ut penitus e mente ipſius excidere poſſet, quin potius ita apud

nos

nos ratiocinati sumus, moram & taciturnitatem Celsitudinis Vestræ Electoralis a seria ipsius deliberatione solummodo profectas esse, ut cogitationes suas de tam arduo, tantique ponderis negotio eo perfectiores tandem proferret. Sed cum res dilationem non amplius sustineret, adeoque postularet, ut magis præcisam ac disertam Celsitudinis Vestræ Electoralis resolutionem exquireremus, Guilielmum Lockhard, Equitem auratum Ablegatum nostrum Extraordinarium, versus ipsam expedivimus, ut non solum sensa mentis nostræ summa, qua fieri potuit, libertate Celsitudini Vestræ Electorali aperiret, sed etiam ut conditiones ipsi offerret vel maximæ utilitatis, si partibus nostris accedere vellet, vel incolumitatis, si se neutram tenere potius censeret. Si gradus, quibus in hoc negotio processimus, Celsitudo Vestra Electoralis observare velit, primum reperiet per literas prædicti Consanguinei nostri Principis Ruperti ad sororem suam, Dn. Elisabetham rescriptas, Nos Celsitudinem Vestram Electoralem in partem consiliorum nostrorum accivisse, priusquam ullum solennem tractatum cum Rege Christianissimo inieramus. Deinde Legatum nostrum jussu nostro Celsitudinis Vestræ Electoralis ministrum dicti tractatus monuisse, cum prope finem proveheretur, ac postremo nos per Ablegatum nostrum extra ordinem missum Celsitudinem Vestram Electoralem ejusmodi tractatus hic conclusi certiorem fecisse una cum optione oblata vel eximiæ partis in bello, vel indubitatæ securitatis in neutralitate. Quid hisce omnibus Amicitiæ testimonium par, aut affine nobis reddidit Celsitudo

do Vestra Electoralis? Scilicet absque ulla vel minima significatione nobis facta Celsitudo Vestra Electoralis non solum fœdus tractavit, sed pepigit, idque non cum amicis, sed cum hostibus nostris Uniti Belgii Ordinibus Generalibus, quorum pecunia accepta exercitum conscripsit, agmen duxit & cum tympana & tuba, terrarumque in imperio sitarum direptiones, actionem universo orbi late promulgassent, nos tandem Celsitudo Vestra Electoralis per literas suas edocet, se adversus firmum, bonumque Fratrem & fœderatum nostrum Regem Christianissimum arma sumpsisse, adeoque contra ipsum suppetias & cohortes auxiliares a nobis postulat. Qualis propositio tam inaudita nimium & a ratione tam absona, ut eam vix adhuc credamus a Celsitudine Vestra proficisci potuisse, cum per consequentiam poscat, ut subditis viribusque nostris contra personam & rem nostram utamur. Quod quidem parricidium esse videtur, a nullo Principe, qui modo non extremi sit ingenii, æquis auribus accipiendum. Etiamsi pro singulari illo affectu, quo Celsitudinem Vestram Electoralem semper amplexi sumus, rationes, quæ nobis in animum induxerunt, tam bellum adversus Ordines Generales suscipere, quam unionem cum Rege Christianissimo colligare, non tempestive Celsitudini Vestræ Electorali declarassemus, tamen ea mutua copiarum classiumque nostrarum terra marique conjunctione illud utique jam pridem ipsi innotuisset, perinde ac cæteris ubique Principibus innotuit. Et acies jamdudum commissæ & sanguiguinis effusio neminem sensibus præditum in dubio reli-

reliquerant, quibus nos partibus adhæserimus. Tertium vero, & quartum tractatus nostri articulos ita interpretari, ac si nos cum amicis nostri bellare constringerent, cum interea iidem articul Celsitudinem Vestram Electoralem impedire non possent, quo minus inimicis nostris assisteret, id certe graviori opprobrio onerat tum ministros nostros imprudentiæ, & perfidiæ, qui talem tractatum concluderent, tum nos facilitatis, qui eundem ratum habere vellemus, quam vel nos, vel illi sustinere meruimus. Quin etiam querelæ contra Regem Christianissimum allatæ nobis quidem videntur necessarios & inevitabiles belli casus potius indicare, quam animum Celsitudinem Vestram Electoralem aggrediendi. Nos enim ipsi testes sumus, quales conditiones non minus honorificas quam utiles Rex ille Celsitudini Vestræ Electorali non solum ante, sed etiam post bellum susceptum obtulerit, quarum nos quoque fideijussores esse sponte volebamus. Profecto nova & plane admiranda methodus esse videtur, primum neutralitatem oblatam, nostramque fidejussionem respuere, & deinde bellum contra nos eligere nostraque auxilia postulare. Nos quidem opinamur, responsionem, quam Regis Christianissimi minister Dominis Principibus Electoribus eorumve Deputatis Ratisbonæ exhibuit, jam nemini non abunde satisfecisse, quam exiguam Rex ille causam Celsitudini Vestræ Electorali dederit, ut illi nomen aggressoris imponeret. Et si lectus ac victus militibus in Ducatu Clivensi præbitus odiosum aggressoris titulum Christianissimo Regi impingere sufficiat, quo tandem nomine

Celsi-

Celſitudo Veſtra Electoralis appellabitur, poſt exercitus ſui greſſus ac graſſationes per terras Trevirenſem, Moguntinam, Hasſiacam, Hannoveranam, Colonienſem. Ubi (niſi fama nos multum fefellit) duplo plus commeatus abſumtum eſt, ac minus argenti relictum, quam in terra Clivenſi. Sperabimus haſce rationes paulo fuſius a nobis deductas id ponderis apud Celſitudinem Veſtram Electoralem habituras eſſe, ut facile credat, nos nec juri, nec æquitati deeſſe, ſi auxilia requiſita non mittamus, præcipue cum ipſa exemplum nobis ſatis luculentum propoſuerit aſſerendo, ſe confœderationis illius intuitu, quam cum Rege Chriſtianiſſimo inierat, opem, quam vi tractatuum Ordinibus Generalibus debebat, ipſis ferre recuſaſſe. Si Celſitudo Veſtra Electoralis tractatu cum Rege Chriſtianisſimo, qui ſolummodo defenſivus eſt, ſe ita obſtrictum judicaverat, ut auxilium ſua confesſione debitum Ordinibus Generalibus non ſuppeditaſſe æquum cenſuerit; nobis certe neutiquam vitio vertet, ſi fœderi, quod cum eodem Rege non modo defenſivum, ſed in hoc bello offenſivum quoque pepigimus, tantum tribuamus, ut eam opem minime feramus, quam Celſitudo Veſtra poſtulat, nos autem virtute tractatus neutiquam deberi exiſtimamus. Ut finem aliquando faciamus, ſi noſtra apud Regem Chriſtianisſimum intercesſio uſui eſſe poterit, ad componendum differentias inter ipſum & Celſitudinem Veſtram Electoralem ortas, vel orituras, nihil, quod ex parte noſtra fieri poſſit, omittemus. Sed in bello jam flagrante ut vel minimum opis contra ipſum feramus, id certe nec res, nec

ratio, nec indoles noſtra permittet. Ad alteras Celſitudinis Veſtræ Electoralis literas d. 17. Sept. ſcriptas quod ſpectat, quasvis amicitiæ ſignificationes a Celſitudine Veſtra Electorali profectas, quam libentiſſime ſemper amplexabimur; & hoc ipſo tempore omnia ita diſponenda curavimus, ut honoris & incolumitatis noſtræ ratione habita, bona atque univerſa pax per totam Europam concilietur, & quicquid uspiam animoſitatis, atque malevolentiæ fervet, penitus conſopiatur. Propoſitionibus etiam, quas Celſitudinis Veſtræ Electoralis nomine prædictus ipſius Ablegatus nobis fecit, reſponſum dedimus, quod ille ſecum referet. Nos autem Celſitudinem Veſtram Electoralem Dei Optimi Maximi tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Palatio Noſtro ad Wittehal, d. 15. Nov. Anno 1672.

Celſitudinis Veſtræ Electoralis

*Bonus Frater, Conſanguineus & affinis*

Carolus, Magnæ Britanniæ &c. Rex.

## DLXV.

*Reſponſoria FRIDERICI WILHELMI, Electoris Brandenburgici, ad proxime præcedentes CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis literas, 1673.*

Sere-

## Serenissime Rex.

MOmenta rerum licet cumprimis spectantes in literis, quas Regia Vestra Majestas d. 15. Nov. ad nos dedit, fugere tamen non potuit inusitata illa inter Principes scribendi ratio, quæ in illis deprehenditur. Idem juris responsuris ita quidem datum; Sed non ita vulnera Ecclesiæ & Reipublicæ mala sanantur, nec talia vel Regis vel Nostræ conveniunt sorti. Rem quod spectat, quam primum institutum Galli de inferendo Belgis bello apparuit, apparuit simul, non tantum Belgarum Gallorumq; turbatum iri tranquillitatem, sed totius Europæ, ac imprimis Germaniæ pacem, infinita vero mala inde in Ecclesiam Dei redundatura. Quod prudentes augurati sunt, eventus firmavit. Antequam Belgium invaderetur, claustra Imperii Gallico præsidio, novisque munimentis firmata sunt, utque bellum illic diutius geri possit, commeatus eo advecti. In Episcopatu Leodiensi & Ducatu Clivensi nil non hostile patratur. Uruntur tecta, vastantur agri, urbes, arces, munimenta etiam a Belgis non insessa, nec extructa capiuntur, solo æquantur. Templa his eripiuntur, illis dantur, tantum abest, ut illic miles lecto & victu contentus fuerit. Jus in sacra & profana promiscue & ex habitu usurpatur, insuperque habitis & territorii dominorum juribus, & Imperii legibus; cuncta manu Regia, nullo jure aguntur. Ita satis mature Gallia prodidit, quam armis suis quærat potentiam & absolute regnandi facultatem, redun-

daturam tandem in illos, quibus nunc ut parariis dominationis utitur, & instrumentis. Quod si itaque sive in principio, sive in progressu talis belli, tot tantasque calamitates trahentis Majestatem Vestram Regiam compellavimus in causa Ecclesiæ, Patriæ, & Fœderatorum, quibus non nunc nuper, sed multis abhinc annis accepto a majoribus exemplo juncti fuimus, nemini instituti hujus ratio nova, aut admiranda agendi methodus videri debet. Quid Deo, quid domui ejus, quid Imperio, imo quid Orbi debeamus, novit Regia Majestas Vestra quam optime. Novit Eadem nihilominus, quanto studio majores ipsius optimi sapientissimique Principes, gentem Belgicam consiliis, armis, opibus tutati sint non sine suo periculo, ne unius potentiæ illa cederet, quæ omnibus postmodum vicinis gravis foret. Novit præterea Majestas Vestra, quam nihil plane admiserit Germania, fida vicina, nec Principes ejus Regiæ Vestræ Majestati addictissimi meriti sint, ut tam contemptim, tam indigne ab externo Principe nulla injuria lacessito haberentur. Quomodo igitur Regiæ Vestræ Majestati displicere potuit unquam, aut alienum ab ipsius animo videri cuipiam potuit, si sanctissima ista nomina eidem commendarem, opem ejusdem in tali discrimine non nostri & patriæ tantum, sed ipsius Christiani orbis simul implorantes. Equidem putat Regia Vestra Majestas, res nostras aliorumque extra periculum esse potuisse, innixas Galliarum Regis promissis, cum conditionibus, quas nobis proposuerit luculentissimis. Quid vero sanctius pacis Westphalicæ tabulis? & tamen

tamen in ludibrium vertuntur. Pacem enim dicunt hac ipsa hora se in Germania conservare, qui nihil hostile in ea intermittunt. Quæ autem conditiones nobis potiores esse possunt fide, quam Deo, quam Imperio, quam Fœderatis & Amicis debemus, quam nulla fortuna mutare poterit? Belgis Regia Majestas Vestra cur succenseat, aperuit nobis, verum est. Sed postquam reverentiam & quicquid nomine Regiæ Majestatis Vestræ unquam ab ipsis desideratum promiserunt, an non mitioribus consiliis, & concordiæ locus? Satisfactione oblata arma cessare gentibus æquum visum. Quæ laus, quæ gloria Regiam Majestatem Vestram manebit, si non offensione Christiani sanguinis, sed æquanimitate Regia lites, si quæ sint, diremerit? Turbata olim Republica Romana amicus amico, gentilis gentili acceleravit. Sejungas te ab illis, quibus se non tuum judicium, sed temporum vincula conjunxerunt? Quis Christianorum ergo nobis vitio vertet, si Regiam Vestram Majestatem, cui ea contigit gloria, ut primo loco sit inter eos Principes Christianos, qui tum puram profitentur & tutantur doctrinam cœlestem; tum rerum in orbe arbitrium æqua dirigere lance student, rogaverimus, ut Ecclesiæ, ut publicæ tranquillitatis, tum quoque veterum amicorum & communium sacrorum nexu, & aliis sanctissimis vinculis conjunctorum rationem tandem habere, eorumque rem pro pietate sua, & uti summo isto loco dignum est, agere dignetur. Sic illo, quam Prædecessores ejusdem olim obtinuerunt, Fidei defensorum titulo jure longe maximo suo meritissimo cum gloria

gaudebit, eoque ut diu floreat, vigeatque optamus. Atque quod reliquum est prosperrimam valetudinem Regiæ Majestati Vestræ precamur, paratissima eidem studia nostra prolixe deferentes. Dabantur in Arce Nostra Sparenberg, d. $\frac{3}{13}$. Januarii, 1673.

Regiæ Majestatis
Vestræ

*Bonus Amicus*

Fridericus Wilhelmus.

## DLXVI.

*Literæ MICHAELIS, Poloniæ Regis, ad CLEMENTEM, Papam X. quibus se Nuntium ipsius audivisse, & quo fine bellum cum Turcis infeliciter gestum terminatum sit, brevibus refert, 1672.*

POst oscula pedum Sanctitatis Vestræ meique ac Regni & Dominiorum meorum filialem commendationem. Tristem & luctuosam Regni mei faciem, non mœrore duntaxat animum Sanctitatis Vestræ implevisse, sed eundem Pontificia ac vere Paterna cura exercere, ex literis Sanctitatis Vestræ & Reverendissimi Archiepiscopi Damiatæ, Nuntii sui, viva voce satis intellexi. Acerbum sane & remediis vix ingentibus reparabile vulnus per latus Regni mei res Christiana accepit, cum Turcarum Tyrannus occupato fortalitio Camenecensi in ulteriora Russia vim & immanitatem suam effudit, & ipsa mœnia Leopolis, quæ Metropolis Russiæ est, tor-

tormentis quaſſavit. Nec longe aberat, ut everteret, niſi Legatorum meorum opportunę advenientium opera impetum ſtitiſſet, atque exercitus mei modica manus conglobatarum gentium ferociam aliquot cladibus incredibili ſucceſſu hoſti inflictis & excurſiones, ac torrentem Chriſtiani ſanguinis represſiſſet. Deceſſere Dominio meo per tractatum, & iniquisſimas pacis leges Podolia & Ukraina amplæ Provinciæ, quarum jacturam, dedecus meum reputans, cooperit confuſio faciem meam & animum dolor anxius intime, quod per difficillima Regni iſtius tempora, perque continuis bellis afflictas exhauſtasque vires Religionis & Regni tutelæ, ac populorum meorum defendendæ incolumitati ſufficere non potuerim, pro quibus objectare periculis, & Regium litare ſanguinem palmarium duxiſſem. Hunc animum meliori fortunæ & occaſioni, Deo Duce, intentum non mediocriter erigit, ac corroborat eximia Sanctitatis Veſtræ benignitas, cujus imprimis Paternam adhortationem, qua me ac ſubditos meos, in mutuam concordiam vocare & colligere enititur, prona aure & filiali devotione accepi. Meo quidem alte animo repoſitum inſedit, diſcordias cum hoſtibus exercere, irasque & ultionem in eos vertere, cives clementia & beneficiis retinere in officio, quos profecto, ubi ſacri belli gerendi, cura piisſimo motu Sanctitatis Veſtræ ſerio occupare, & non cincti totius Chriſtianitatis contra communem immanisſimum hoſtem apparatus excitare inceperint, proclivius officia impleturos, ac me ipſum Vicarii

Christi consilio religiose obtemper
Sanctitas Vestra agnoscet. Tametsi
rum prævalida potentia acrioris solicitu
moneat, non ambiguam tamen spem
telligo a Sanctitatis Vestræ benefica
meum propensione, quam partim des
stolicæ gazæ subsidiis, partim Christia
cipum ad publicam causam juvandam
tamentis, luculento Patris Ecclesiæ &
Christianæ exemplo Sanctitas Vestra te
plicat; ut exinde etiam felix augurium
ronam Poloniæ, cujus delicta Sanctit
berrimis lacrymis apud Divinam Maj
piat, Filiam tot lacrymarum Clementis
posse. Reliqua statum præsentem c
prolixius Sanctitati Vestræ repræsenta
moratus Reverendissimus Nuncius.
Pontificiam Sanctitatis Vestræ benedic
hi, ac populis, Dominiisque meis hun
ro. Dabantur Varsaviæ, die 30. Nove
no 1672.

## DLXVII.

*Literæ CAROLI XI. Suecorum Reg*
*HANNEM PHILIPPUM,*
*Moguntinum, quibus ipsi significat, se,*
*ætate, quam constitutiones Regni, capess*
*rii habenis, designassent, communi to*
*applausu solium conscendisse, 1672.*

Nos Carolus, Dei Gratia Suecor
thorum, Vandalorumque Rex, Magnu

Finlandiæ &c. Eminentissimo & Celsissimo Domino Johanni Philippo, Archiepiscopo Moguntino Salutem.

*Eminentissime & Celsissime Princeps.*

CUm ea, quæ Nobis eveniunt singularia ac prospera, æque amicis Nostris fore grata sciamus, a Dilectione Vestra itaque favente confidimus perceptum iri animo, quod divina id ita disponente clementia, postquam eam, quam constitutiones Regni capessendis Imperii habenis designant ætatem implevimus, ad vota & desideria tutorum nostrorum, totius senatus ac Regni Ordinum inter maximos eorundem omnium applausus ac congratulationes administrationem aviti Regni Nostri derivari passi sumus; Et sicuti optime Nobis constat grave & ingens hoc regnandi onus non posse, nisi opitulante DEI auxilio feliciter sustineri, ita etiam ejusdem, per quem Reges regnant & Principes gubernant, omnipotentem imploramus opem, quod quemadmodum Majorum olim nostrorum & imprimis Suæ Majestatis optimæ ac charissimæ matris Nostræ ac reliquorum Regni Administratorum facta, ex quo post deploranda divi Patris Nostri fata, cujus fortissima & maxima in hoc Regnum & causam communem merita nunquam intermorientur, fasces hujus Regni summa prudentia, justitia ac integritate moderati sint, sua gratia astitit, ita etiam Nobis dignetur largiri ea adminicula, quæ Regimen Nostrum felix, faustum ac gloriosum & populo Nostro & toti rei communi redde-

re possit. Nos interea temporis & donec occasio eveniet majori egregioque publico inservire posse nisu ac successu eam, quam supra laudati Nostri tutores salutarem reducendæ pacis inter partes belligerantes & hactenus non absque insigni spe exorsi sunt, viam fideliter & ea quam bono publico debemus, & Dilectioni Vestræ antea per literas Nostras contestari fecimus, cura prosequemur. Adjuvet modo Deus sincerum hoc Nostrum propositum & concedat nobis etiam vires illam, quam majores Nostri cum Dilectione Vestra inierunt amicitiam, certo & jam fœdere innexam & roboratam in majores & firmiores posthac excolere nexus. Quibus Dilectionem Vestram divinæ tutelæ commendamus. Dedimus in Arce Nostra Holmensi, die 31. Decembr. Anno 1672.

Dilectionis Vestræ,

*Bonus Amicus*

Carolus.

F. J. Ornsted.

## DLXIIX.

*Litera NICOLAI PRAZMOVII, Primatis Regni Poloniæ, ad PROCERES REGNI POLONIAE, in Comitiis Mariæburgensibus congregatos, quibus quam inique & contra omnem juris & justitiæ rationem cum se fratribusque suis a Rege & quibusdam Palatinis actum sit refert, eorumque patrocinium implorat, 1672.*

Quam

QUam funesto nuper in Castris Regiis una cum Germanis fratribus meis per quorundam Palatinatuum specioso Generalis expeditionis nomine vocatorum violenta suffragia damnatus sim decreto, non modo Dominationibus Vestris, sed universo orbi Christiano innotuisse minime ambigo; grande profecto nobis insolens illa turbulenti, an temulenti judicii forma inflixit vulnus, tantoque acerbiorem doloris impressit sensum, quanto iniquius ac contra omnem juris ac justitiæ rationem nobiscum actum est, nullo meæ, aut fratrum meorum culpæ documento, sed ex mera & ne minimo quidem fundamento innixa calumnia, reum me, nescio quarum in Patriam machinationum, reum Turcici esse belli. At enim quo longius id a vero aberrat, eo me non modo Christianum, verum etiam sanctiori insignitum charactere intolerantius affligit. Decretumne edictum, an proclamatum, illam nuncupem decisionem? incertus sum. Utcunque tamen est, nulli certæ rationi, ex qua justitiæ, & humanæ societatis religio proscripta non est, eam judicum faciem autumo cognitam. Tanto proinde injuriæ pondere una cum fratribus meis oneratus ad Dominationes Vestras oppressus Primas recurro, Patrocinium quod impense flagito, certa fiducia reperturus. Quemadmodum enim Dominationes Vestræ a turbido cœtu illo extorres fuerunt, ita enormis illius impietatis exsortes sunt; Equestris Ordinis libertatem jugulat, cujus caput & summum compendium esse nemo non novit, ne causæ, in quibus solutio, & fortunarum civilium momenta vertuntur,

ab

ab executione inchoentur. Cæterum legitimo, & competenti foro vim excutiendam submittere non abnuerim, munitus & potitus valido innocentiæ præsidio, quam sole clariorem omnibus apparituram non dubito. Ubi eandem stato loco & tempore, quod a República petam, diluere licuerit; quod ipsum etiamnum a Dominationibus Vestris impetratum velim, cum singulorum intercessio, ne adeo luculentum jurium & libertatis præjudicium, in me, meisque fratribus patratum, in scandalosum posteritatis exemplum evalescat, posse civem affiicti criminis obtentu, citra probationem, citra judicium honore equestri, fortunis, imo capite periclitari, cum pretium cuique non hominum, sed pecorum macellis destinandorum, rite sit appensum. Ex facili proinde, quivis sanæ rationis compos honestique amans, quorsum hi casses collimet, discernet, sibique imminentia a simili tyrannidis ausu pericula, nostro timeat discrimine; omen quidem, superi prohibeant, cæterum me causamque meam benevolentiæ & patrocinanti earundem studio commendatissimam cupio. Datum Lovicii die 21. Dec. Anno 1672.

## DLXIX.

*Literæ JOANNIS ERASMI a TETTENBACH, ad LEOPOLDUM, Rom. Imperatorem, quibus capitis supplicium daturus, supplex pro Filiolo suo flebili casu mox patre orbando intercedit, 1672.*

**Omni-**

## Omnium Serenissime, Invictissime Romanorum Imperator, Clementissime Domine.

POsteaquam divina omnipotentia, pro inscrutabili sua dispositione, & Romano-Cæsarea Vestra Majestas, pro clementissimo & justissimo suo judicio statuere, me per justitiæ manum ex hac in alteram vitam ablegare, voluntati huic utrique Clementissimæ morem gerere humillime, mearum agnosco esse partium, obsecuturus etiam tam feliciter, quam fideliter. Quoniam vero ante ejusmodi obitum, patris est providere suo filio; mihi autem per leges omnis via præcisa; ideo supplex, Cæsaream Vestram ad Majestatem recurro, velut Patriæ, nec non & omnium viduarum ac orphanorum Patrem, rogatum, dignetur mihi gravia contra se admissa delicta clementissime ignoscere, justamque mitigare indignationem, Filiolum meum desolatum largæ misericordiæ, aliarumque gratiarum rore aspergere, ut hac amissionis reparatione, æternus Deus pro sua misericordia, benignissime proprias suæ Cæsareæ Majestatis adimpleat petitiones. Humillimas item adgeniculans, pro bis mille in animæ meæ refrigerium clementissime ordinatis missis ago gratias, pollicitus meas coram throno divinæ Majestatis, ad Cæsareæ Vestræ Majestatis prosperitatem preces devotissimas. Denique per sanguinea Christi vulnera, ne delicta mea filius meus, totaque luat fami-

familia, iterum, iterumque rogo, æternum perseveraturus

Romano-Cæsareæ Majestatis

*Gracii 1672. Kalend. Dec.*
*mortis meæ die.*

*omnium subjectissimus, ad mortem condemnatus*

Joann. Erasmus a Tettenbach.

DLXX.

*Literæ credentiales, quas JOHANNES GEORGIUS II. Saxoniæ Elector, ad JOHANNEM DOMINICUM de LUNIGA ET FONSECA, Comitem de Monterey &c. Provinciarum in Belgio Hispanico Præsidem, Johanni Ernesto, Libero Baroni de Wallenroda, Ablegato suo, dedit, 1673.*

P. P.

NOn dubitantes de Excellentiæ Vestræ in Nos Domumque Nostram Electoralem perquam studiosa voluntate, Generoso Viro Consiliario Nostro intimo & bellico Excubiarum Præfecto, Generali militiæ pedestris, dilecto Nobis ac fideli Domino Johanni Ernesto, Libero Baroni de Wallenroda, Domino in Primel, Frechen & Bell, Principis Saxo-Lauenburgici supremo Mareschallo & Consiliario intimo, Nostra Negotia Excellentiæ Vestræ exponenda, simulque de singulari Nostro in ipsum ejusque prælara in orbem merita affectu, pluribus contestari commisimus, præsentibus hisce benevolentissime cupientes, ut iis, quæ Nostro Nomine

mine prædictus Consiliarius Noster intimus & bellicus coram protulerit, plenariam fidem tribuere, atque exoptata, prout confidimus, responsione Nostro se applicare desiderio non intermittat. Quod quidem a Nobis ea qua par est gratitudine agnoscendum, omnique propensissimo affectu compensandum, quacunque nata occasione ipso facto declarabimus. Quibus Excellentiam Vestram divinæ protectioni ad prospera quæque sedulo commendamus. Dabantur in Electorali Nostra Dresda die 20. Jan. 1673.

## DLXXI.

*Litera CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad JOHANNEM GEORGIUM II. Saxoniæ Electorem de novo anno gratulatoria, 167$\frac{2}{3}$.*

P. P.

Celsitudinis Vestræ Literas sexto die Mensis proxime præteriti ad Nos datas, quibus adventantem annum lætum Nobis, reliquumque vitæ cursum prosperum precatur, accepimus. Gratissimum equidem Nobis accidit, iteratum hoc Celsitudinis Vestræ erga Nos amicitiæ testimonium, cui impræsens haud melius respondere posse Nos existimamus, quam eadem Celsitudini Vestræ vota referendo. Deum igitur immortalem enixe rogamus, ut non solum vertentem annum, verum & multos longo ordine secuturos Celsitudini Vestræ Electorali faustissimos felicissimosque esse velit jubeatque. Ipsam de cætero totamque Serenissimam Domum Electoralem divini Numinis tutelæ ex animo commendantes. Dabantur

tur in Palatio Noſtro de Whitehall, 24. die Januarii 167¾.

DLXXII.

*Litera JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad COSMUM III. Magnum Etruriæ Ducem, quibus ipſi Johannem Godofredum a Klemm, Equitem Saxonicum, commendat, 1673.*

**P. P.**

Eximiam ſane, qua Dilectio Veſtra Noſtratis Ditionis ſubditos & Vaſallos Noſtro nomine complecti non deſinit, gratia meretur laudem; ad quam quidem non minus atque ad ſanctioris neceſſitudinis mutuæ officia amplianda occaſionem nullam facile mittendam cenſemus. Cum igitur præſentium exhibitor ingenuus Johannes Ehrenfried a Klemm, qui applicato ad militaria exercitia animo, jactisque in re tormentaria juxta & metallica nec non Architectura militari fundamentis, ad ulteriora ſcientiarum & virtutum decora nititur, eo fine ſuſceptæ in Italiam profectionis conſilium Nobis decenter probaverit, pro ea, qua fideles ſubditos Noſtros atque imprimis parentem ejus virum nobilem, Cameræ Noſtræ Conſiliarium intimum Conſiliique metallici directorem, dilectum Nobis & fidelem Ehrenfried a Klemm in Dobra, benignitate proſequimur, honeſtos filii æmuli conatus hisce Noſtris literis gratioſe comitari, viamque ipſi ad inclytam Dilectionis Veſtræ aulam communire non dubitavimus. Ac proinde eandem peramanter atque officioſe rogamus, velit induſtrium hunc ſubditum

No-

Noſtrum ſperatæ gratiæ & protectionis ſuæ clypeo ad deſideria & commoda ejus benigne provehenda, fovere eoque inter Veſtrates habere loco, unde commendationis hujus noſtræ fructu, beneficii accepti olim memor, gloriari queat. Qua quidem fiducia freti, Dilectionem Veſtram, cui diuturnam a Deo incolumitatem & fauſtos quoscunque rerum ſucceſſus ſerio precamur, de ſtudioſo Noſtro in ſe affectu quam perſuaſisſimam iterum atque iterum cupimus. Dabantur in Electorali Noſtra Dresda die 4. Febr. 1673.

## DLXXIII.

*Literæ FERDINANDI L. B. a FURSTENBERG, Epiſcopi Paderbornenſis, ad CLEMENTEM PAPAM X. quibus ipſi aperit, ſe ad opem laboranti gravi bello Turcico Poloniæ lubentiſſime ferendam paratiſſimum fore, niſi id calamitoſa Præſulatus ſui continuis belli malis vix non oppresſi pauperies impediret, cujus deplorandam faciem ut ipſe Imperatori Romano, ea qua polleret autoritate repræſentare haud dedignaretur, ſubmiſſe precatur, 1673.*

Beatiſſime Pater.

MAximis ab immani Turcarum Tyranno Poloniæ nuper illatis cladibus, & nunc ingruente ſupremo diſcrimine Apoſtolica Sanctitatis Veſtræ ſollicitudo & intentisſima Reipublicæ Chriſtianæ defendendæ cura ubique terrarum eximie clareſcit, cum Sanctitas Veſtra Cæſarem Proceresque Germaniæ per litteras atque Legatos ad ferendam laborantibus opem ſtudioſisſime diligentisſimeque

conatur accendere, & Archiepiſcopum
nicenſem ad Regem Poloniæ ablegat, quer
tenus in hisce terris Magiſtratum optin
magnificentiſſime gesſiſſe, & ad provinc
nunc præficitur, unum omnium aptisſin
cunctis lucidum eſt atque manifeſtum.
mihi Epiſtolam Sanctitatis Veſtræ, qua me
ad auxilia longe,quondam florentisſimo,n
crudeliter lacerato atque ſummopere pe
Regno portanda cohortari dignatur, & eg
admodum Sanctitatis Veſtræ deceſſore in
laboranti Cretæ magis quam pro mea vir
ni, ita & hac tempeſtate animo perinde
atque alacri Sanctitati Veſtræ obtemperar
que ad idem Chriſtianæ pietatis officium
que perpetuæ laudis & gloriæ adipiſcer
exemplo faces ſubdere conniterer, niſi
Provinciam meam oppresſiſſet inexpecta
mitas, quam etſi apud Sanctitatem Veſ
Reipublicæ malis atque periculis afflicta
invitus, non poſſum tamen non paucis e
ut Sanctitas Veſtra communi me ſaluti nc
ſed ab iis, in quibus ſumma fides ac piet
tomannicæ potisſimum ambitionis atque
tiæ reprimendæ cupido eſſe debebat, ali
Reipublicæ tempore meam Eccleſiam at
vinciam ita vexari atque exedi plenequ
perſpiciat, ut id, quod maxime vellem,
Opt. Max. gloria & Imperii Chriſtiani pr
tione efficiendi poteſtas mihi omnino e
Quanquam enim per omne regiminis n
pus ita in Republica verſatus ſim, ut ne

ſarem unquam, neque ullum Imperii Principem læſerim aut offenderim, & ingruentibus atque gliſcentibus hisce bellis medium me gerere animoque a ſtudiis & contentionibus partium libero quietum agere decreverim, & ab ea, quam debeo Cæſari atque Imperio, fide atque obſequio ne latum quidem unguem diſceſſerim; nihilominus ComesMonticucolusAuſtriacarum Copiarum Dux meam Diœceſin crebro militis Brandenburgici tranſitu jam ante vehementer afflictam atque exhauſtam exeunte proximo ſuperiori anno cum exercitu ingreſſus, hoſpitia atque alimenta viris equisque in omnibus meis oppidis, pagis & vicis per hyemem præberi, ſibique & primariis Ducibus eorumque aſſeclis Paderbornenſis civitatis portas aperiri & civium ædes patefieri, verbis Imperatoris, poſtulavit, cumque ego Sacro-Sanctis Imperii Legibus, Cæſarei fœderis tabulis, atque ipſis, quas attulerat, Imperatoris literis tranſitum exercitui, non hyberna flagitantibus confiſus, ejusmodi poſtulata abnuerem, ſumma vi ſe Paderbornam expugnaturum eſſe minatus eſt, niſi imperata propere fierent, atque in hunc modum civitatis haud munitæ totiusque Diœceſis potitus duo & triginta nummorum Imperialium millia in ſingulos menſes ei imperavit, quam ſummam nec Sveci unquam, nec Haſſi, cum hanc ipſam regionem ſuperiori bello Germanico hoſtiliter occupaſſent, extorquere animum induxerunt. Quamobrem omnes homines ſummi, medii, infimi tanta vi mali conſternati atque attoniti fortunis provolvuntur, Sacerdotes & aſcetæ ſacræque Virgines deficientibus

alimentis templa paulatim & aras atq
deſerere compelluntur, oppidani atq
rediguntur ad egeſtatis terminos, & q
eſt, quod dent, milites contagioſis n
rantes coguntur accipere, atque in hu
non ipſi ſolum adiguntur ad mortem,
te lue inficitur provincia, atque dete
famem & peſtilentiam ſentit imminer
quidem ideo potiſſimum fieri haud o
cant Duces atque Miniſtri, ut ego Ep
Principem Monaſterienſem ab iis, qu
eſt, conſiliis atque fœderibus abſtrahan
ſtriacam ſententiam parteſque traduca
men in manu mihi non eſſe ipſo ſole i
& ſi eſſet, me tamen minime deceret Pr
optime merito perſuadere, ut iis ſe ſua
ceſſin permitteret, qui me graviſſimi
bus, nullo adhibito modo, afficiunt,
ſuam ad Cæſarem transferunt, a cuju
que Auguſtiſſima Domo procul abeſ
ſemper omnis ſævitia atque crudelita
vero pietas atque clementia nunquam
ſi quidem ipſemet Imperator religioſi
querimonias meas abſens longeque di
cipit, ita Eccleſiæ meæ triſtiſſimam fa
intueri & fidiſſimæ ſibi Provinciæ ſin
euntis miſerabiles planctus & gemitus
audire, profecto nec a lacrymis temp
que tantis malis remedium adhibere c
Quæ cum ita ſint a Sanctitate Veſtra
peto, ut imprimis excuſatum me habea
tis obvolutus ærumnis piiſſimo Sanctit

desiderio animoque meo semper Apostolicæ sedi obedientissimo hac tempestate morem gerere non possim, deinde ut Ecclesiæ meæ salutem Imperatori tanta cura & contentione gravitateque commendet, ut ego tot calamitatibus expeditus Catholicam fidem in hisce terris porro tueri ac propagare, ordini meo convenienter vivere & dignitatem sustentare, & reddita mihi meisque pristina tranquillitate atque fortuna damnisque justa satisfactione pensatis Sanctitatis Vestræ jussa capessere valeam, quæ pro virili parte tam impigre semper atque industrie exequar, ut Sanctitas Vestra nunquam me cessantem exstimulasse, sed currentem incitasse videatur. Deus Opt. Max. Sanctitatem Vestram diutissime felicem, ac rebus omnibus florentem Orbi terrarum servet ac sospitet. Neuhusii 21. Febr. 1673.

## DLXXIV.

*Litera FERDINANDI L. BAR. a FURSTENBERG, Episcopi Paderbornensis, ad CARDINALEM ALTIERIUM, a quo, ut miserrimum Præsulatus sui statum Pontifici accurate explicare haud gravetur, obnixe contendit, 1673.*

### Eminentissime ac Reverendissime, Domine Colendissime.

QUanto vehementiori ardeo cupiditate Sanctissimi Domini Nostri Voluntati mihi per Apostolicum Breve nona Novembris Anno superiori datum, & una cum humanissimis Eminentiæ Vestræ literis ab Archi-Episcopo Thessalonicensi

inPoloniam proficiſcente transmiſſum indicatæ humiliter obtemperandi, tanto magis crucior, a quibusdam hominibus, quos Ottomannicæ ambitioni atque tyrannidi omnibus nervis ac facultatibus deceret obniti, & Antiſtites atque Eccleſias catholicas ubiq; terrarum tueri atq; protegere, me atq; provinciam meam ita vexari ac opprimi, ut ejusdem Sanctisſimi Domini Noſtri paternum auxilium potius implorare compellar, quam laboranti Poloniæ ſubvenire valeam; Quod meis literis ejus Sanctitati demiſſe ſignificare coactus, ab Eminentia Veſtra peto majorem in modum, ut miſerrimum hunc atque luctuoſisſimum rerum mearum ſtatum eidem Sanctiſſimo Domino Noſtro accurate explicare, & illi ſibique omnino perſuadere dignetur, me reddita Eccleſiæ meæ priſtina immunitate atque fortuna, recuperatisque viribus operam eſſe daturum, ut omnes intelligant nihil ejus Sanctitati & Apoſtolicæ Sedi in Germania eſſe tam promptum, quam obſequium atque ſervitium meum, & Eminentiam Veſtram a me ita coli atque obſervari, ut omnia mea ſtudia atque officia in eam conferre geſtiam, atque hac in re Germanos omnes ſuperare contendam. Bene valeat Eminentia Veſtra ac diuturno Sanctiſſimi Domini noſtri Pontificatu omnique felicitate lætetur ac floreat. Neuhuſii 21. Febr. 1673.

## DLXXV.

*Litera CAROLI II. Magnæ BRITANNIAE Regis, ad JOHANNEM GEORGIUM II.*

*II. Saxoniæ Electorem, quibus ipsi Guilielmum Swann, Equitem auratum, & conjunctissimæ secum adhuc cultæ amicitiæ constantiam sedulo commendat, 1673.*

Cum dilectus & fidelis Noster Guilielmus Swann, Eques Auratus, privati Nostri cubiculi Aulicus, & Noster apud urbes Hanseaticas Residens Nobis significaverit, sibi in animo ac votis esse, Celsitudinem Vestram Electoralem visere, festoque Divi Georgii jam proxime in illius aula celebrando interesse: Nos quidem eo libentius alacriusque illius desiderio consensimus, quod nobis quoque Celsitudinem Vestram Electoralem salutandi, Ipsique fraternum Nostrum affectum contestandi idoneam præbeat opportunitatem. Neque enim ignari sumus, quam firmiter steterit Celsitudo Vestra Electoralis, cum nonnulli minus æque erga Nos animati conjunctissimam illam inter Nos amicitiam concutere & labefactare nuper tentaverint. Quod nos etiam ad parem in omnibus, quæ Celsitudinem Vestram Electoralem spectare poterunt, fidem & stabilitatem semper devinciet. Prædictus Guilielmus Swann Celsitudini Vestræ Electorali satis notus, coram fusius exponet, quanti Nos Ipsius Personam æstimemus, & quali amoris sinceritate Serenissimum Ducem Saxoniæ, ut Illustrissimi Ordinis Nostri non modo socium, sed ornamentum quoque amplectamur. De cætero ut Deus Optimus Maximus Celsitudini Vestræ Electorali longævam cum prosperitate vitam concedere velit,

obnixe precamur. Dab itur in Palatio Nostro de Whitehall 12mo die M rtii $167\frac{2}{3}$.

Celsitudinis Vestræ Electoralis

*Bon s Frater & Consanguineus*

Carolus Rex.

## DLXX VI.

*Responsoria JOHANNI GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad præ sertas CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis li eras, 1673.*

P. P.

QUas Regia Vestra Majestas suo apud Civitates Hanseaticas Residenti, Equiti aurato, & privati cubiculi aulico, viro Nobili Guilielmo Swann, occasione destinati pronuper in aulam Nostram itineris partes demandavit, cum ex perscriptis ad Nos e Palatio Whitehall d. 12. Martii proxime elapsi literis regiis, tum etiam ex adjuncta modo dicti Ministri epistola abunde simul & libenter accepimus. Hic enim, quæ per absentiam oretenus non poterat jussa, pro laudabili rerum gerendarum dexteritate calamo est executus, eadem forsan omittendi itineris necessitate adductus, qua Nos quidem ab intentione celebranda festivitatis Georgianæ, pro ratione negotiorum hac vice tantisper recedere censuimus. Utrinque vero de tam propenso Regiæ Vestræ Majestatis erga Nos affectu tot illustribus argumentis edocti, sanctioris necessitudinis pignora grate agnoscimus, utque palam constet, quo omnino loco Regium in Nos affectum, nec non

non illustrissimi Ordinis Gartierii axioma merito habeamus, non minori sinceritatis zelo quam studiorum promptitudine Regiæ Vestræ Majestati, cui duturnam valetudinis & rerum florentissimarum incolumitatem ex animo precamur, devinctum animum comprobare nunquam non annitemur. Dabantur in Electorali Nostra Dresda die sexta Aprilis 1673.

## DLXXVII.

*Litera JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem, pro Wolfgang Henrico a Luttichau, Equite Saxonico, commendatitia, 1673.*

P. P.

ET gloriosi per Orbem Regiæ Vestræ Majestatis sceptri fama & qua illa Nostrates complecti solet Regia benignitate fretus præsentium exhibitor nobili apud Nos gente ortus, dilectus Nobis & fidelis Wolfgang Heinrich a Littichau, applicato jampridem majorum suorum exemplo, ad equestria & alia scientiarum ac virtutum studia, domi forisque animo, profectionem ad inclytas Magnæ Vestræ Britanniæ oras Aulamque Regiam permissu Nostro instituit. Cui quidem, ut quam initurus est, ad consequendam Regiæ Majestatis Vestræ gratiam, viam communiremus, cum laudabile merentis institutum, tum vel maxime sanctior illo, quæ cum Regia Vestra Domo jam diu Nobis intercedit, eaque recentibus subinde mutuæ benevolentiæ studiis renovanda facit necessitudo. Vestram

proinde Regiam Majeſtatem peramanter & ſedulo rogatam volumus, ut præfatum Vaſallum & ſubditum Noſtrum, ad condigna Natalibus claris decora aſpirantem, clementiæ ſuæ præſidio, mandatisque Regiis, prout viſum fuerit, familiam inter & miniſteria aulica gratioſe beare dignetur. Indubiam hanc Regiæ Majeſtatis Veſtræ gratiam devotis ipſe obſequiis, qua par eſt, fide nunquam non promerebitur, grataque memoria concelebrabit. Nos autem Regiæ Veſtræ Majeſtati cum ſincera devincti amimi teſtificatione diuturnam valetudinis juxta & rerum incolumitatem a Deo animitus precamur. Dabantur in Electorali Noſtra Dresda, die 18. Martii 1673.

## DLXXIIX.

*Literæ LEGATORUM SUECICORUM ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem, quem de adventu ſuo in Angliam certiorem reddunt, & qua de cauſa ad eum miſſi ſint, ſedulo exponunt, 1673.*

### Sereniſſime ac Potentiſſime Rex ac Domine.

SImul ac ſua Regia Majeſtas Sueciæ Rex & Dominus Noſter Clementiſſimus diſcrimina ex bello inter ſuos utrinque Fœderatos Majeſtatem ſcilicet Veſtram Regemque Chriſtianiſſimum ab una & Generales Ordines fœderati Belgii ab altera parte ſuborto ſibi ad animum revocavit, nihil habuit antiquius aut prius, quam ut primo quoque tempore nos ſuæ Majeſtatis ad partes Belligerantes mitteret

teret Legatos extraordinarios, qui paci rursus reducendæ bona fide omnique studio operaremur, profecti quidem in tempore, sed prolixo & adverso satis usi itinere serius nonnihil quam destimavimus ad hanc Majestatis Vestræ pervenimus aulam: Lætamur autem ibidem deprehendi, imprimis apud Majestatem Vestram haud obscuram tranquillitati restituendæ propensionem, quæ penes Christianum Orbem in hoc florenti suo statu rerumque bellicarum integritate magnam omnino meretur æquanimitatis suæ commendationem, ita ut speremus tarditatem profectionis Nostræ, quam necessitas imposuit, feliciori aliquo operis successu posse compensari. Noluimus autem deesse partibus Nostris, nec ut tempus frustra præteriret, quantum in Nobis esset, admittere, quandoquidem expedito hic feliciter negotio tractatus præliminari ad Ordines generales uniti Belgii ire pariter jussi sumus, itaque confidimus Majestatem Vestram non ægre laturam, si ab eadem, eo, quo par est, observantiæ cultu contendamus, ut super momenta sequentia rei gravitate condignam resolutionem suam edere, Nosque ad reliquos labores a se dimittere insuper non habeat, & primum quidem obtestamur, ut pro illa quam in generalibus quidem terminis, sed magno & generoso animo nobis declarare sustinuit, singulari in pacis tractatum propensione, Nos pariter in concepta jam spe & opinione confirmare deque Regiæ Majestatis, Sueciæ Regis Domini Nostri Clementissimi, fideliter oblata mediatione amplectenda certiores facere velit, quo feliciori auspicio, animoque latiori negotium Nobis commissum

miſſum ſine cunctatione aggrediamur,
Veſtræ perſuaſum omnino cupimus, nih
boris genere a nobis deſiderari paſſuras,q
ſalutare opus promovendum pertinere
caverimus. Deinde quemadmodum
git, ut de momento proxime ſuperiori
dubitemus, ita Majeſtatem Veſtram quo
tam voluimus, ut talem dignetur nomi
ſignare locum,qui partibus paciſcentibus
commodus & ſecurus adeoque qui Ord
neralibus Fœderati Belgii juſtam aliquam
di cauſam non præbeat, atque eodem
gratoque habito ſuos quantocyus deſtin
tos Plenipotentiarios, quo legatis mediat
occaſio debito modo locoque hortandi
di, ut reliquæ partes ſuos quoque Legato
ferre ſuſtineant. Denique cum ceſſatio
amicitiæ redintegrandæ quaſi quidam ſalu
apparatus præliminaris ſit, iræque & odii
pondus ſoleat habere maximum, actus
lici hinc inde proſperi vel adverſi animo
tum ſubinde immutare ſueverint,apud M
Veſtram nomine Sacræ Regiæ Majeſtat
Regis & Domini Noſtri Clementisſimi, t
experiendumque cenſuimus, ut durante
negotio ad aliquam armorum ſuſpenſione
duci queat, quo interea de plena pace c
da tanto ſecurius amicabiliusque & læti
ſpe bona freti reliquas partes belligeran
duci poſſe, ſuam quoque conferant curam
non minus quam terra id fieri queat, cum
in finem, ut ceſſantibus partium belligera

mis, iisque ad aliquem induciarum modum adstrictis, interea cesset sanguinis effusio, paulatimque amicitiæ usus denuo revocetur, adeoque provideatur, ne aliarum Nationum arma intercedant, tractatusque negotium gravioribus involvatur difficultatibus. Quæ momenta pacificationis negotio complanando & promovendo, ut confidimus, opportuna Sacræ Regiæ Majestati Vestræ exhibenda existimavimus, ut inclinatio Regis Domini Nostri Clementissimi & studium exinde appareret nostrum, nulli dubitantes, quin Majestas Vestra responso Nos benevolo talique beare sustineat, quo propositum Sacræ Regiæ Majestatis Sueciæ Regis & Domini Nostri Clementissimi apud cæteras partes alacrius urgeamus, prosperumque & celeriorem polliceamur præstolemurque eventum; ultimo Nos & commissionem Nostram favori Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ impense commendamus.

Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ

*Dabantur, An. 1673.*

*Humillimi & omni observantiæ cultu addictissimi*

Petrus Sparre. Eduard Ehrenstein.

## DLXXIX.

*Literæ CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad SENATUM COLONIAE AGRIPPINAE, cui urbem suam congressui de pacis tractatibus habendo, communi Regis Christianissimi sui consilio destinatam esse significat, eumque ut obsta-* cula

*cula isti proposito remoram injici*
*removere connitatur, amice hort*

Carolus Dei gratia Magnæ
Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei
Magnificis, Nobilissimis, Spect
Consulibus & Senatui Urbis &
Coloniensis, Amicis Nost
dilectis salutem.

*Magnifici, Nobilissimi, spectab*
*ci Nostri perdilect*

HUmanitatis & observantiæ of
bis recepimus, dum in Vestra
commorati sumus, tot ac tanta fu
moria Nostra nunquam excidere
ptosque adeo reddant, ea omnia ar
qui efficaciter, quæ in rem Vestran
Hinc erat, quod cum Nobis in ani
mus Urbem Dunquerque (quæ p
multisque aliis de causis rebus N
erat) relinquere, & alium tractatu
cum eligere, Vestram imprimis C
omnibus anteferre voluimus, nostr
te voluntati tum bonus Frater Nos
nissimus facile accessit, tum Status
fœderati Belgii consenserunt: post
Regem ab hac sententia dimotum
nnn solum, quia Legionem Marcl
apud Vos adhuc in præsidiis esse vid
etiam plures eo copias ipsum velle
pro Vestra Civitate Aquisgranum
esse ducebat. Qui quidem locu

tione distantiæ scriptionibus & responsis inter Nos & Legatos Nostros reciprocandis aliquanto commodior esse videtur, singularis tamen affectus Noster erga Vos & Civitatem Vestram effecit, ut ea beneficia, quæ talis conventus secum adducturus est, in Vestram potius, quam aliam quamcumque Civitatem conferri posse præoptaremus, eoque magis, quia ex tot Ministrorum ibi congredientium frequentia apta vobis suppeteret occasio, metus omnes ac suspiciones, quæ vos hucusque molestos anxiosque tenerunt, penitus expellendi, quod ut fiat tam per nos ipsos quam per amicos, quantum poterimus, opis & operæ adhibebimus. Ideo est, quod Vobis Literas istas hoc tempore scripsimus, similesque per eundem latorem a Rege Christianissimo & in eandem (ut absque dubio credimus) sententiam accepturi estis: Nimirum ut Vos pro certo habeatis, si sæpememorato Regi Christianissimo hanc unam suspicionem tot hostes suos in Civitate Vestra armatos retinendi eximere possitis, nos ambos eandem pro loco tractatus unanimi consensu nominare velle, quicquid præstabilius vel ob distantiam, vel ob alias commoditates alibi Nobis offeratur: Vos igitur hortamur, ut etiam atque etiam perpendatis, quantum Vobis obfuturum sit, si congressus istius opportunitatem e manibus elabi sinatis, sive præsens emolumentum, sive futuram spectetis incolumitatem, cum securitatem jure Vobis promittere valeatis, non solum una fide atque honore eorum, quos ullatenus timetis, sed etiam a tot aliorum Principum guarantia & protectione, quibus tutius multo confidere possitis, quam copiis illis, quæ cum partes

tes

tes ſequantur amicos Veſtros irritar
poſſunt, & paucæ cum ſint, inimicos
aut impedire nequeunt. Itaque
Vobis ex animo damus, ut Regi Ch
hac parte ſatisfacere velitis, Legior
chionis de Grana amovendo & Noſt
Garantiam accipiendo, qua Vos a q
ſte, in eadem pace ac Neutralitate,
re cupitis, tuebitur, quod quidem ef
offeretur. Nos autem Vobis hoc
ſulere nollemus, niſi in rem Veſtran
me crederemus, cum hortatio hæc N
alium habeat finem, quam ut ita pa
quantum Vos amemus, quanti Vos æ
que amplius adhuc declarare, quotie
ratio poſtulaverit, parati ſemper erin
cætero Veſtramque Civitatem Dei
mi tutelæ commendantes. Datu
Noſtro de Witehall, 7. die Aprilis, 16

Veſter

*Bonus An*

**Carolus Rex.**

DLXXX.

*Literæ* SENATUS CIVITAT
NIAE AGRIPPINAE, *ad*
CUM XIV. *Galliæ Regem, quib*
*caſione eo conatus ſuos intenſurum*
*ut legatis intra mœnia urbis ſuæ c*
*integra præſtetur ſecuritas, 1673.*

## Serenisſime ac Potentisſime Galliarum ac Navarræ Rex, Domine, Domine Clementiſſime.

SAcræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ 25. elapſi menſis Aprilis datæ 2. currentis hujus menſis Maji fideliter Nobis ſunt conſignatæ literæ, quibus in congregatione Noſtra cum ſubmiſſa reverentia in continenti perlectis gaviſi ſumus & Clementisſimam Regii affectus benignisſimi in Nos & hanc urbem continuationem ejusque extenſionem in tantum exinde percipere, ut etiam dignata fuerit præ cæteris aliis omnibus & eandem ad pacis tractatum inſtituendum eligere, & eum in finem Plenipotentiariis ſuis jam tum ad iter auſpicandum Regia mandata dederit, ita tamen, ut ante ipſorum adventum legio Marchionis de Grana hic exiſtens dimittatur, civitas in perfecta Neutralitate conſtituatur, atque omnibus ad pacis hosce tractatus accedentibus plenipotentiariis integra ſecuritas præſtetur. Pro benignisſima hac Regiæ Majeſtatis Veſtræ erga Nos facta declaratione ſubmiſisſimas ut par eſt gratias humillime referentes, divinam bonitatem precamur, ut exoptatisſimam Pacis recudendæ intentionem ſua gratia & asſiſtentia ſecundare & pro ampliore ſui Nominis honore ad felicem effectum deducere velit, non intermiſimus præſentem Regiæ Majeſtatis Veſtræ Declarationem Sacræ Cæſareæ Majeſtati, Domino Noſtro Clementisſimo, pro rei gravisſima exigentia quantocyus notificare, certo confidentes taliter ab eo demum proviſum iri, ne ullus ratione ſecutita-

tis remaneat ſcrupulus. Inſuper Nobis indulgeri humillime petimus, ſi forte circa prædictam legionem Marchionis perfecta informatio Regiæ Veſtræ Majeſtati, prout ex tenore literarum quodammodo apparere videtur, non obvenerit, ſubmisſione ſibi referri, quod tempore concluſi tractatus ſuper certis quibusdam punctis inter Sereniſſimum Principem Electorem & Civitatem hanc Colonienſem deſuperque mediantibus Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Reverendisſimis & Celſisſimis Dominis Commisſariis eorundemque ſubdelegatis, nec non interveniente Reverendisſimo Epiſcopo Monaſterienſi aliisque Circuli Weſtphalici Statuum Deputatis ab Imperatore Ipſo ratificati plurimisque Sacri Romani Imperii Principibus guarantigiati receſſus in certo articulo cautum fuerit, ut ſæpe memorata hæc legio una cum alia per ejusdem Circuli Status huc inducenda pro ſola ſecuritate hujus Urbis, nullius vero offenſione, utcunque etiam unus alterve Imperii aut circuli Status alicui belligerantium parti accedere voluerit, ſubſiſtere, eorundemque ſumptibus ali, nullumque ex hoc Civitati, quoad neutralem ſuum Statum præjudicium fieri posſit aut debeat, atque pro exactiore & fideliore ejus obſervatione utraque legio, earumque denique majores & minores officiales, excepta ſola perſona Marchionis de Grana, ſpeciali Juramento & Magiſtratui huic obſtricti, ejusdemque legibus & ordinationibus parendi, quam diu hic ſubſiſtant, ſint obligati. Et ſicut hactenus pro omni posſibili invigilaverimus & pro futuro cavebimus, ne ulli

vel

vel minima, quantum Nobis constat aut testatum fuit, fieret offensio vel injuria, aut etiam imperfecta neutralitate quisquam intercesserit defectus, ita speramus, nullam ad Regiam Majestatem Vestram desuper unquam datam fuisse querelam. Cum nunc etiam intellexerimus, Sacram Cæsaream Majestatem ad Imperii Proceres Ratisbonæ congregatos similem super legione facta Cæsaream dedisse declarationem, compertumque habeamus, Marchionem de Grana hinc ad aulam Cæsaream revocatum esse, spe firma ducimur non defuturum, qui eidem Regiæ Majestati Vestræ aliisque ad hosce pacis Tractatus accedentibus omnem desideratam securitatis datura sit satisfactionem, humillime rogantes, hanc Nostram declarationem acceptam haberi, quibus Sacram Regiam Majestatem pro felici Pacis recudendæ concepta expeditione pioque longævo ac felici regimine Divino Numini, Nos vero ejus semper continuandæ clementissimæ propensioni submisissime commendamus. Datum 5. Maji, 1673.

Sacræ Regiæ Majestatis
Vestræ

Humillimi Consules & Senatus Liberæ Imperialis Civitatis Coloniæ Agrippinæ.

DLXXXI.

*Literæ MICHAELIS, Poloniæ Regis, ad MICHAELEM ABAFFI I. Principem Transyl-*

*ſylvaniæ, cui pro navata in nuperis cum Turca Pacis Tractatibus egregia opera grates condignas refert, utque in meliorandis dictæ pacis conditionibus omnem porro movere lapidem haud intermittat, amanter injungit, 1673.*

Illuſtrisſime Princeps, Amice & Vicine Charisſime.

CUm in animum Noſtrum revocemus, quid officii proxime præterito anno Nobis Regnoque Noſtro Illuſtr. Veſtra pro avertendo Turcico bello ſponte obtulerit, dubitare non poſſumus eadem conſtantis animi & ſtudii propenſione Illuſtrit. Veſtram erga rem Polonam etiamnum ferri, quam bellorum periculis immunem tranquille ac in ſecuro agere Illuſtrit. Veſtram juxta ac aliorum vicinorum Principum & Dominorum intereſt. Plena itaque fiducia viſum Nobis Illuſtr. Veſtram compellare & intentionem Noſtram ac Ordinum Regni ad pacis honeſta media proclivem aperire, prout ex ſeorſiva Cancellariæ Noſtræ informatione Illuſtr. Veſtræ luculenter conſtabit. Daturi porro ſumus operam, ut pro conteſtata ad præſens erga Nos Regnumque Noſtrum in meliorandis concluſæ nuper cum Sereniſſima Porta Ottomannica pacis conditionibus indilata cura & efficacibus officiis, gratam Regiæ Noſtræ benevolentiæ vicem quibusvis occaſionibus Illuſtritati Veſtræ reponamus, de reliquo eam divinæ tutelæ animitus commendantes. Dab, Anno 1673.

Michael, Rex Poloniæ.

DLXXXII.

DLXXXII.

*Literæ MICHAELIS ABAFFI I. Principis Transylvaniæ, ad SUPREMUM REGNI POLONIAE CANCELLARIUM, quibus ipsi candide exponit, quid facto Polonis opus sit, ne charybdim evitare nimium studentes in Scyllam incidant, 1673.*

## Reverendisſime ac Illuſtrisſime Domine, Amice mihi Obſervandisſime.

TAm Sacræ Regiæ Majeſtatis, quam Reverendæ Illuſt. Veſtræ literas ipſi commiſſas reddidit mihi heſterna die Tabellarius Suæ Majeſtatis, quæ mixtum dolore apud me pepererunt gaudium, Lætitiam exprimere videbatur Regiæ Majeſtati Sereniſſimæque Polonorum Reipublicæ inſerviendi oblata occaſio, quæ ſi optatum propitio numine produceret fructum, felicem non immerito me cenſerem, nec quicquam, quod in poteſtate mea ſitum eſt, in negotio præfato promovendo defuturum credat. Sed ingenti e converſo dolore affectus ſum ex literis præfatis Sereniſſimæ Reipublicæ res nec dum in tuto ſita perſpiciens. Quamvis itaque magna ingenia altaque in Sereniſſima Republica Polona non deeſſe ſciam conſilia, nec ejus ambitionis ſim, ut illis reſcribam laborem pro ritu, candidi interim amici ſatisfacere ſatagens officio, quædam ad præſentem, ut crediderim, collimantia ſcopum Reverendæ Illuſtr. Veſtræ iisque, quibus placebit, communicare decrevi. Quemadmodum

dum locorum vicinia, conversatione morum, legibus, connubiis, aliisque multis rerum connexionibus Polonos ac Hungaros Deus olim conjunxerat, ita easdem nationes æquali ferme morbo fuisse & esse obnoxias, res ipsa est testis. Nos Hungari maturioribus periimus fatis, exemplo, si sana ratione inclyta Polonorum gens, quibus periimus occasionibus scrutata fuerit, ipsis futuri. Duo Nationem Nostram funditus exedere carcinomata, discordia civilis, ac spes in externis auxiliis plus justo posita. Fortissimo enim Matthia Rege Corvino morte sublato, tantum inter ipsos bello civili sanguinis est absumptum, quantum ad propulsandos hostes omnino suffecisset. Arrodebant tunc maxime armis invicem se progenitores Nostri, dum hostis occasione sibi tam felici & insperata usus Albam Græcam totius Hungariæ non propugnaculum saltem, sed januam suæ fecit potestatis. Unde in viscera Regni Nostri pro lubitu deinceps ipsi sævire licuit, donec in afflictissimum modernum statum fata Nostra nos præcipitarint. Civilibus bellis, ut jam dictum, exhausti patres Nostri, dum hosti, qui cervicibus eorum magis ac magis imminebat, impares se agnoscerent, ad Christianorum Principum confugere auxilia, promissisque magnificis divitiis, hosti numerosissimo, cum exiguo, quem habebant, exercitu obvii, aliorum ope destituti, fatalem in Mohacziano campo impleverunt felicitatis Hungariæ diem. Considera, quæso, res Vestras, Charissime Amice, avertat Deus omen, nonne dissensio animorum aperuit viam ad ea, quibus Serenissima Vestra Respublica

anno

anno proxime præterito laboravit & hodie laborat? Quo exitu, novit is, qui omnia novit. Nunc inter bellandi pacemque colendi bivium hæret res. Forſitan externorum Regum ac Principum promiſſis ſuffulti vultis rei admovere manus, quorum erga Chriſtianam Rempublicam in dubium vocari pietas non meretur. Nullius eorum favorem ſpernendum, caute tamen & cum grano ſalis illis fidendum cenſeo. Omnes enim potentatus, cum morti ſint obnoxii, rebus Veſtris etiam in opere plano ſitis, ubi aliquem eorum, qui Vobis opitulari volebat, fato cedere contigerit, totum confundetur negotium. Diſtractiones præterea domeſticæ, quæ facile intervenire poſſunt, nonne quemque eorum, Vobis neglectis, ad ſua defendenda avocare poſſunt? mille imo plures poſſunt accidere rerum mutationes, quæ promiſſis poſſunt Vos deſtituere auxiliis. Quæ omnia non terrendi, ſed conſulendi gratia me ſcribere, teſtor Deum viſcera hominum ſcrutantem. Video generoſam Dominorum Polonorum mentem horrere tributarii nomen, nec eſt cur non indoleant? Sed talium viciſſitudinum caſus vel potentisſimas Nationes non ſæpe fuiſſe expertas hiſtoriæ teſtantur. Nec deſunt exempla, nonnullos ex Tributariis factos eſſe Dominos, aut ſocios eorum, quibus antea Tributum pependerant. Imo domeſticum etiam non deeſt Serenisſimæ Reipublicæ exemplum, Tartaris enim Præcopienſibus honorarium aliquoties eſt ex Polonia datum, non tamen facta eſt inclyta Polonorum gens iis inferior. His itaque omnibus præmisſis, ut ſive bellum ſive pacem amare

vultis, universi ac singuli armetis oportet suaserim, nec ita in auxiliis aliorum spem collocetis, quibus aliquo casu absentibus, vos arma movisse pœniteat. Discatis, Charissime Amice, exemplo Nostro, ne ita, uti Nos, corruatis. Si autem aliquas superesse cernitis difficultates, præstat utcunq; coalitam tolerare pacem, ad melioraque se reservare tempora, quam eam inquietando, maturare exitium. Hæc est, charissime amice, opinio mea, quam etiamsi Vobis non multum utilem, tamen ut ab amico animo profectam agnoscatis, confidenter rogat

Reverendissimæ Illustrit.
Vestræ

*Dab. Alba Julia, die 22. Maji Anno 1673.*

*Amicus ad officia paratissimus*

Michael Abaffi.

## DLXXXIII.

*Litera SUPREMI REGNI POLONIAE CANCELLARII, ad SUPREMUM MAGNI DUCATUS LITHUANIAE CANCELLARIUM, quibus ipsi nunciat, se in cœpto semel proposito firmiter perstiturum, donec data occasione candidi amoris sui in Patriam testimonium, universa Republica spectante, edere possit, 1673.*

P. P.

P. P.

AD materiam in literis Excellentiæ Veſtræ mihi propoſitam paucis reſpondeo, Deumque ante omnia teſtor, me nulla abreptum erga Sacram Regiam Majeſtatem contumacia, quippe qui Reges jam quatuor in Ordine venerare didici, neque ulla adverſus privatum quenquam aut malitia aut vindicta ſtimulatum fuiſſe, ſed cura boni publici, multorumque civium judiciis non tantum magnorum nominum, ſed etiam privatorum, qui metu futurorum malorum me ſollicitarunt & dum ſollicitant. Revocemus modo in memoriam, & perpendamus ſtatum Noſtrum ac infelicitatem, in qua eramus conſtituti. Quis unquam credidiſſet ullam in orbe Chriſtiano talem metamorphoſin tam repente unoque veluti ictu paſſuram, qualem noſtra inaudito plane exemplo paſſa eſt, adeo ut nil fuerit diſcriminis inter ſubditum Imperatoris Turcici & inter civem in libertate educatum, poſtquam omnes Nobis ademptæ fuerunt prærogativæ. Verum quidem eſt omne id quod ademptum Nobis fuerat, Sac. Reg. Majeſtatem ex clementia ſua reſtituiſſe, glorioſius tamen ei fuiſſet, nunquam in privationem conſenſiſſe vinculo juramenti ſui præciſe inhærendo. Sed ut brevibus dicam, faciet me quis ſecurum hæc violenta conſilia non amplius eſſe metuenda, tunc ſcrupulos hosce meos abjiciam. Cæterum & hoc non leviter me affligit, quod iſti mei ſcrupuli non tantum mihi, ſed etiam Domui meæ nocere debeant. Non tenetur frater ad ferendas pro fratre pœnas, tum et-

iam eventus ipse docuit, Deum hanc meam in publicis meticulositatem non improbasse. In recenti procul dubio Excellentia Vestra habebit memoria, me literas ad magnum Ducatum Lithuaniæ hic Posnaniæ expeditas Domino Palatino Vitepscensi, cum vehementi & acerba instructione a toto corpore ejusdem Magni Ducatus Lithuaniæ huc Ablegato, subscribere justas ob rationes noluisse, quamobrem nuper defunctus Rex Casimirus infensus mihi in hæc erupit verba: Hanc muneris tibi incumbentis detrectationem vindicabo in te & domo tua. Tuli æquo animo iram Regiam, & tamen nihilominus fortiter rem nocivam denegavi. Vix horæ dimidium effluxerat, subito Rex ad se reversus impetum suum coram me excusavit, Senatores vero numero XII. qui tunc præsentes aderant, a contraria, quam fovebant, recesserunt sententia, adeo mihi innocentia mea patrocinabatur. Sed ne nunc quidem de eadem providentia divina, quæ innocuos sensus meos scrutatur, eosque non esse malitiosos probe perspicit, quicquam dubito, quin has meorum amicorum admonitiones stimulationesque in solatium & conservationem communis Patriæ versura sit. Verum, ut dixi, oportet, ut securus sim, quod in eandem, quam metuo calamitatem non recidamus, & sic Sacra Regia Majestas omnem meam experietur submissionem & venerationem. Reliquum me fraternæ Excellentiæ Vestræ benevolentiæ commendo. Dabantur Posnaniæ, die 29. Maji, Anno 1673.

DLXXXV.

## DLXXXIV.

*Responsoria* SUPREMI MAGNI DUCATUS LITHUANIAE CANCELLARII, *ad præinsertas* SUPREMI REGNI POLONIAE CANCELLARII *Literas*, *1673.*

REdditæ mihi sunt literæ Excellentiæ Vestræ 29. Maji Posnaniæ datæ, & ni fallor ad responsorias meas per Episcopum Chelmensem missas, valde miror, quod nihil ab ipso habeam, cujus causa ad Excellentiam Vestram scripseram, cum tamen significare debuisset, utrum Excellentia Vestra præsentationem suo sigillo muniverit, nec ne? ab ipsa autem Excellentia Vestra fraternam cum acceperim compellationem lubens respondeo ad materiam mihi propositam, cæterum non possum non eandem instantiam pro Domino Episcopo Chelmensi repetere, id enim S. Reg. Majestas mihi denuo commisit, ut ab Excellentia Vestra contenderem, ne rem in adventum suum differret, sed potius Sac. Reg. Majestatis desiderio ipsiq; tandem æquitati prompte ac sine mora satisfaceret, quod si vero zelus boni publici Excell. Vestræ hanc suadet cunctationem, ubinam rogo luculentius apparere posset zelus iste, quam si pacificationi generali in nuperis comitiis sancitæ consulere Excell. Vestra eamque manutenere studeret, quæ dicta pro non, dictis facta pro non factis haberi vult. Cum igitur Sacra Regia Majestas legem istam pro parte sua, prout in Comitiis sacrosancte spospondit, religiose observet, opus omnino erit, ut eadem vice versa Sac. Reg. Majestati illisque, qui partes ejus-

ejusdem secuti sunt, præstentur: qualis enim hæc esset pacificatio, si eam tantummodo in charta exaratam haberemus, reipsa vero vindictæ occasionem aucuparemur. Miror esse aliquos, qui Excell. Vestram sollicitent, alia certe ipsorum fuit sponsio in comitiis & quam in scriptis dederunt obligatio, nimis cito in oblivionem abiit illud, si pars parti fidem servare renuat, recurrendum esse ad omnes generales confœderationes: hinc novi motus in Republica, discordiæ & querimoniæ in conventibus, maxime in generali expeditione, si ultima nobilitatem convocandi necessitas ingrueret atque ita nosmet ipsi patriam jugularemus: Deberet sane Excell. Vestram movere imprimis metus futurorum malorum, eorum scilicet, quæ emergere possent ex occasione viri pleni annorum, gravissimis paroxysmis obnoxii, & quod caput est, spiritualis, imo Episcopi, cujus recta conscientia & amor pacis internæ stimulum dare utique debebat. Verum quidem anno præterito universalem cardinalium Jurium eversionem irrepsisse in Rempublicam & cum jam omnia hæc sint emendata, cum forma Reipublicæ antiqua sit restituta ergone hoc iterum pervertemus? Profecto tam præclarum pacificationis opus per latus Domini Episcopi Chelmensis petere idem esset ac Rempublicam penitus interimere. Ingerit Excellentia Vestra se, si cautum sibi fuerit, non admissum iri imposterum consilia ista violenta, suos tum abjecturum scrupulos. Quis autem obsecro de violentis istis consiliis cogitat? Quis nova exoptat incendia post extinctam tam funestæ discordiæ flam-

flammam? Adjunxit Sacræ Regiæ Majestati Respublica Consiliarios ex ordine Senatorio & Equestri ex primis primos, errare igitur in Consiliis Rex non poterit, si sensum addictorum sibi Consiliariorum sequatur, quos ego affirmare ausim nihil aliud mente volvere, quam ut Rempublicam ab immanitate Barbarorum & oppressione vindicent: Eum in finem in præteritis comitiis tantas ad belli sumptus, novo & inaudito in hac Republica exemplo, contributiones decrevimus, quo sacraria cultus Divini religionem & libertatem a Tyrannide Ottomannica protegeremus, nomenque infame tributi a gente libera profligaremus, & quare ad violenta nunc recurreremus consilia; nemini hoc unquam in mentem venit. Quod autem scrupuli isti non modo Excellentiæ Vestræ, sed etiam domui ejus nocere debeant, id vero nec Regi curæ unquam fuit nec visum mihi. Afferunt hoc non solum Regiæ ad Excellentiam Vestram literæ, sed & in meis expressi Regiæ erga eandem domumque ejus gratiæ documentum, nimirum sacram Regiam Majestatem, utut justam habuerit contra incisorem Regni offensam, nihilominus tamen eidem Podlachiæ Palatinatum & Capitaneo Ostrzechoviensi Incisoratum Regni contulisse. Duos igitur e domo Excellentiæ Vestræ una eademque vice honoribus auxit, quod sane non vindictæ, sed gratiæ documentum est: Quisquis itaque hisce mentem Excellentiæ Vestræ turbat, is animum ejusdem a Principe alienum reddere, & vincula unionis ac amoris civilis dissolvere molitur. Quod porro ad Ordinatum

tum Noſtrum attinet, quem Excellentia Veſtra excludendum exiſtimat, pro exemplo adducens illud, quod Poſnaniæ contigit, quando Excellentia Veſtra literas ad Magnum Ducatum Lituaniæ per Palatinum Vitepſenſem perferendas ſubſcribere noluit, id quidem tum temporis nec ego improbavi, quippe qui ſententiam Excellentiæ Veſtræ ſecutus ſum. Cæterum hoc in paſſu diſpar videtur eſſe ratio ferendi conſilii & adminiſtrationis officii Officialis Regni in Republica, quando Rex ſecundum legem diſtributivam exercet Juſtitiam & beneficium confert ſecundum conſtitutionem anni 1667. benemeritis & ætatis diſcretione bene vigentibus, quod ipſum ex ſola Principis voluntate & inſtinctu divino pendet. Hanc gratiam divinam pariter ac Regiam Dominus Epiſcopus Chelmenſis expertus eſt, quippe ſine ullis ſcrupulis ex Palatinatu ad Epiſcopatum evectus, ergo ipſi ad Cujavienſem quoque aſcendere licuit, ſi infamis ille fuiſſet ac per rigorem Juris capite diminutus procul dubio nullum in ſenatu habuiſſet locum, non ſecus ac quondam Epiſcopo Smolenſcenſi contigerat, quem in coronatione divi Regis Caſimiri, ſimilem ob cauſam, ſenatu moverunt. Hic res ſecus ſe habet in perſona Epiſcopi Chelmenſis, poſſet enim hinc ſuſpicio enaſci, propterea quod partes Regias ſecutus fuerit, vindictam ab ipſo ſumi in convulſionem pacificationis generalis, quæ ut Excellentiæ Veſtræ imputetur, ego quidem haud optaverim, quin potius eandem obteſtor, ut a ſe amovere hoc odium quamprimum velit. Circa finem Epiſtolæ Excellentia Veſtra ſubjungit, ſi per fidem

fidem publicam ſecura fuerit reddita, quod in eandem calamitatem non recidamus, mox omnem ſe præſtituram Sacræ Regiæ Majeſtati ſubmiſſionem & venerationem. Quænam vero major eſſe poteſt ſecuritas ea, quam Reſpublica præſtat, quæ etiam Regem comprehendit? Quodnam fortius vinculum dato ad Lublinum diplomate, quod Juramento Regis firmatum, hicque Varſaviæ volumini Legum inſertum fuit? Tunc temporis quando populus contra Regem inſurrexerat & cognatæ acies invicem committebantur, jamque ad conflictum deventum erat, non majores nexus, non ſtrictiora pacta ſancita fuerunt illis, quæ ad Lublinum Regi præſcripſimus, præcavendo, ne Sacra Regia Majeſtas exemplum hoc tempore futuro in conſequentiam traheret, hoc ipſo ſat ſecuritatis Nobis præſtitum. Denique etiam tempus edax rerum omnes conſumet diffidentias & poſt liberatam a Chriſtiani nominis hoſte Rempublicam optatam Nobis quietem & tranquillitatem reddet. Nullus igitur dubito, quin Excellentia Veſtra, pro conſummata ſua prudentia, ſatis jam perſpectura ſit, quid primum Patriæ, deinde quid Excellentiæ Veſtræ ac tandem Nobis omnibus conducat, nimirum quies & tranquillitas. Dat. Varſaviæ die 16. Junii 1673.

## DLXXXV.

*Literæ CAROLI XI. Svecorum Regis, ad LEOPOLDUM, Roman. Imperatorem, quibus eum, ne almæ pacis trucis belli conſiliis poſtponendo, Germaniam, ac cum ea univerſam Europam in ineluctabilis ruinæ abyſſum præcipitet, ſerio & amice hortatur, 1673.*

Sere-

## Sereniſſime & Potentiſſime Imperator, Frater, Conſanguinee & Amice chariſſime.

QUa egregium publicum promotum ivimus cura, quave ſollicitudine ac fide reducendæ paci ſtuduimus, nemini non compertum ſperamus, ac imprimis Majeſtati Veſtræ comprobatum, quod eam, quam initio præſentium motuum Majeſt. Veſtræ exponi fecimus, conſiliorum noſtrorum metam, ſincere ac ab omni partium ſtudio alieni ſecuti ſimus, adjuvandi nimirum ac connitendi ſerio, quo illud, quod licet in noſtra poteſtate non erat, plane prævertendi belli incendium, tamen ne innoxios pro lubitu vicinos ſimul corriperet, quantocyus etiam ſiſti poſſet ac extingui. Conceſſit etiam Divina clementia, quod opera ſalutari huic Pacis negotio per Nos & Noſtros hactenus adhibita non plane in caſſum ceciderit, cum Potentiæ belligerantes in officia mediationis noſtræ prompto compromiſerint animo, ac de cætero etiam conſenſerint, quo præliminariis ardui hujus operis complanatis, manus ipſis mutuo removendis disſidiis (faxit Deus feliciter!) ac ad ſanandum illud, quo tota gens Chriſtiana ſimul laborat ac langueſcit, belli vulnus, admoveri poſſit. Nollemus etiam de exoptato hujus voti ſucceſſu deſperare, modo res in ſtatu, quo jam verſatur, ſervari ac atræ nubes illæ derivari poſſent, quæ undique exſurgere, ac majorem, quam hactenus perpeſſi, minitari videntur tempeſtatem; Etenim quamvis apud ambos, qui contra Hollandos bellum gerunt Re-

ges,

ges, certis & solennibus pactis æquam ac honestam pro dicta Republica stipulati simus pacem, quamvis etiam nova desuper habeamus promissa, nec vanam spem, posse per armistitium universale prima parari auspicia huic, quam Christianus Orbis tam anxie circumspicit, pacificationi; Verum cum rumor circumferatur, & de una in alteram diem magis invalescat, constituisse Majestatem Vestram sua iterum expedire arma, & ea forti illis opponere conatu, quo querelis turbatæ in Imperio quietis ubique onerati percepimus: Nolumus etiam hanc in dubium vocare causam, nec inculpare remedium, quod Majestas Vestra cum unanimi procul dubio Ordinum Imperii, quorum tanti interest, suffragio ac consilio sanando huic morbo judicavit adæquatum, cum id à Majestate Vestra summo promovendi publici boni studio proficisci & Imperatorii muneris esse sciamus, securitati prospicere Imperii ac præstare, ne illud detrimenti quid capiat, hoc est, ne ejus Status ac membra contra sanctiones ac publica pacis pacta impune graventur. Verum cum hoc quod alias foret maxime salutare propositum, etiam cogitata frustrari, inimica vicinorum Regum arma in Imperii viscera attrahere, illud difficili & in multos annos duraturo bello exponere, ansam & occasionem interea trucibus Barbaris ad debellandum Christianæ gentis antemurale, cum semper invigilent ejus dissidiis, præbere, omnem reducendæ tandem tranquillitatis spem ac media præscindere, ac multa & innumera producere possit pejora; Non possumus aliter cura publici boni moti & anxii, quin

Majestati Vestræ hæc omnia, quæ non immerito ex nova illa expeditione veremur, mala repræsentemus, certo certius nobis promittentes, quod, quemadmodum Majestas Vestra cuncta sua hactenus gesta non nisi ad censuram Pietatis, Justitiæ ac reliquarum, quæ Imperatorem ornant, ac bonum designant, virtutum probe examinata executioni mandaverit, ita etiam a Majestate Vestra hoc, quo non difficilius ac magis arduum hac rerum facie videmus negotium, adhuc ulterius, antequam in effectum producatur perpensum ac soli ultimæque necessitati reservatum iri; Quod a Majestatis Vestræ summa Prudentia & in rem communem probato studio Nos eo facilius obtenturos confidimus, quo bene etiam recordemur, exposuisse id ipsum Majestatem Vestram jam pridem Instrumenti pacis Monasteriensis Artic. Et ut eo sincerior &c. in eum modum, qui etiam basis nostri cum Gallia initi fœderis & innixa æquo ac genuino Pacis sensu, ac propterea Anno 1670. cum Plenipotentiario Regis Galliarum specialius adhuc in hujus favorem desuper transegisse, cum etiam spem foveamus certam, causam, quæ Majestatem Vestram ad expeditionem hanc militarem induxit, brevi cessaturam, permotis ad sistendam per cessationem armorum suam utrinque iram ac funestos ejus effectus omnibus belligerantibus per intensas ac arduas istas, quas nuper alte memoratis Regibus literis ac oretenus proponi fecimus rationes, ac persuaso imprimis Galliarum Rege, quo suas, quas in Imperio co-

pias

pias & quæ non nisi capiti ac membris ejusdem molestiæ ac suspicioni esse possint, sine mora revocare, illamque quæ leges pacis iis, promittunt, securitatem illæsam ac intemeratam reddere velit, quo super justo desiderio nostro per Responsum Gallico Legato, qui ad aulam Nostram commoratur, & Guarantiam Pacis Westphalicæ enixe requirit, nuper dato, animi sensa nostri uberius exposuimus, & de prospero voti hujus nostri successu eo minus dubitamus, quod Rex Christianissimus per solemnem quandam declarationem hæc omnia nobis non solum stipulatus, verum etiam ubique in Imperio ista sua evulgari fecit promissa; quemadmodum Consiliarius noster Status Bremensis, Esaias Puffendorff, Majestatem Vestram de his & quæ ipsi præterea in mandatis dedimus, certiorem reddet, Nobis persuadentes, Majestatem Vestram dictis Consiliarii nostri plenam adhibituram fidem ad literas has nostras ex amico, quo in Majestatis Vestræ & publici emolumentum ac salutem ferimur, animo profectas, in meliorem partem interpretaturam. Quibus Majestatem Vestram summi Numinis Tutelæ ad quævis prospera commendamus. Dabantur in Civitate nostra Gothenburgi 7. Augusti 1673.

Majestatis Vestræ

*Bonus Frater, Consanguineus & Amicus*

CAROLUS.

## DLXXXVI.

*Responsoriæ LEOPOLDI, Romanorum Imperatoris, ad proxime præcedentes CAROLI XI. Suecorum Regis literas, quibus se extra omnem præsentis mali culpam, Regem Galliarum vero omnium malorum causam & autorem esse clare demonstrat, 1673.*

Serenissime & Potentissime Princeps, Consanguine & Frater Charissime.

QUas ad Nos Serenitas Vestra Gothenburgi 7. præteriti Anni Mensis Augusti dederat, eas primum 24. subsecuti Mensis Septembris recepimus literas, quarum tenor in eo summatim consistit, quod ad extinguendum belli inter Galliam & ejus Confœderatos, nec non Unitos Belgii Ordines exorti incendium, & ne hujus flamma etiam innoxios vicinos corriperet, Mediationis officium susceperit, neque de optatos successu dubitet, imo etiam non vanam spem habeat, posse per universale Armistitium justæ pacificationi prima parari auspicia, si res in moderno statu servarentur; Cum vero rumor increbuerit, Nos iterum contra eos, quos turbatæ pacis arguimus, Nostra arma expedire, nolle quidem Vestram Serenitatem inculpare remedium, cum unanimi procul dubio Statuum Imperii suffragio conclusum, cum muneris Nostri Imperatorii ratio exigat, Imperio prospicere, &, ne ejus Status impune graventur, præstare, attamen cum id, quod alias maxime foret salutare, Romanum Imperium bello diuturno involvere & vicinorum Regum arma in Imperium attrahere & occasionem Barbaris

baris ad debellandum Christianæ Gentis antemurale præbere possit. Inde Vestram Serenitatem hæc omnia Nobis repræsentare voluisse, nihil ambigendo, quod, quemadmodum huc usque actiones Nostras ad Cynosuram pietatis & Justitiæ direxerimus, ita & tanti momenti negotium adhuc ulterius perpensuri, ac soli ultimæ necessitati reservaturi simus, maxime cum & Nos super Articulo: Et ut eo sincerior &c. in pace Monasteriensi comprehenso (cui etiam, tanquam basi Serenitatis Vestræ cum Gallia initum fœdus nititur) per conventionem cum Plenipotentiario Gallico pactam specialius transegerimus, & insuper certa spes affulgeat, Regem Galliarum suas, quas in Imperio habet, Copias & quæ non nisi nobis & Statibus suspicioni esse possent, sine mora revocaturum, ac justo Serenitatis Vestræ desiderio, Legato Gallico apud Aulam suam commoranti & Guarantiam pacis Westphalicæ enixe requirenti pluribus exposito satisfacturum fore, præsertim cum Rex Galliarum per solennem quandam declarationem hæc Vestræ Serenitati sit stipulatus, & hoc idem in Imperio divulgari fecerit, prout de his omnibus ejusdem Consiliarius Status Bremensis Esaias Puffendorff Nos certiores reddet, cui nos fidem adhibere & memoratas literas eo animo, quo in nos & publicum emolumentum sua Serenitas fertur, profectas in meliorem partem interpretari velimus &c. Ad quæ singula Serenitati Vestræ reponimus, quod quemadmodum ab ejus optima mente ad restaurandam pacem securam, justam & universalem nihil ambigimus, ita sane Nos ad hanc in Imperio Romano conser-

vandam omnem operam magna cura & sollicitudine impenderimus: Cujus sane memorata conventio inter Nos & Regem Galliarum prima Novembris Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo primo inita, evidens est argumentum: Nam quantumvis dicti articuli tenorem, Et ut eo sincerior &c. eo modo, quo hunc Gallia interpretatur, nunquam intellexerimus, nec in ejusmodi explicationem Nos cum Ordinibus Imperii consenserimus, nihilominus ex solo pacis amore nos in allegata conventione obstrinximus, si Galliarum Rex pacem Monasteriensem & Aquisgranensem observaverit, & extra fines & Imperii Circulos terras aut feuda, bellum prætactis Ordinibus intulerit, Nos in eum casum nullum contra Galliam cum his fœdus conclusuros, ita tamen, ut semper Nobis sit integrum pro conservatione pacis Westphalicæ & Provinciarum Nostrarum hæreditariarum cum quibuslibet fœdera pangere, nec non Guarantigiam pacis Olivensis & Clivensis præstare, quæ, cum in expressam stipulationem fuerint inter Nos & Regem Galliarum deducta Serenitati Vestræ, & omnibus rem æqua lance expendentibus discernendum relinquimus, an licuerit memorato Regi contra clarissimum dictæ conventionis, nec non pacis Monasteriensis & Constitutionum Imperii tenorem, ingentem exercitum sine Nostro & Statuum consensu in Imperium expedire, & ex hujus feudis & ditionibus Hollandos bello impetere, Urbes & Castella nullo Hollandico Milite infessa occupare, ea huc usque detinere, pro lubitu destruere vel munire, hospitationes cum summo multorum Statuum dispendio designare,

Colo-

Coloniensem Electorem & Episcopum Monasteriensem, quantumvis uniti Belgii Ordines pro Consortibus pacis Osnabruggensis denominati fuerint, in societatem belli offensivi nulli Statui Imperii, imo nec Nobis, nisi consensus & suffragium Ordinum accesserit, permissi attrahere, pontem Argentoratensem comburere, ejusque reparationem in spretum conclusi in Ratisbonensibus Comitiis facti, prohibere, & plura alia hostilia in Terris & territorio Imperii perpetrare. Sane, cum, ut Serenitas Vestra ipsamet admittit, Imperatorii Nostri muneris ratio exigat, providere, ne imperium detrimenti quid capiat, nullus æquus arbiter improbare potuisset, si eousq; arma Nostra ante annum in Imperium expedita itidem retinuissemus, donec Nobis memoratarum contraventionum causa, debita satisfactio obtigisset: verum tanto pacis & concordiæ studio afficiebamur, ut postquam maximam restaurandæ tranquillitatis spem in mediatione Vestræ Serenitatis posuerimus, & etiam Rex Galliæ se Copias suas ex Imperio retractaturum post transactionem cum Electore Brandenburgensi, si idem & nos fecerimus, vulgaverit, Nos primi Legiones Nostras ex Imperio revocaverimus, & hisce Provincias Nostras contra proprii Status rationes oneraverimus, non tam Nostrum, quam universum Imperii emolumentum, considerantes: tantum vero abfuit, ut dictus Galliarum Rex memoratæ declarationi steterit, ut potius deinde majori milite Germaniam post revocatas Copias Nostras inundaverit, tam Nobis, quam illis, qui a partibus Nostris steterunt, bellum minitatus fuerit, Friedber-

gam & arcem Imperialem, Nostris militibus per vim ad deditionem coactis & etiam Selingstadium & Aschaffenburgum occupaverit, præsertim Electoris Trevirensis ditiones ferro & igne, priusquam Nos Copias Nostras in Imperium denuo expedivimus, deplorandum in modum, licet hic nullo fœdere, aut pacto Hollandis sit devinctus, & Regis Galliarum, quantum obligatio, qua Nobis, & Imperio tenetur, admittebat, extiterit observantissimus, nullam aliam ob causam, quam quod inexpugnabili constantia fidem sanctissimo Juramento Nobis, & imperio obligatam violare noluerit, devastaverit, imo & ipsam Archiepiscopatus Metropolim, licet Gallicus Plenipotentiarius Gravellus paulo ante in publicis Ratisbonensibus Comitiis hanc vastationem per Chiliarchas Gallicos sine Regis mandato peractam, fucose affirmaverit, per vim expugnaverit, prætexendo, quod dictus Elector Hollandis fœdere sit illigatus, & quod Hispani prætactam Metropolim sui juris facere voluerit; cum vero nec unum nec alterum ullo nitatur fundamento, Nos rebus ita stantibus & cum perniciem & excidium fidelibus Imperii Statibus parari, & omnem tempestatem Nobis ipsis illico nisi tanto periculo obviam iremus incumbere, bellumq; ex bello seri viderimus, vel inviti ob tam justas & inexsuperabiles causas Copias Nostras denuo in Imperium expedire & vim totis illatam viribus repellere, adacti sumus, nihil dubitantes, quod si hæc Serenitas Vestra, & quanta interea hostilia contra Nos & universum Imperium & singulariter contra decem unitas Alsatiæ Civitates loco protectionis debitæ, mœnibus, propugnaculis

culis, tormentis & armis exutas, & ad extremas incitas redactas in ludibrium Arbitrii & compromissi, cujus in partem etiam Serenitas Vestra assumta fuit, Ratisbonæ pendentis parata sint, perpenderit, quin eadem arbitra, & Judice, singula ad quæ Nos nostræ & Imperii securitatis & defensionis omni jure permissa ratio impulit; facile sint approbanda, cum in hoc rerum curriculo nullum plane aliud remedium tanto malo & invasioni retundendæ adæquatum occurrerit, nec nos ad defendendum Imperium, aut nostras Provincias novo Imperii Statuum consensu indigeamus, potius vero ex Imperatorio nostro munere hoc Juris habeamus, ut imperium contra aggressores omni modo tueamur: Unde & sæpe memoratus Galliarum Rex Nos fœderis, quod cum Generalibus Belgii fœderati Ordinibus ante annum circiter pepigimus, eo minus arguere poterit, cum hujus tenor nihil aliud ostendat, quam Nos ad manutentionem pacificationis Westphalicæ, Clivensis & Aquisgranensis cum Electore Brandenburgico, & nominatis Belgii Ordinibus convenisse: In quo sane adeo contra tabulas pacis Monasteriensis, omni statui Imperii fœderum facultatem pro defensione sua certo modo & lege permittentis, nihil commisimus, ut potius Rex Galliarum hoc ipsum in antecessum, vi prætactæ conventionis 1. Novembris 1671. conclusæ verbis disertis approbaverit & non duntaxat, ut Guarantigiam Pacis Aquisgranensis & Clivensis præstare, sed & insuper cum quibuslibet fœdera pro conservatione dictæ pacis Westphalicæ, Regnorum itidem & Provinciarum

mus, eam vero eo minus promovere potuerimus, cum Mediatores, Electores scilicet Moguntinum, Bavarum & Ducem Brunsuicensem-Zellensem pro componendis cum Imperio controversiis hucusque Rex Galliæ non admiserit, atque adeo omnis Compositionis & Tractatus viam præcluserit: quam, si Serenitas Vestra officiorum suorum interpositione aperire, & admissionem dictorum Mediatorum evincere potuerit, Rem Nobis sane gratissimam fecerit, qui interim Plenipotentiariis Nostris Coloniæ existentibus denuo commisimus & demandavimus, ut dictam pacem & Media, per quæ obtineri potest, omni studio & conatu promoveant; prout hæc & alia plura Serenitati Vestræ Illustris, Noster Consiliarius, Camerarius, & Vice-Cancellarius in Regno Bohemiæ, fidelis Nobis dilectus, Uratislaus Comes de Sternberg, Dominus in Zasmuck, Molotiz & Hostiz, cui plenam fidem adhiberi volumus, nomine nostro exponet, quæ etiam suo Residenti, dicto de Pufendorff, insinuari curavimus, nihil ambigentes, quod sua Serenitas Justitiam armorum nostrorum clare agnitura, & non duntaxat, nullam Guarantiam Pacis Monasteriensis Regi Galliæ promissura, ut potius hanc Nobis & Imperio, vi assecurationis in pacificatione Westphalica conventæ, sit præstitura. Cui etiam annos plurimos & prosperos rerum successus exoptamus, Nostrum fraternum affectum in omne tempus confirmantes. Datum in Civitate Nostra Græcii die 3. Octobris, Anno millesimo sexcentesimo, septuagesimo tertio, Regnorum

rum Nostrorum, Romani decimo sexto, Hungarici decimo nono, Bohemici vero decimo octavo.

Serenitatis Vestræ

*Bonus Frater & Consanguineus*

LEOPOLDUS.

## DLXXXVII.

*Litera* LEGATORUM SUECICORUM, *Mediatorum vices sustinentium, ad* PLENIPOTENTIARIOS BELGICOS, *quibus ipsis postulata Regis Magnæ Britanniæ recensent,* 1673.

Excellentissimi Domini.

CUm ultimis currentis, ad nos datis literis Eminentiæ Vestræ de Regis, ejusq; Confœderatorum prætensionibus, e quibus pax cudi posset, informari desiderarint; significamus nos unice desiderasse (remissis jam plurimum per amborum Regum Legatos prætensionibus) ut Eminentiæ Vestræ plura ultro adversæ parti offerrent, oblata etiam majoris moderationis ansa parti contrariæ instandi; verum, cum instantiis a nobis sæpe iteratis, statuta Dominorum Statuum mandata opposuerint, ultroque institerint, ut de prætensionibus amborum Regum subdelegatorum informarentur, ideo luculentius ea, quæ nobis innotescunt, effari volumus. Jam Vestras Eminentias edocuimus, Dominos Angliæ Legatos, sese nobis 20. mensis præterlapsi, quo ad totalem immunitatis locorum

DLXXXVI.

*Responsoriæ LEOPOLDI, Romanorum Imperatoris, ad proxime præcedentes CAROLI XI. Suecorum Regis literas, quibus se extra omnem præsentis mali culpam, Regem Galliarum vero omnium malorum causam & autorem esse clare demonstrat, 1673.*

Serenissime & Potentissime Princeps, Consanguine & Frater Charissime.

QUas ad Nos Serenitas Vestra Gothenburgi 7. præteriti Anni Mensis Augusti dederat, eas primum 24. subsecuti Mensis Septembris recepimus literas, quarum tenor in eo summatim consistit, quod ad extinguendum belli inter Galliam & ejus Confœderatos, nec non Unitos Belgii Ordines exorti incendium, & ne hujus flamma etiam innoxios vicinos corriperet, Mediationis officium susceperit, neque de optatos successu dubitet, imo etiam non vanam spem habeat, posse per universale Armistitium justæ pacificationi prima parari auspicia, si res in moderno statu servarentur; Cum vero rumor increbuerit, Nos iterum contra eos, quos turbatæ pacis arguimus, Nostra arma expedire, nolle quidem Vestram Serenitatem inculpare remedium, cum unanimi procul dubio Statuum Imperii suffragio conclusum, cum muneris Nostri Imperatorii ratio exigat, Imperio prospicere, &, ne ejus Status impune graventur, præstare, attamen cum id, quod alias maxime foret salutare, Romanum Imperium bello diuturno involvere & vicinorum Regum arma in Imperium attrahere & occasionem Bar-

Zz z 2 baris

baris ad debellandum Christianæ Gentis antemurale præbere possit. Inde Vestram Serenitatem hæc omnia Nobis repræsentare voluisse, nihil ambigendo, quod, quemadmodum huc usque actiones Nostras ad Cynosuram pietatis & Justitiæ direxerimus, ita & tanti momenti negotium adhuc ulterius perpensuri, ac soli ultimæ necessitati reservaturi simus, maxime cum & Nos super Articulo: Et ut eo sincerior &c. in pace Monasteriensi comprehenso (cui etiam, tanquam basi Serenitatis Vestræ cum Gallia initum fœdus nititur) per conventionem cum Plenipotentiario Gallico pactam specialius transegerimus, & insuper certa spes affulgeat, Regem Galliarum suas, quas in Imperio habet, Copias & quæ non nisi nobis & Statibus suspicioni esse possent, sine mora revocaturum, ac justo Serenitatis Vestræ desiderio, Legato Gallico apud Aulam suam commoranti & Guarantiam pacis Westphalicæ enixe requirenti pluribus exposito satisfacturum fore, præsertim cum Rex Galliarum per solennem quandam declarationem hæc Vestræ Serenitati sit stipulatus, & hoc idem in Imperio divulgari fecerit, prout de his omnibus ejusdem Consiliarius Status Bremensis Esaias Puffendorff Nos certiores reddet, cui nos fidem adhibere & memoratas literas eo animo, quo in nos & publicum emolumentum sua Serenitas fertur, profectas in meliorem partem interpretari velimus &c. Ad quæ singula Serenitati Vestræ reponimus, quod quemadmodum ab ejus optima mente ad restaurandam pacem securam, justam & universalem nihil ambigimus, ita sane Nos ad hanc in Imperio Romano conser-

vandam omnem operam magna cura & sollicitudine impenderimus: Cujus sane memorata conventio inter Nos & Regem Galliarum prima Novembris Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo primo inita, evidens est argumentum: Nam quantumvis dicti articuli tenorem, Et ut eo sincerior &c. eo modo, quo hunc Gallia interpretatur, nunquam intellexerimus, nec in ejusmodi explicationem Nos cum Ordinibus Imperii consenserimus, nihilominus ex solo pacis amore nos in allegata conventione obstrinximus, si Galliarum Rex pacem Monasteriensem & Aquisgranensem observaverit, & extra fines & Imperii Circulos terras aut feuda, bellum prætactis Ordinibus intulerit, Nos in eum casum nullum contra Galliam cum his fœdus conclusuros, ita tamen, ut semper Nobis sit integrum pro conservatione pacis Westphalicæ & Provinciarum Nostrarum hæreditariarum cum quibuslibet fœdera pangere, nec non Guarantigiam pacis Olivensis & Clivensis præstare, quæ, cum in expressam stipulationem fuerint inter Nos & Regem Galliarum deducta Serenitati Vestræ, & omnibus rem æqua lance expendentibus discernendum relinquimus, an licuerit memorato Regi contra clarissimum dictæ conventionis, nec non pacis Monasteriensis & Constitutionum Imperii tenorem, ingentem exercitum sine Nostro & Statuum consensu in Imperium expedire, & ex hujus feudis & ditionibus Hollandos bello impetere, Urbes & Castella nullo Hollandico Milite infessa occupare, ea huc usque detinere, pro lubitu destruere vel munire, hospitationes cum summo multorum Statuum dispendio designare,

Cole-

Coloniensem Electorem & Episcopum Monasteriensem, quantumvis uniti Belgii Ordines pro Consortibus pacis Osnabruggensis denominati fuerint, in societatem belli offensivi nulli Statui Imperii, imo nec Nobis, nisi consensus & suffragium Ordinum accesserit, permissi attrahere, pontem Argentoratensem comburere, ejusque reparationem in spretum conclusi in Ratisbonensibus Comitiis facti, prohibere, & plura alia hostilia in Terris & territorio Imperii perpetrare. Sane, cum, ut Serenitas Vestra ipsamet admittit, Imperatorii Nostri muneris ratio exigat, providere, ne imperium detrimenti quid capiat, nullus æquus arbiter improbare potuisset, si eousq; arma Nostra ante annum in Imperium expedita itidem retinuissemus, donec Nobis memoratarum contraventionum causa, debita satisfactio obtigisset: verum tanto pacis & concordiæ studio afficiebamur, ut postquam maximam restaurandæ tranquillitatis spem in mediatione Vestræ Serenitatis posuerimus, & etiam Rex Galliæ se Copias suas ex Imperio retractaturum post transactionem cum Electore Brandenburgensi, si idem & nos fecerimus, vulgaverit, Nos primi Legiones Nostras ex Imperio revocaverimus, & hisce Provincias Nostras contra proprii Status rationes oneraverimus, non tam Nostrum, quam universum Imperii emolumentum, considerantes: tantum vero abfuit, ut dictus Galliarum Rex memoratæ declarationi steterit, ut potius deinde majori milite Germaniam post revocatas Copias Nostras inundaverit, tam Nobis, quam illis, qui a partibus Nostris steterunt, bellum minitatus fuerit, Friedber-

gam & arcem Imperialem, Nostris militibus per vim ad deditionem coactis & etiam Selingstadium & Aschaffenburgum occupaverit, præsertim Electoris Trevirensis ditiones ferro & igne, priusquam Nos Copias Nostras in Imperium denuo expedivimus, deplorandum in modum, licet hic nullo fœdere, aut pacto Hollandis sit devinctus, & Regis Galliarum, quantum obligatio, qua Nobis, & Imperio tenetur, admittebat, extiterit observantissimus, nullam aliam ob causam, quam quod inexpugnabili constantia fidem sanctissimo Juramento Nobis, & imperio obligatam violare noluerit, devastaverit, imo & ipsam Archiepiscopatus Metropolim, licet Gallicus Plenipotentiarius Gravellus paulo ante in publicis Ratisbonensibus Comitiis hanc vastationem per Chiliarchas Gallicos sine Regis mandato peractam, fucose affirmaverit, per vim expugnaverit, prætexendo, quod dictus Elector Hollandis fœdere sit illigatus, & quod Hispani prætactam Metropolim sui juris facere voluerit; cum vero nec unum nec alterum ullo nitatur fundamento, Nos rebus ita stantibus & cum perniciem & exoidium fidelibus Imperii Statibus parari, & omnem tempestatem Nobis ipsis illico nisi tanto periculo obviam iremus incumbere, bellumq; ex bello seri viderimus, vel inviti ob tam justas & inexsuperabiles causas Copias Nostras denuo in Imperium expedire & vim totis illatam viribus repellere, adacti sumus, nihil dubitantes, quod si hæc Serenitas Vestra, & quanta interea hostilia contra Nos & universum Imperium & singulariter contra decem unitas Alsatiæ Civitates loco protectionis debitæ, mœnibus, propugna-

culis, tormentis & armis exutas, & ad extremas incitas redactas in ludibrium Arbitrii & compromissi, cujus in partem etiam Serenitas Vestra assumta fuit, Ratisbonæ pendentis parata sint, perpenderit, quin eadem arbitra, & Judice, singula ad quæ Nos nostræ & Imperii securitatis & defensionis omni jure permissa ratio impulit, facile sint approbanda, cum in hoc rerum curriculo nullum plane aliud remedium tanto malo & invasioni retundendæ adæquatum occurrerit, nec nos ad defendendum Imperium, aut nostras Provincias novo Imperii Statuum consensu indigeamus, potius vero ex Imperatorio nostro munere hoc Juris habeamus, ut imperium contra aggressores omni modo tueamur: Unde & sæpe memoratus Galliarum Rex Nos fœderis, quod cum Generalibus Belgii fœderati Ordinibus ante annum circiter pepigimus, eo minus arguere poterit, cum hujus tenor nihil aliud ostendat, quam Nos ad manutentionem pacificationis Westphalicæ, Clivensis & Aquisgranensis cum Electore Brandenburgico, & nominatis Belgii Ordinibus convenisse: In quo sane adeo contra tabulas pacis Monasteriensis, omni statui Imperii fœderum facultatem pro defensione sua certo modo & lege permittentis, nihil commisimus, ut potius Rex Galliarum hoc ipsum in antecessum, vi prætactæ conventionis 1. Novembris 1671. conclusæ verbis disertis approbaverit & non duntaxat, ut Guarantigiam Pacis Aquisgranensis & Clivensis præstare, sed & insuper eum quibuslibet fœdera pro conservatione dictæ pacis Westphalicæ, Regnorum itidem & Provinciarum

 nostra-

noſtrarum ſecuritate, & tuitione pangere poſſimus, omnino conſenſerit, nec etiam illæſa pace Monaſterienſi diſſentire potuerit; Quæ, cum Nobis, etiam in eum caſum, ſi Gallia dictæ conventioni de anno 1671. initæ ſtetiſſet, licuiſſent, facile Serenitas Veſtra dijudicabit, quid poſt tot contraventiones, contra tenorem indigitatæ pacis Monaſterienſis & ſæpe nominatæ ſingularis Conventionis ex parte Galliæ ſubſecutas Nobis ſit promiſſum, cum nihil durius a Nobis expoſtulari poſſet, quam ut Galliæ contra conventa pro lubitu agere ſit integrum, Nos vero pactis & pacificationibus, quas illa toties infregit & in dies infringit, niſi ipſa prior in contrarium acta debite reparaverit, ſtare & quævis hoſtilia ſufferre teneamur, quod ſicuti nullus, niſi affectibus ſuis nimis indulgens, affirmaverit, ita & univerſo orbi patet, nullam Nobis, qui noſtris contenti viximus, turbatæ pacis culpam, merito vero Galliarum Regi imputari, qui Nepotem noſtrum amantiſſimum Regem Catholicum poſt mortem parentis gravi bello, non attenta ejus pupillari ætate, afflixit, Lotharingiæ Ducem e ſuis Ditionibus ejecit, & bellum ex bello derivans, arma non ſolum contra Hollandiam, ſed & Germaniam, nova ſemper utpote potentiæ augmenta quærendo, expedivit, neque enim hujus declaratio, de qua Veſtra Serenitas in literis meminit, ita ſe habet, ut per hanc, vel Nobis vel Imperio Romano ulla Securitas tribueretur, aut quid, quod æquitati & Juſtitiæ congruum eſt, peteretur; quæ eo principaliter tendit, ut Colonienſi Electori, & Epiſcopo Monaſterienſi in bello

contra

contra Hollandos inito suscepto pergere liceat, nec non, ut nos non tantum omni cum Hollandis inito fœderi renunciemus, sed nec in futurum ullum aliud cum his concludamus; quæ cum dictæ conventioni Anno 1671. initæ e diametro, imo & Paci Monasteriensi, plane repugnent; utpote quæ non admittit, ut unus aut alter Statuum bello offensivo exteros impetat, sed ad hoc tam Noster quam Ordinum Sacri Romani Imperii consensus requiratur; E contra vero his & multo magis Nobis pro defensione certo modo, uti memoratum, fœdera pangere sit concessum, satis patet, novam a Nobis, qui semper prætactam pacem Monasteriensem exacte observare promisimus, &hoc opere ipso adimplevimus, declarationem, aut obligationem dictæ Conventioni & Pacificationi Monasteriensi contrariam eo minus exigi, aut Nobis Novas leges & conditiones obtrudi potuisse, cum etiam post tot contraventiones a Gallia commissas, vi fœderis cum Hollandis priore Anno Nobiscum initi non ultra, quam, ut dictæ pacificationes, Westphalica scilicet, Clivensis & Aquisgranensis illæsæ & salvæ maneant, astrinximus, nec ullas suppetias in Hollandiam miserimus, vel mittere polliciti fuerimus, quantumvis ex gravissimis & urgentissimis causis, maxime post tot Contraventiones Gallicas, id ipsum facere jus & fas Nobis fuerit: Quæ singula non eo intelligi volumus, quasi Nos pacem cum Rege Galliarum recusemus, cum, uti nunquam, ita ne jam quidem ab amicabili, æquaque compositione abhorreamus, imo hanc, si constans, secura, & universalis haberi potest, vel maxime desideremus,

mus, eam vero eo minus promovere potuerimus, cum Mediatores, Electores scilicet Moguntinum, Bavarum & Ducem Brunsuicensem-Zellensem pro componendis cum Imperio controversiis hucusque Rex Galliæ non admiserit, atque adeo omnis Compositionis & Tractatus viam præcluserit: quam, si Serenitas Vestra officiorum suorum interpositione aperire, & admissionem dictorum Mediatorum evincere potuerit, Rem Nobis sane gratissimam fecerit, qui interim Plenipotentiariis Nostris Coloniæ existentibus denuo commisimus & demandavimus, ut dictam pacem & Media, per quæ obtineri potest, omni studio & conatu promoveant; prout hæc & alia plura Serenitati Vestræ Illustris, Noster Consiliarius, Camerarius, & Vice-Cancellarius in Regno Bohemiæ, fidelis Nobis dilectus, Uratislaus Comes de Sternberg, Dominus in Zasmuck, Molotiz & Hostiz, cui plenam fidem adhiberi volumus, nomine nostro exponet, quæ etiam suo Residenti, dicto de Pufendorff, insinuari curavimus, nihil ambigentes, quod sua Serenitas Justitiam armorum nostrorum clare agnitura, & non duntaxat, nullam Guarantiam Pacis Monasteriensis Regi Galliæ promissura, ut potius hanc Nobis & Imperio, vi assecurationis in pacificatione Westphalica conventæ, sit præstitura. Cui etiam annos plurimos & prosperos rerum successus exoptamus, Nostrum fraternum affectum in omne tempus confirmantes. Datum in Civitate Nostra Græcii die 3. Octobris, Anno millesimo sexcentesimo, septuagesimo tertio, Regnorum

rum Noſtrorum, Romani decimo ſexto, Hungarici decimo nono, Bohemici vero decimo octavo.

Serenitatis Veſtræ

*Bonus Frater & Conſanguineus*

LEOPOLDUS.

## DLXXXVII.

*Litera* LEGATORUM SUECICORUM, *Mediatorum vices ſuſtinentium, ad* PLENIPOTENTIARIOS BELGICOS, *quibus ipſis poſtulata Regis Magnæ Britanniæ recenſent, 1673.*

Excellentisſimi Domini.

CUm ultimis currentis, ad nos datis literis Eminentiæ Veſtræ de Regis, ejusq; Confœderatorum prætenſionibus, e quibus pax cudi poſſet, informari deſiderarint; ſignificamus nos unice deſideraſſe (remiſſis jam plurimum per amborum Regum Legatos prætenſionibus) ut Eminentiæ Veſtræ plura ultro adverſæ parti offerrent, oblata etiam majoris moderationis anſa parti contrariæ inſtandi; verum, cum inſtantiis a nobis ſæpe iteratis, ſtatuta Dominorum Statuum mandata oppoſuerint, ultroque inſtiterint, ut de prætenſionibus amborum Regum ſubdelegatorum informarentur, ideo luculentius ea, quæ nobis innoteſcunt, effari volumus. Jam Veſtras Eminentias edocuimus, Dominos Angliæ Legatos, ſeſe nobis 20. menſis præterlapſi, quo ad totalem immunitatis locorum

rum cessionem, quam petierunt, hac tamen conditione, ut D. D. Status Generales eis sequentia concederent puncta, quæ Regis eorum Superioris & Domini ultimatum esse affirmant; primo jus aplustris Regii sive augustalis veli, quod contenti sint juxta D. D. Statuum General. oblatum talem sensum Articulo 19. Tractatus Bredani Anni 1667. tribuere, & eo modo ejus verba applicare, quo Rex Magnæ Britanniæ voluerit, salva tamen verborum directione, usque dum cum Vestris Eminentiis una formaturi sint articulos; Secundo præterea summa 12. millionum Jacobæorum, decem in Anglia solvendorum, & duorum in Scotia pro piscationis libertate; tertio summa unius millionis librarum Sterlingæ pro belli sumptuum, refusione, quarum ducenta millia proxima Octobris solvenda, & reliquum per solutiones centum mille librarum singulis annis, ad annos octo contractive; quarto restitutio Surinamensis Coloniæ in America; quinto regulatio Commerciorum in Indiis Orientalibus, & littoribus Guineæ. Sexto restitutio Principis Auriaci stabilienda: Sumus sincere

Vestrarum Excellentiarum

*Dat. Colon. Agripp. d. 11. Sept. 1673.*

*Humillimi & Obedientissimi servi*

C. Tott.
P. Sparre.
Ed. Ehrenstein.

DLXXXIIX.

## DLXXXIIX.

*Literæ PLENIPOTENTIARIORUM SUECICORUM, mediatorio officio defungentium, ad PLENIPOTENTIARIOS BELGICOS, quibus ipsis significant, Reges fœderatos paratos esse ad armistitium Generale permittendum, modo ejusdem etiam mentis sint Domini eorum eorundemque fœderati, 1673.*

## Illustrissimi & Excellentissimi D. D. Legati.

NOtum est Excellentiis Vestris, quanta sollicitudine secundum mandata Sacræ Regiæ Majestatis, Regis & Domini Nostri Clementissimi, armistitium generale, & illis, & cæteris partibus belligerantibus, toto hoc tempore, adhibitis omnibus persuadendi rationibus, commendaverimus. Cumque a Sacra Cæsarea Majestate declarationes jam diu habeamus, ejusdem propensæ voluntatis indices, & D. D. Legati Anglici non alienum Regis sui animum pridem significaverint, Dominosque Legatos Gallicos omni conatu aggressi eo etiam perduxerimus, ut hodie & illi, & D. Legati Anglici simul ac eorum fœderatorum nomine declaraverint, nolle Reges & Principales suos nostris rationibus & desideriis mediatoriis repugnare, modo altera pars reciprocis studiis respondeat. Proinde non possumus, quin apprime læti hanc declarationem accipiamus, Vestras Excellentias ejusdem non expectato earum reditu confestim participes reddamus, etiam atque etiam rogantes, velint & ipsæ nos

voto-

votorum compotes efficere, suosque respective fœderatos in eandem perducere sententiam, ne rediturae pacis tam felix pereat auspicium. Datum Coloniæ Agrippinæ, die 6. Novembr. 1673.

Vestris Excellentiis

*addictissimi*

Claudius Tott.
Petrus Sparre.
Eduard. Ehrenstein.

## DLXXXIX.

*Literæ, quibus JOHANNES GEORGIUS II. Saxoniæ Elector, Johannem Augustum a Spohr, COSMO III. Magno Etruriæ Duci, sedulo commendat, 1673.*

P. P.

EA omnino sanctioris illius, quæ cum Dilectione Vestra Nobis intercedit, necessitudinis memoria industria colimus, ut qui ex Nostratibus visendas Italiæ oras adeunt, viam ad inclytam Aulam Vestram iisdem imprimis munire non dubitemus. Cum igitur præsentium exhibitor dilectus Nobis & fidelis Johannes Augustus a Spohr, Aulæ Nostræ hactenus juxta & industrius virtutis equestris assecla susceptæ hujus uberioris rerum causa peregrinationis suæ consilium decenter Nobis probatum iverit, Nos equidem habita parentis ejus, Viri Nobilis, Consiliarii, Camerarii & Curiæ Nostræ, quæ Wittebergæ est, Præsidis, nec non Provinciæ Electo-

ctoralis ejusdemque Præfecturarum Wittebergensis & Belzigensis Capitanei, Johannis Christophori a Spohr, præstitæque Nobis jam diu fidelis ipsius operæ ratione, condignis filii æmuli conatibus deesse noluimus. Ac proinde a Dilectione Vestra amanter atque officiose contendimus, ut qua alias Nostrates prosequi solet gratia & benignitate, præfatum a Spohr, ad avita natalium decora enitentem lubenter complecti velit, Nostraque causa eum adeo commendatum habere, quo singularem commendationis Nostræ fructum undequaque consequi valeat. Quam indubiam Dilectionis Vestræ gratiam ipse devotis obsequiis agnoscet & Nos diuturnam Eidem incolumitatem cum sincera studiosi animi Nostri testificatione a Deo serio precamur. Dabantur in Electorali Nostra Dresda, Anno salutis 1673.

## DXC.

*Literæ, quibus CAROLUS II. Magnæ Britanniæ Rex, JOHANNI GEORGIO II. Saxonum Electori, prosperum felicemque gratulatur annum, 167¾.*

P. P.

Occasionem, quam temporis solennitas & Celsitudinis Vestræ Electoralis literæ nono die Decembris novissime elapsi scriptæ, Nobis in manus offerunt, libenter accipimus, non solum quod vota Celsitudinis Vestræ Electoralis pro Nostra salute & currentis anni prosperitate nuncupata, tanquam verissima affectus & amicitiæ Vestræ testi-

monia, habeamus, ſed etiam quod commoda Nobis opportunitas hinc data ſit eadem ex parte Noſtra Celſitudini Veſtræ Electorali cumulate reddendi: Quam de cætero una cum Domo ſua Electorali Divini Numinis tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Palatio Noſtro de Whitehall, die 16to Januarii, 167¾.

## DXCI.

*Litera* ELEONORAE, *Reginæ Poloniæ, ad* CAROLUM II. *Hiſpaniarum Regem, quibus ipſi Michaelem, Polonorum Regem, maritum ſuum deſideratiſſimum, vita functum eſſe, aureique velleris torquem, Andrea Zaluskio latore remitti, nuntiat, 1674.*

TAmetſi jam ipſa fama pridem comperta ſit orbitas noſtra Majeſtati Veſtræ, poſt exemtum rebus humanis, anno proxime elapſo 1673. die 10. Novembris Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem & Dominum Michaelem, Regem Poloniæ maritum noſtrum deſideratiſſimum, tamen conveniens duximus, triſte iſtud mortalitatis Regiæ, ſimulque viduitatis noſtræ nuncium, per expreſſam perſonam Majeſtati Veſtræ decenter intimare, minime dubitantes, Majeſtatem Veſtram, pro arctiori ſanguinis nexu, & benevoli erga nos animi ſtudio, noſtro præſenti ſtatui condolituram ac devincti affectus documenta nobis exhibituram, non tardandum etiam putavimus, quod ultimis tabulis Sereniſſimus Divæ memoriæ maritus noſter præſcripſit, ut torquem aurei velleris decenti modo remittere-

re-

remus. Quo officio, nomine & mandato noſtro, fungetur Venerabilis, Abbas Andreas Zaluski, Canonicus Cracovienſis, cui facilem aditum & plenam fidem, a Majeſtate Veſtra concedi optantes de reliquo optimam valetudinem & proſperrimos ſucceſſus Majeſtati Veſtræ a Deo animitus vovemus. Dab. Varſ. 3. Februarii, 1674.

Nota. *Ejusdem argumenti literæ etiam ad Reginam Hiſpaniæ a Regina Poloniæ, die 6. Febr. datæ ſunt.*

## DXCII.

*Literæ* PROCERUM REGNI POLONIAE, *ad* COMITEM DE PINIARANDA, *Aulicum a Rege Hiſpaniarum inter chariſſimos habitum, a quo, ut qua valeret apud Regem ſuum gratia, Legati Polonici poſtulatis ſedulo aſſiſteret, obnixe contendunt, 1674.*

PRæclari nominis Excellentiæ Veſtræ Noſtris etiam in Regionibus, celebris fama & ſumma in Aula Catholica autoritas incitamento nobis eſt, ut ei, quem pro ſubſidio pecuniario ad bellum Turcicum implorando, Senatus & Equeſtris Ordinis Reipublicæ Polonæ nomine ad Sacram Majeſtatem Regiam Catholicam, ablegamus, ſingularem favorem & validam promotionem Excellentiæ Veſtræ, pro adjuvanda non Regni tantum Poloniæ, ſed totius Chriſtianitatis, contra immaniſſimum hoſtem cauſa, advocare non omittamus. Admittet ſolita humanitate Excellentia Veſtra Per-

illustrem Abbatem Andream Zaluski, Canonicum Cracoviensem Ablegatum Polonicum, atque tam in negotio memorati subsidii, quam ratione summarum Neapolitanarum, ad Rempubl. Poloniæ spectantium, quæ a regimine Excellentiæ Vestræ præcipue dependent, propensum animum suum commodabit. Quod uti Nobis certo pollicemur, ita vicissim paratissima studia nostra & omnem promptitudinem Excellentiæ Vestræ devovemus, ac diuturnam incolumitatem cum omni prosperitate a Deo precamur. Varsaviæ, 5. Februarii, Anno 1664.

## DXCIII.

*Litera JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad COSMUM III. Magnum Etruriæ Ducem, pro Francisco Cagniacci commendatitiæ, 1674.*

P. P.

EXponi Nobis submisse fecit harum exhibitor Dilectionis Vestræ subditus, Francesco Cagniacci, se desiderio comprobandæ Devotionis suæ, munus quoddam conditioni suæ conveniens obeundum in Dogana seu telonio Vestro expetiturum esse, atque ut interventu Nostro aditum ipsi ad speratam spartam redderemus faciliorem, precibus, quibus par est, hoc facilius a Nobis impetravit, quo proniores sumus ad promovenda Dilectionis Vestræ indigenarum, maxime vero eorum commoda, qui reliquos virtutis gloria antecellunt. Pro antiquo igitur mutuæ Nostræ Necessitudinis stu-

ſtudio Dilectioni Veſtræ dictum Cagniacci omni meliori modo commendatum volumus, obnixe rogantes, ut civis res rationesque hac in parte eo omnino loco habere velit, ut quam expetit idoneam functionem, gratiæ Veſtræ Archam ex voto conſequatur, Noſtramque inde commendationem haud parum ſibi profuiſſe gloriari olim queat. Qua omnino fiducia freti Dilectioni Veſtræ perennem Valetudinis & rerum incolumitatem etiam atque etiam cœlitus precamur. Dabantur in Electorali Noſtra Dresda, die 24. April. 1674.

## DXCIV.

*Literæ JOHANNIS III. Regis Poloniæ, ad CLEMENTEM PAPAM X. cui ſe in Regem Poloniæ electum eſſe refert, 1674.*

POſt oſcula pedum Sanctitatis Veſtræ, meique ac Regni & Dominiorum meorum filialem commendationem. Præter ſpem omnino meam & conſilia humana accidit; ut viduato throno Regio Senatus, populusque Polonus in me ſtudia & ſuffragia ſua ultro verterit, meque in campo electorali, more patrio, liberis & concordibus vocibus Regem ſuum duxerit ac elegerit: Non ignotum habeo, quam ſollicita & vere paterna cura Sanctitas Veſtra erga Regnum hoc Orthodoxum afficiatur; Cujus Pontificiæ bonitati non ſatis viſum, malis noſtris illachrymari, & votis duntaxat calamitates Noſtras proſequi, ſed anguſtias etiam noſtras, benefica erigere dextera, clementia Sanctitatis Veſtræ dignata eſt. Ego, quam procul ambitu

thronum hodierna die conſcendi, tam libenter & meritisſimo ſolius divinæ voluntatis nutui, quæ tot populorum animos & ora erga me indigenam diſpoſuit, Regiam fortunam meam adſcriptum eo. Atque dum humeros, licet impares, tantæ moli ſuppono, Sanctitatem Veſtram Chriſtiani & Poloni Orbis amantiſſimum Patrem, demiſſo cultu & filiali obſequio imprimis veneror. Benedicat mihi anima tua, ut Polonæ Aquilæ vergens jam Senectus, in lætam iterum juventutem meis auſpiciis renovetur, Religio Catholica per Regnum hoc lateque diffuſas Provincias proferatur, acerrimi tot hoſtes, cum quibus pro Deo & Patria dimicandum erit, dextera excelſi frangantur. Cæterum felix ac diuturnum rei Chriſtianæ Imperium Sanctitati Veſtræ vovendo, Pontificiam ejusdem Benedictionem humillime exoro. Dabantur Varſaviæ, die 21. Maji, Anno 1674.

Sanctitatis Veſtræ

*Obedientisſimus Filius*

Joannes, Rex Poloniæ.

## DXCV.

*Litera JOANNIS III. Poloniæ Regis, ad LEOPOLDUM, Romanorum Imperatorem, quibus ipſi, ſe ad Regiam in Polonia dignitatem communi gentis applauſu evectum eſſe nunciat, 1674.*

P. P.

Sceptra & coronas cælitus dari, ſi deeſſent alia, ſateremur experimento. Non volentis neque cur-

currentis ſtudium, ſed Dei miſerentis in nobis veneramur opera, dum hiſce diebus liberis ac concordibus Populorum noſtrorum ſuffragiis ad Regiam evehimur dignitatem. Cujus rei nuntium tanto libentius Majeſtati Veſtræ præſentibus mittimus literis, quanto certius Nobis pollicemur de Regio ſuo affectu, Electionem noſtram pergratam eidem fore, utpote eam, quæ primarios conatus noſtros ad illud præcipue diademate regio adſtringere videtur, ut Patriam hanc tot malis quaſſatam, periculoſis belli Turcici ſubducamus procellis, tamque gratam vicinis reddamus Principibus, ut poſt tot nubila tranquillitate publica & finitimorum refloreſcat amicitiis. Quod ut ex animo vovemus, ita ea de Majeſtate Veſtra nobis promittimus, quæ a vicinitate Polona reciproce Majeſtas Veſtra & a Regio noſtro præſtolatur affectu. Cui feliciſſimum interea ſuorum populorum Regimen & longævam vovemus felicitatem. Dabantur die 21. Maji, Anno 1674.

DXCVI.

*Literæ ANDREAE OLSZOVII, Epiſcopi Culmenſis, ad CARDINALEM URSINUM, cui Joannem Sobieskium in Regem Poloniæ electum, ſe vero Primatiali in Polonia honori deſtinatum eſſe refert, 1674.*

P. P.

HAbemus jam Regem Joannem tertium ex ſupremo Regni Mareſchalco & Generaliſſimo Exercituum Duce ob heroicas virtutes, prudentiam, fortitudinem, felicitatem, ob incomparabiles ex

barbaris victorias, admirando Senatus Populique Poloni consensu, die hodierna Regium in thronum evectum. Certe possum dicere, non surrexit major inter Polonos tam inclyto viro, cujus procul dubio autoritas, quam formidant amantque Turcæ, Scythæ, Daci, Cosaci, Polonam restituet rem. Ego nonnihil operatus sum, quod me pridem declaraverim Mucianum, si ille Vespasianus fieri non recusaret. Electio hæc inopinata licet, sed matura & divinitus plane peracta fuit, quæ non respondebit tantum, sed vota & expectationem nostram atque Christiani Orbis superabit. Pluribus me diffundere non possum, multis obrutus unum adjicio, me ad vacantem Archiepiscopatum Gnesnensem & Primatialem Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ dignitatem destinari. Spero non mihi defuturum Eminentiæ vestræ benignum Patrocinium. Cujus me gratiæ reverenter & devotissime commendo. Dabantur Varsaviæ die 21. Maji, Anno 1674.

## DXCVII.

*Literæ JOANNIS III. Poloniæ Regis, ad CAROLUM XI. Suecorum Regem, quibus ipsi sibi concordi populi Sarmatici suffragio fasces Poloniæ concreditos esse significat, 1674.*

SI privatæ sortis hominum prospera & adversa communia existimantur, quanto magis Regum & Principum lætiorem animi merentur, aut nanciscuntur sensum. Sane non dubitamus, benevolo & fraterno Serenitatis Vestræ pectori publicam orbis Poloni concordiam gratam evenisse. Quod

Quod tametsi fama jam vulgavit, nihilominus denuntiandum Serenitati Vestræ duximus; Nos die 22. Maji non præcipiti populi favore, verum in tertium diem protractis & libratis suffragiis, ac unanimibus Electoris Populi vocibus, præter spem omnino & vota nostra Thronum Regni capessivisse. Capitulationem cum Ordinibus initam 5. Junii in Basilica Varsaviensi recepto Diplomate Electionis solenni firmavimus juramento. Tam igitur bono omine regimen hoc inimus, inter primarias reponimus curas Serenitati Vestræ constantis & propensi animi, optimi studii, fraternæ mutuæque benevolentiæ, & bonæ correspondentiæ contestationem. Persuasum sibi habeat Serenitas Vestra, Nos omnem daturos operam, ut bonæ viciniæ & amicitiæ necessitudo a nobis cum Serenitate Vestra mutuis corroboretur officiis, augeatur & propagetur. Interim longævam incolumitatem Eidem a Deo Opt. Max. animitus precamur. Dabantur Varsaviæ die 7. Junii, Anno 1674.

Nota: *Paris argumenti & tenoris litera ad Hispania, Anglia Daniaque Reges scripta quoque fuere.*

## DXCVIII.

*Litera JOHANNIS III. Polonia Regis, ad MAHUMETUM IV. Turcarum Imperatorem, cui enarrata impositi sibi regii diadematis fortuna, restaurandæ bonæ vicinitatis opportunitatem, missumque ideo Internuntium suum, amice commendat, 1674.*

P. P.

POsteaquam Divina favente clementia, concordibus Procerum, Senatorum & numerosissimæ Nobilitatis Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ & annexarum Provinciarum suffragiis & liberis vocibus ad splendidissimum Regium Thronum evecti & sublimati sumus, inter Regias nostras curas ducimus, ut juxta leges Polonicas, pacta, fœdera & amicitiam cum omnibus vicinis principibus & Regnis innovemus, & confirmemus. Non excidit nobis memoria, quam arctis & vetustis fœderibus Sereniss. Porta Ottomannica cum Inclyto Poloniarum Regno devincta fuerit, quæ regnante Prædecessore nostro Sereniss. MICHAELE Rege interrupta esse, nemo rectus & prudens approbat.

Cum vero nunc per Dei gratiam, auspiciis & Imperio Nostro gubernare Rempubl. Polonam cœperimus, statim nobis venit in mentem, ut Serenitatem Vestram officio humanitatis, & sinceræ propensionis contestatione præveniremus. Misimus itaque Ablegatum nostrum, Nobis fideliter dilectum Generosum Karwowski, Pincernam Podoliensem, Aulicum nostrum, ut de felici electione nostra in Regem Poloniæ Serenitatem Vestram certiorem redderet, ac nostram sinceræ amicitiæ bonæque Vicinitatis restituendæ optimam intentionem repræsentaret. Minime dubitamus, Seren. Vestram hanc studii & benevolentiæ tesseram grate accepturam. Quicquid vero oretenus idem Ablegatus noster exponet, eidem in omnibus fidem exhiberi, ac nulla mora ad Nos expediri magnopere

pere cupimus. Quod reliquum est, Serenitati Vestræ bonam & longævam Valetudinem apprecamur. Dabantur Varsaviæ die 7. Junii Anno 1674.

## DXCIX.

*Litera JOANNIS III. Regis Poloniarum, ad FRIDERICUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum, quibus ipsi, se unanimi Nationis Polonæ applausu in solium Sarmaticum exaltatum esse nuntiat, 1674.*

P. P.

SCeptra & coronas cœlitus dari, si alia desint, nostro argumento orbis agnoscit. Non enim humanitus accidit, ut populorum tot suffragia, & voces nobis minime ambientibus, ac nec opinantibus, non subito impetu & tumultuario favore, sed matura & in tertium diem protracta omnium Ordinum Regni deliberatione in nostram ad thronum Regium evectionem conspirarent. Non differimus post juramentum die 5. Junii super Pacta conventa seu capitulationem, in Basilica Varsaviensi, solenni ritu præstitum, ejus felicis electionis & inaugurationis nostræ nuntium ferre Serenitati Vestræ. Id enim fœderatæ amicitiæ, bonæ vicinitati, aliisque vetustis & recentibus, inter Reges Regnumque Poloniæ ac Seren. Vestram necessitudinum, & mutuorum officiorum vinculis, nostræ insuper singulari erga eandem propensioni & ineundæ ac conservandæ optimæ correspondentiæ maxime conveniens judicamus. Prolixius deman-

mandatum sibi a Nobis id negotium coram exponet Generosus Skoraszewski Vexillifer Palatinatus Posnaniensis, Colonellus & Ablegatus Noster extraordinarius, cui pronas aures & plenam fidem a Serenitate Vestra adhiberi cupientes, de reliquo longævam valetudinem & prosperos rerum successus Serenitati Vestræ apprecamur. Dabantur d. 7. Junii Anno 1674.

## DC.

*Litera JOHANNIS III. Poloniæ Regis, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, quibus ipsum de sua ad fastigium Regium evectione certiorem reddit, 1674.*

NOn ingratum, ita sperare licet, Majestas Vestra excepit Nuntium de nostra ad thronum regium evectione. Sceptra & Coronas cœlitus dari, quis jam vel nostro argumento dubitare audeat, cum nos nihil ultra civilem modum spirantes aut sperantes ad Regalis dignitatis fastigium pervenerimus. Dei haud dubie nutus & Voluntas hæc operata est, & solius Domini assumptio nostra: Non enim impetus aliquis aut inconsultus favor, verum in triduum protracta, matureque librata Electoris populi suffragia sceptrum hoc nobis dederunt. Peracto feliciter Electionis negotio, in Campo Varsaviensi die 21. Maji, tandem tradito nobis ab Ordinibus Regni diplomate die 5. Junii Pactorum conventorum, seu Capitulationis articulos ad sacras aras solenni juramento firmavimus, ac regimen capessere incœpimus. Quod licet jam satis com-

compertum, tamen etiam per Ablegatum nostrum Venerabilem Andream Zaluski Abbatem, Cracoviensem Canonicum, decenter Majestati Vestræ repræsentandum ducimus, quo & nostram addictissimam Voluntatem eidem contestemur, & mutuam propensioris erga Nos animi, amicitiæ & studiorum Majestatis Vestræ vicem provocemus, de cujus erga nos sincera propensione, uti minime ambigimus, ita nos omni occasione paria repositos pollicentes, quod superest, Majestati Vestræ optimam valetudinem & prosperrimos rerum successus animitus a Deo precamur.

Vestræ Majestatis

*Dabantur 1674. d. 15. Junii.*

*Bonus Frater*

JOANNES REX.

DCL.

*Litera JOHANNIS III. Poloniæ Regis, ad CARDINALEM ALTIERIUM, a quo sollicite efflagitat, velit apud summum Pontificem & reliquos Italiæ Principes Optimates diligenter instare, ut Poloniam largiori pecuniarum subsidio sublevando clara tum tenerrimi paterni affectus, tum infucata pietatis specimina edere haud graventur, 1674.*

P. P.

MInime Nobis grave est repetitis epistolis Nostris Illustritatis Vestræ identidem pulsare animum.

mum, pro obtinendis a sua Sanctitate ulterioribus, ac præsertim decimarum Italicarum, quam citissimis subsidiis, cum hostes Christiani Nominis Turcæ & Tartari, jam in Provincias Poloniæ & Volhyniæ excurrentes, non pulsentur tantum, sed ferro & flamma grassentur, ingentem Christianæ plebis multitudinem in servitutem abducant, fortaliciis aliquot, per admotas tormentorum machinas deditione occupatis hostiliter ulterius progrediantur, ac ipsemet Tartarorum Chamus cum Ottomannico Imperatore & Vezyro conjunctus proxime imminere afferatur. Delegavimus iterum generosum Christophorum Mazini, Equitem Polonum, intimæ Cameræ Regiæ Secretarium, ut Romam quamprimum redux pro augendis pecuniariis subsidiis, majori, quantum fieri potest, conatu instet, & decenter rebus Poloniæ afflictissimis tutelam a benignitate Pontificia, ac pacatissima urbe & Italia imploret. Fieri tamen potest, ut ille forte venire Romam retardet. Eapropter amanter compellamus Illustritatem Vestram, velit calamitosissimi Regni Nostri statum, vivido officio Sanctitati Suæ repræsentare, velit vanam & inimicam evellere persuasionem, quasi Pax a Nobis cum Turcis agitetur, eo consilio, ut contra vicinum principem armorum Ottomanni omnis furor (quod ab omni veritate, honestate & pietate Christiana alienum est) divertatur, velit prospicere, ne derelicti a Christianis Principibus in hac egestate Nostra, desperatione ultima ad aliqua indecora transactionis media adigamur. Non deficit

ficit Nobis animus & vires, si exercitus Noster, numeratis prompte stipendiis sublevetur. Certum est ardere in hostem generosa pectora Polonorum, Nobisque, qui in civili sorte nonnihil prospere gessimus, nunc in Regia fortuna crescere magnanimum impetum, ut insigni bellico facinore primitias Regni Nostri exornemus, famamque, ac terrorem nominis Nostri in hostem proferamus. Ergo accingimus jam Nos (quod Deus Dominus Exercituum secundare dignetur) itineri bellico, in Russiam, unde sine experimento armorum redire minime licebit. Interest Orbi Catholico non otiose eventum belli spectare, sed opes suas pro communi causa sociare & opportune obviare, ne per stragem & ruinam Poloniæ, ferocissimus hostis ad excidium reliqui Orbis Christiani invalescat. Compendium desiderii Nostri est, ut Illustritas Vestra non tantum suam Sanctitatem, sed & totum collegium Cardinalium & opulentissimos Italiæ Principes ad ferenda Nobis auxilia permoveat, atque Decimarum promissum in effectum anticipare quam primum deduci, autoritate sua procuret. Quod summo conatu ab Illustritate Vestra contendentes eidem optimam valetudinem & prospera quævis a Deo precamur. Dabantur Varsaviæ die 20. Junii, Anno 1674.

## DCII.

*Litera JOHANNIS III. Regis Poloniæ ad FRIDERICUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum, a quo, ut copias auxiliares sibi promissas hoste jam in confiniis Poloniæ hærente confestim*

*stim e Borussia in Poloniam educi juberet, sibique adhuc aliquot peditum millia in auxilium submitteret, sollicite contendit, 1674.*

P. P.

QUam gravi & internecino bello Turcico Regnum nostrum implicatum sit, optime constat Serenitati Vestræ, irritatus enim magis Victoria Chocimensi, quam debellatus hostis, collectis undique vastissimi sui imperii viribus, formidoloso apparatu contra Nos & Regnum nostrum imminet, & trajecto per Danubium ponte jam confiniis Poloniæ appropinquare crebris nuntiis refertur. Non differimus vigore pactorum Bidgostiensium & nuperrimæ per Ablegatum Polonicum Tractationis copias auxiliares Serenitatis Vestræ in subsidium nostrum evocare, atque eo fine scribimus, ad illustrissimum Principem, Gubernatorem Ducalis Prussiæ, cui datam esse a Serenitate Vestra plenam potestatem expediendi prætacti militis intelleximus, ut quam primum ad confinia Palatinatus Masoviæ sistatur, quo loco Commissarius noster ad recipiendas & reducendas Serenitatis Vestræ copias auxiliares, paratus expectabit & officio convenienter fungetur, ac licet in primordiis Regni nostri minime optaremus onerare Seren. Vestram desideriis nostris, tamen vincente & cogente necessitate & nonnulla spe, a Legato Seren. Vestræ Nobis injecta freti, posse numerosiorem militem, ab ejusdem erga nos propensione impetrari, non gravate feret Serenitas Vestra, quod ab eadem peramanter contendimus, ut aliquot millibus peditum Nobis

Nobis insuper auxiliari velit, quod negotium decenter tractandum generoso Uladislao Skoraszewski, Vexillifero Palatinatus Posnaniensis Colonello & Ablegato nostro extraordinario commisimus. Non ambigimus, Serenitatem Vestram præter documentum singularis erga nos & Rempubl. studii communi totius Christianitatis defensioni id libenter concessuram. Cæterum Ablegato nostro plenam in omnibus, quæ nomine nostro proponet acturusque est, fidem adhiberi cupientes Seren. Vestræ optimam valetudinem & prosperos rerum successus a Deo precamur. Dabantur Anno 1674.

## DCIII.

*Litera FRIDERICI WILHELMI, Electoris Brandenburgici, ad CAROLUM XI. Sueciæ Regem, quibus se pacis quidem studiosissimum esse, eo tamen minime inductum iri, ut positis armis Germaniam, cui cum vita fideque jurata amorem infucatum deberet, infestis armis opprimi incurius cerneret, candide testatur, 1674.*

Serenissime,

Quæ inter Regiam Majestatem Vestram & Nos de procuranda Germaniæ cum primis pace ac tranquillitate subinde agitata & capta sunt consilia, optime recordatur Regia Majestas Vestra, & placuerant quidem ante omnia utrinque pacifica & mitiora recuperandæ pacis media, non tamen armis adeo destituta, ut nullum inde robur iis accedere posset: Atque proinde Regia Majestas Vestra sus-

cepto publice Mediatoris munere, magno cum zelo atque hinc maxima cum laude sua id egit, ut bono cum Deo æquis inter belligerantes, conditionibus Pax coiret; Neque Nos Nostris defuimus partibus, operam dantes, ut per Legatos Nostros aliisque rationibus commodis, animi & domi & ubique ita præparentur, ut in publico ad tractandam Pacem destinato loco res eo felicius procederet; Nec caruit plane successu laudabile, ut quam maxime istud Regiæ Majestatis Vestræ studium, nec Nos operæ Nostræ pœnituit, donec, nescimus, quo fato Coloniæ filum istud pacificæ negotiationis abruptum & pariter omnis fere spes pacis per ejusmodi instituta recuperandæ extincta fuit. Nec omissa modo consilia Pacis, sed armis unice datus est locus, dum hostilia illa, quibus Elector Trevirensis jam ante petitus, Palatino quoque Electori inferuntur, nobilissimæ ad Mœnum Provinciæ ferro flammaque vastantur, ac proceres Imperii juxta cum subditis in carceres conjiciuntur, & alia in pacato solo, quale quidem quævis Imperii Provincia esse debeat, parantur, quæ etiam in hostico aliquando non permittuntur. Necessarium hinc visum est Imperatori Ordinibusque Imperii Ratisbonæ congregatis, ut laborantibus ita Imperii Principibus & tantum non prostratis ex Lege Imperii suppetiæ ferrentur, & Electores dicti ab Electoribus reliquis auxilia atque opem, quæ ipsis ex unione quam dicimus, Electorali debetur, poscebant. Sæpius ista ablegato Gallico, qui apud Aulam Nostram moratur, exposuimus, atque Regem Christianissimum per illum rogavimus enixe, tandem Exer-

citum

citum suum e Germania revocaret, eidemque suam redderet tranquillitatem. Indicavimus eidem pariter, non posse Nos tandem deesse fidei, quam Imperio ac Collegio Electorali, & huic quidem juratam dedimus, quam integram Nobis & in pactis nuper cum sua Regia Majestate Galliæ initis reservavimus, atque proinde in eo Nos esse, ut eidem ex asse satisfaceremus. Exposuimus eadem quoque Regiæ Majestatis Vestræ Ablegato & Colonello Dn. de Wangelin, ut de eis omnibus ad Regiam Majestatem Vestram non referret modo, sed & fiduciam Nostram, quam in Regia Majestate Vestra repositam habemus, ac simul exponeret, quid afflictissimæ Germaniæ de Regiæ Majestatis Vestræ animo propenso atq; affectu singulari promitteremus. Hic vero quæ respondenda Nobis ab ipso essent de auxiliis afflictis Imperii Statibus ferendis, non habere in mandatis, nomine vero & ad postulatum Ablegati Gallici proposuit, eam, quam Nos reputaremus pacis viam potius esse ad bellum & inimicitiam Regis sui, rogavit denique prædictus Regiæ Vestræ Majestatis Ablegatus, ut auxilia, quæ Imperio destinavimus, differemus, donec cum Regia Majestate Vestra de iis actum fuerit. Equidem nihil Nobis magis esset in Votis, quam ut nunquam Nobis imponeretur necessitas armis Patriæ succurrendi, & tantum abest, ut non libentissime ea differre vellemus, dum modo id pericula Patriæ & jurata fides permitterent. Eadem exigunt potius, ut Regiam Vestram Majestatem majorem in modum rogemus, ut afflictissimæ Germaniæ non modo Pacis Consiliis, quibus adhuc eandem invigilare novimus, sed

quacunque posſit ratione adeſſe, noſtraque aliorumque Ordinum inſtituta ad pacem procurandam unice ſpectantia juvare dignetur. Jam diu eſt, ex quo ad Regiam Majeſtatem Veſtram Conſiliarium Noſtrum Intimum Chriſtophorum de Brand ablegavimus, ut fuſius mentem Noſtram Regiæ Majeſtati Veſtræ exponeret. Accepimus autem gravi eum in via correptum morbo, & incerti adhuc ſumus, ubi in præſenti commoretur. Non potuimus non igitur Noſtris his literis ad Regiam Majeſtatem Veſtram iſta deferre omnia. Quibus & hoc addendum duximus, propoſuiſſe Nobis antedictum Regiæ Majeſtatis Veſtræ Ablegatum, conſultum videri Regiæ Majeſtati Veſtræ, ut copias Noſtras in Provinciis Noſtris adhuc aliquamdiu retineremus, Regiamque Majeſtatem Veſtram pro ſuo erga Nos ſingulari affectu id acturam, ut militibus Noſtris, quæ nimis illi graves eſſent Provinciis Noſtris, de ſuſtentatione pro parte aliqua proſpiceretur; Grati agnoſcimus hanc Regiæ Majeſtatis Veſtræ propenſionem nullo non officii genere demerendam; Rem ipſam autem quod ſpectat, id imprimis ſpectandum putamus, in quem denique finem domi alendus ſit miles? Si Patriæ ſuccurrendum, ſi afflicti juvandi, minus certe illud tempus eſt, quo id agendum maxime & quo diutius auxilium differtur, eo facilius ſubvertuntur afflicti, tantoque majora incrementa capiunt virium illi, qui eos opprimunt. Conſultius forte videbitur ſervare militem extra belli aleam tantum ad pacis ſtudia promovenda. Pacem autem expectant Nobiſcum votis ardentiſſimis Imperii Ordines, &

æquis

æquis hi transigent sine dubio conditionibus, ut contra illos pacis procurandæ causa armis opus non sit. Hostilia arma hæc desideria ipsis satis extorquent, ita ut amicorum armis opus non sit, nisi ad pericula & vim depellendam, nunquam autem a pacis consiliis alieni erimus, & novit cordium scrutator, Nobis nulla consilia cordi esse, quam quæ ad Pacem spectant. Illam ut Pacis autor Nobis dare velit, Regiæque Majestati Vestræ prospera quæque largiri dignetur; hoc est quod ab ipso humillime & ardenter petimus. Coloniæ ad Spream, die 30. Junii 1674.

## DCIV.

*Responsoria CAROLI XI. Svecorum Regis, ad proxime præcedentes FRIDERICI WILHELMI, Electoris Brandenburgici, literas, quibus ipsum iterato monet, ut exercitum suum ad expeditionem contra Gallos accinctum, gradum sistere, & sustinendo secum belli pacisque arbitria extra belli aleam constitutum occasioni invigilare jubeat, 1674.*

Nos Carolus, Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Estoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stettini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandaliæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Wismariæ, nec non Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux. Serenissimo & Celsissimo Principi, Consanguineo, Amico & fœderato Nostro Charissimo, Domino Friderico Wilhelmo Marchioni Brandenburgensi, Sacri

Romani Imperii Archi-Camerario & Principi Electori, Prussiæ, Magdeburgi, Stettini, Pomeraniæ, Cassubiorum, Vandalorum nec non in Silesia, Crosnæ & Carnoviæ Duci, Burggravio Norimbergensi, Principi Halberstadii, Mindæ & Camini, Terrarum Leoburgensis & Butoviæ Domino, Salutem & prosperos rerum successus.

*Serenissime ac Celsissime Princeps, Consanguinee, Amice & fœderate charissime.*

NOn tantum ex Literis illis, quas Celsitudini Vestræ Electorali sub die 30. Junii ad Nos perscribere visum fuit, verum etiam ex iis, quæ ejusdem extraordinarius Ablegatus coram proposuit, percepimus rationes & causas, Celsitudinem Vestram Electoralem permoventes amica illa, quæ non secus ac nos antea Celsitudo Vestra Electoralis probavit reducendæ Pacis remedia vel suspendere vel plane deponere, & potius illis consilia & vires suas conjungere, quæ manu armata & vi vim Gallorum Imperio ac præsertim quibusdam Celsitudinis Vestræ Electoralis Sociis Electoribus præter fas illatam depellere & vindicare valerent, quemadmodum Celsitudo Vestra Electoralis se jam accinctam confessa, arma sua in oppressorum solamen & auxilium iterum educere & omni tentare conatu, quo iis, cum leniora hactenus non profuissent, mediis, Germaniæ saluti ac Pacis negotio, majori cum fructu prospicere posset, spem juxta fovens, consilium hoc suum nonnisi ex summa publici necessitate profectum a Nobis haud difficulter etiam iri approbatum.

Verum

Verum non possumus inficias ire, quin Nobis hic de nova Celsitudinis Vestræ Electoralis expeditione militari Nuntius admodum sit inexpectatus, & cum primis eam ob causam parum gratus, quod vereamur, ne ea, quæ a Celsitudine Vestra Electorali ut prudentia & viribus illustri, a studio Partium hactenus alieno, & illi, quam Celsitudo Vestra Electoralis Nobis tam enixe sæpius commendavit, pacis promovendæ sollicitudini ac curæ simul intento Principe expectavimus, adminicula plane deperreant, iisque destituti imposterum eo difficilius procul dubio laboremus & luctemur in obtinendo hoc, quem Christianus Orbis jam anxie desiderat, salutari scopo. Non excusavimus antea, nec adhuc probamus, quæ Exercitus Gallici in imperio perpetrarunt attentata Ordinibus intoleranda, propterea Serenissimo Galliarum Regi ob oculos sæpenumero poni fecimus, quam hæc suorum commissa de tramite justi, cum nonnullos a culpa & causa belli liberos Status læserint, decedant, ac quam sint securitati ac Guarantiæ promissæ in tabulis Westphalicæ Pacis & Nostri ea basi simul innitentis & cum Gallia initi fœderis contraria, quod inde etiam sint graviora, quam quod sola belli ratio & studium declinandi vel prævertendi cujusdam periculi ea reddere possint excusabilia. Verum cum nec alte memoratus Rex hæc laudaverit, & insuper sua Nobis, procul dubio etiam Celsitudini Vestræ Electorali dederit promissa, quod velit detrimenta læsorum justa resarcire satisdatione, modo etiam pars adversa parem demonstraret damni non minoris illati reparandi promptitudinem, & Germaniam a Milite suo

ſtatim reddere liberam & indemnem, quando Imperator & reliqui, qui etiam ſua in Imperium moviſſent arma, ea ad Provincias ſuas reducerent. Speraſſemus ex mutuo hoc reſtituendorum, ſatisfactionis ac induciarum conſenſu, quæ etiam omnia per Noſtram mediationem ad lancem æquitatis & publicæ ſalutis expendi & componi potuisſent, morbo illo, quo Germania jam conflictatur, propria & magis ſalutaria conciliari potuiſſe remedia, quam quæ ex novo hoc armorum motu expectari queant. Docuit enim adusque experientia, quam ſecus ſucceſſerint, quæ in Imperio excitatæ operationes bellicæ. Non enim ſolum non Pacis negotio ullum attulerunt fomentum, verum illud novis & gravioribus, cum prætenſiones & gravamina accreverint, implicarunt difficultatibus, quod Status innoxios, loco illos ſolari & ab oppresſione exterorum, ut promiſerant, liberare debuisſent, hoſpitatione, tranſitu & multi generis exactione inulta magis premant & plane devaſtent, denique publicam tanto exponant periculo ſalutem, quod cum ſors belli ſit dubia, & ſucceſſum illum, quem aliquot tam facilis negotii futurum non ſemel male opinati ſunt, fruſtrari queat, Victoris arbitrio omnino relinquatur. Quæ facies rerum adeo difficilis & funeſta, pejoraque adhuc, quam quæ ob oculos verſantur, minitans mala, juxta & anxia illa & pia cura, qua dictum Pacis negotium cupimus promotum, Nos iterum permovent, ut optemus & a Celſitudine Veſtra Electorali enixiſſime contendamus, velit arma ſua retinere ac ſiſtere,

poti-

potiusque imitando Nostram huic & alteri parti factam atque a Celsitudine Vestra Electorali sæpius comprobatam declarationem, quod nempe exercitum Nostrum asserendi Pacem, & iis Nos opponendi, qui illam nollent æquam, honestam ac universalem, paratum haberemus, se & dicta sua arma eidem scopo, nimirum recuperandæ quieti ac præsenti sanandæ calamitati reservare, quam se partibus belligerantibus jungendo reddere illam omnino incurabilem. Sunt illa vota tanto magis Nobis curæ cordique, cum ea non solum arbitremur publico bono & saluberrimo Pacis negotio unice salutaria, verum quod alias inter sacrum & saxum, ut ajunt, constituti, hoc est inter periculum amittendæ prorsus, quam cum Celsitudine Vestra Electorali, qua pacem procurandam coluimus, hactenus bonæ Correspondentiæ & inter necessitatem servandæ fidei, quam Leges Westphalicæ pacis exigunt, & cujus sinceram & debitam observantiam Nos, uti Celsitudinem Vestram Electoralem per expressam ablegationem certiorem fecimus, Regi Galliarum per singulare quoddam fœdus denuo stipulati sumus. Hanc Nostram roborandæ Pacis in Imperio curam Celsitudo Vestra Electoralis non secus ac plerique Electores & Principes tunc temporis laudarunt ac quod magis est, Imperator Ipse agnoscendo genuinum sensum §. *Et ut eo sinceriori* &c. talem, qualem Nos in præfato fœdere exposuimus, concludendoque desuper cum Rege Galliarum illa, quæ in Imperio jam pridem evulgata & cognita exstant, Pacta comprobavit optimo suo

 exem-

exemplo. Hæc eſt, quæ Nos potisſimum movit ratio, quod tam anxie novum cum Celſitudine Veſtra Electorali deſideravimus amicitiæ & ſinceræ correſpondentiæ vinculum, ut eo utrinque ligati non poſſemus facile ſejungere noſtra conſilia, ad diverſum, qua promotionem pacis tendere ſcopum & exinde prolabi in eas, quæ publico & Noſtro utriusque commodo aliquatenus obeſſe poſſent, reſolutiones. Obtento etiam hoc Noſtro non ita pridem voto & concluſo deſuper ſub die 1. Decembris elapſi proxime anni certo & ejusmodi fœdere, in quo utrinque præfata omnia ſancte ſtipulata ſunt, non poſſumus aliter, quin maxime doleamus, quod Celſitudo Veſtra Electoralis Sponſionis iſtius reducendæ amicabili via tranquillitatis, & conferendi deſuper ſua cum Noſtris fideliter conſilia adeo immemor fuerit, quod Ablegatus Noſter Wangelin intentionem expeditionis nequiverit prius indagare, quam Exercitu jam in Imperium adducto, & clarigatione Galliæ facta, id eſt, re ſuper cujus commodo vel periculo, juxta normam & fidem pactorum adhuc inter Nos conſultari deberet, non amplius integra. Verum cum dubio procul Celſitudo Veſtra Electoralis prægnantiores cœpti ſui Conſilii habuerit rationes, quam ut cum iis, quas ſuperius enumeravimus, æquiparari potuiſſent, ita etiam eas Celſitudinis Veſtræ Electoralis maturiori judicio merito relinquimus, Nobis tamen certo perſuadentes, Celſitudinem Veſtram Electoralem illos iterum, ea qua in tantum inclaruit, prudentia & fide probe expenſuram & conſilia & ge-

ſta ſua ad metam pacis directuram. Quibus Celſitudinem Veſtram Electoralem Divinæ commendamus Protectioni. Dedimus in Arce Noſtra Holmenſi, die 10. Octob. 1674.

Celſitudinis Veſtræ Electoralis

*Bonus Conſanguineus, Amicus & fœderatus*

CAROLUS.

F. Joel Oernſted.

## DCV.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad COSMUM III. Magnum Etruriæ Ducem, quibus ipſi Henricum Sebaſtianum a Schleuniz ſedulo commendat, 1674.*

P. P.

Decenter Nobis expoſuit, qui haſce Noſtras Dilectioni Veſtræ, qua par eſt ſubmisſione, traditurus eſt, dilectus Nobis & fidelis, Henricus Sebaſtianus a Schleunitz, ſe factis hactenus per aliquot annos inter cohortis Noſtræ prætoriæ Equites virtutis militaris tyrociniis, ad uberiorem rerum uſum peregre quoque acquirendum animum, avito majorum ſuorum exemplo, applicuiſſe, utque honeſtos ejus conatus gratioſa Noſtra commendatione apud DilectionemVeſtram omni meliori modo proſequeremur, humillimis precibus a Nobis impetravit.

Pro

Pro insigni itaque mutuæ conjunctionis Nostræ fiducia Dilectionem Vestram rogatam volumus, ut subditum hunc Nostrum ad equestria decora condigne enitentem, sperata gratia condigne complecti, inque numerum prætorianorum Vestrorum coaptare, ac pro re nata ad ampliora provehere non dedignetur. Hunc sane indubitatum commendationis Nostræ fructum ipse cunctis obsequiis promereri pro virili conabitur. Nos interim crebriores comprobandi animi Nostri studiosissimi occasiones, Dilectioni autem Vestræ omnigenæ felicitatis incrementa serio exoptamus. Dabantur in Electorali Nostra Dresda, die 4. Octobris, 1674.

## DCVI.

*Litera LEOPOLDI, Romanorum Imperatoris, ad CAROLUM XI. Suecorum Regem, quem, ne Galliæ sociatus Electorem Brandenburgicum armis adoriatur, sed cognita potius justa Germanorum causa, Imperium Romanum, ab imminenti Gallorum jugo vindicet, graviter hortatur, 1674.*

## LEOPOLDUS.

NOn attinet pluribus perstringere, quod apud Serenitatem Vestram Legatus Gallicus 17. Augusti contra Electoris Brandenburgici Dilectionem declaraverit, nam hæc Serenitatis Vestræ memoriæ facile occurrent, & summa in eo est, ut Serenitas Vestra arma conjungat cum Gallia, cum Elector in leges pacis Westphalicæ, ac fœdus inter Eam

Eam & Coronam Galliæ initum peccaverit. Quamvis vero minime credamus, Serenitatem Vestram hisce & similibus commentis eo impellendam, ut a rectissima sui norma deflectat, & illud in memoratum Electorem derivet, cujus ex tot causis & capitibus sola rea est Gallia, attamen operæ pretium esse duximus, ne Imperatorio nostro muneri ullo modô desimus, Nos ad ea in compendio referre, quæ Vestræ Serenitati per literas 30. Octobr. præteriti anni exaratas, nec non Ablegatum nostrum, Uratislaum Comitem de Sternberg, fusius exposuimus. Ex his enim manifeste patet, quam sincerus Nobis animus fuerit, tranquillitatem totius Imperii conservandi, & ab eo arma procul habendi, utpote quæ tum demum ád ejusdem & nostram defensionem omnium gentium jure permissam expediri curavimus, postquam Rex Galliæ, sine nostro & Imperii Statuum consensu, cum ingenti exercitu Imperium ingressus, non duntaxat fœderatos Belgii Ordines in & ex finibus Imperii oppugnaverit, sed & insuper Electoris memorati urbes in Ducatu Clivensi sitas subjugaverit, & stationes in Imperio pro libitu sumendo, non paucos Status summis damnis affecerit, & pro libitu expilaverit; Speraverant nonnulli sistendam inter hos terminos injuriam, postquam dicti Electoris Dilectio cum Gallia in præterito anno certo modo transegit, & postquam militem nostrum in terras nostras hæreditarias revocavimus, sed tantum abfuit, ut exhibitionibus & promissis fuerit servata fides, ut & ab eo tempore firmiore exercitu Rex Galliæ Imperio incubuerit, illud miserandum in modum devastarit,

Tre-

Trevitos nullam ob aliam causam, nisi quod fidem nobis & Imperio debitam, ille Elector exuere noluerit, expugnaverit; decem Alsatiæ urbes loco protectionis debitæ vallis, mœnibus, propugnaculis, tormentis, commeatu & fortunis denudaverit, & ad extremas exitias redegerit: Insuper etiam in interiora Germaniæ & ipsum terræ Franconiæ circulum perruperit, atque Electorem Palatinum vel ob hoc solum, quod cum pro tutela Electoratus sui fœdus nobiscum tractare inaudiverit, pro hoste infensissimo habuerit, Comitem Nassovium, fidei & juramento nobis & Imperio præstito renunciare detrectantem, per multos menses captivum detinuerit, plurimaque alia, quæ vix ab armis Turcicis expectari potuerunt, tam contradictæ pacis Westphalicæ, quam Aquisgranensis tabulas commiserit. Cum enim vero ut & nos & universum Imperium pro nostra conservatione curam haberemus, & injurias tot & tantas a cervicibus nostris depelleremus, sane summa ratio non tam admisit, quam coegit; Neque enim hanc interpretationem pax Westphalica, neque fœdus Serenitatem Vestram & Galliam inter pactum patitur, ut huic sit integrum, in tabulas dictarum pacificationum pro libitu committere, sit vero & Imperio vetitum, vim vi repellere; tot & tantarum injuriarum satisfactionem quærere, & securitati nostræ meliori modo prospicere: Ipsa Serenitas Vestra licet fœdere cum Gallia illigata, pro suo prudentissimo judicio & laudabili æquitate, prout ex responsis dicto Ablegato nostro, Comiti de Sternberg, datis videre est, hæc & similia contra teno-

tenorem pacis Westphalicæ a Gallia admissa adeo non commendabit, ut læsis satisfactionem & reparationem deberi agnoverit; deinde ut & universum Imperium in Comitiis Ratisbonensibus justitiam armorum nostrorum contra Galliam approbaverit, & arma Imperii cum nostris socianda non una vice decreverit, quod vel solum prætacti Electoris Dilectionem, ne ei quid sinistri imputari, aut ejus facta & acta in malignam interpretationem trahi possint, adeo tuetur, ut huic vim passuro contra omnium hostium molimina eam, quam Instrumento pacis ex fœdere defensivo debemus, una cum Imperio & confœderatis nostris præstituri simus guarantiam; Quis enim justus rerum arbiter in errorem detorqueat, quod memoratus Elector illud peregerit, ad quod per Imperii conclusa adstringebatur, quod Status erga Statum obligatio exposcebat, quod justissima commiseratio pro oppressis extorquebat, quod sibi verbis disertis & expressis tam in fœdere inter Galliam & illum, quam in Conventione cum eadem inita reservaverit, & quod tam Serenitas Vestra, quam ipsa etiam Gallia, dicto Electori Brandenburgico licere, contestata est? nisi forte quis pessimo exemplo affirmaverit, fas esse Galliæ, ut pacta pro non pactis habeat, & toti Imperio leges pro arbitrio dictet & præscribat, quod non sentire Serenitatem Vestram satis certi sumus, utpote, quæ tot & tantis vicibus quantopere ei cordi & dolori sit, pacem Westphalicam tam misere turbatam sæpius se declaraverit, & laudabilissimam operam ad reducendam orbi Christiano tranquillitatem impendit, quam & nos, si æqua, si constans,

ſtans, ſi univerſalis erit pax, nunquam recuſabimus, ſed lubentes volentes una cum noſtris Confœderatis amplectemur, prout hæc & plura alia Serenitatis Veſtræ ad nos miſſo Legato, Benedicto Comiti de Oxenſtiern, pluribus ſignificari curavimus; ſimulque confidimus, æquitatem & evidentem cauſæ juſtitiam tantum pondus apud Serenitatem Veſtram habituram, ut Galliæ moliminibus contra nos, memoratum Electorem Brandenburgicum & univerſum Rom. Imperium, nec aures, nec animum ſit accommodatura, ſed potius uti Status Imperii & ut conſors Pacis Weſtphalicæ arma contra Regem Galliæ ſociatura, eumque etiam nolentem ad honeſtam & ſecuram pacem adactura; Cui etiam annos plurimos & proſperos rerum ſucceſſus exoptamus, noſtrum fraternum affectum in omne tempus confirmantes. Dabantur Viennæ, 19. Novembr. 1674.

## DCVII.

*Reſponſoria CAROLI XI. Svecorum Regis, ad præinſertas LEOPOLDI, Romanorum Regis, literas, quibus ſibi legibus Imperii minime vetitum eſſe, fœdifragam Electoris Brandenburgici armis coercere licentiam, ſuaque potius quam Electoris arma S. R. Imp. patrocinium mereri, ac ſe Pacis, ſi juſta, tutæ ac univerſali locus detur, nullatenus abſtemium eſſe, demonſtratum it, 1675.*

Sere-

Sereniſſime & Potentiſſime Imperator, Domine Frater, Conſanguinee & Amice Chariſſime.

Literæ Majeſtatis Veſtræ, die 19. Novembris elapſi anni exaratæ, aliquanto tardius, & cum eas pridem typis evulgatas vidiſſemus, Nobis ſunt transmiſſæ, fuſiusque Nos edocuere, quæ Majeſtati Veſtræ de Legati Gallici contra Electorem Brandenburgicum expoſitis publice apud Nos querelis delata ſunt, & quibus arbitrata eſt, juſte ſe poſſe indignari, cum non ipſe Elector, verum potius Rex & Dominus prædicti Legati in Leges Weſtphalicæ Pacis peccaſſet, ac iſtis, quas Majeſtati Veſtræ viſum denuo & ſingulatim enumerare offenſis ac Imperio illatis detrimentis magis promeruiſſet, ut arma Statuum & eorum omnium, qui pacis conſortes & vindices eſſent, in Regem Galliarum ipſum converterentur, quam quod vel illi fas eſſet, ea contra Electorem evocare, vel alii alicui conceſſum, Electorem ſub Guarantigia Veſtræ Majeſtatis & Imperii conſtitutum ob ea, quæ pro avertenda hac Imperio illata vi, geſſit, impune laceſſere & aggredi; Quemadmodum Majeſtas Veſtra agnoſcendo & deprædicando Noſtram, quam pro reducenda Germaniæ tranquillitate impendimus, ſollicitudinem, & curam ſe etiam confidere profitetur, quod conſideratis arduis iſtis, quas Majeſtas Veſtra adduxit, rationibus, non ſolum Galliæ requiſitioni ulteriori non aurem præbere, verum potius Noſtra in tutelam Imperii, Majeſtati Veſtræ, Electori & reliquis, pro ejus ſalute excuban-

tibus, Statibus arma jungere vellemus. Cum recordari Majestatem Vestram non dubitemus, quæ ejusdem Ablegato Extraordinario Comiti de Sternberg, qua supra dictum negotium iterato respondimus, ita Majestatem Vestram etiam eo facilius comprehensuram confidimus, quæ mens in hoc responso Nostra, & quod, quicquid etiam Majestati Vestræ in contrarium suggeritur, ne latum, quod dicunt, unguem recesserimus a priori & eo tempore declarata promovendi serio pacem sollicitudine: Et a studio excolendi, imo arctius constringendi eam, quam cum Majestate Vestra sinceram & intemeratam cupivimus amicitiam. Fassi enim sumus antea aliquoties, & adhuc denuo profitemur, nullo unquam Nos tempore ac modo probasse, vel etiamnum excusare, quæ Exercitus Gallici in Germania perpetrarunt violenta & legibus pacis Westphalicæ contraria; sunt enim graviora, quam quod ratio belli, & studium prævertendi, quæ illis imminere & præparari arbitrabantur mala, ea reddere possit vel justa vel tolerabilia. Verum cum nonnunquam, & uti existimamus non immerito admonuerimus, posse ex amica dissidiorum compositione propiorem malo salutem conciliari, quam ex vindicta, & ulteriori armorum motu & strepitu; imprimis cum Serenissimus Galliarum Rex ad reparanda, quæ rite postulari possent, damna, ad restituenda, quæ a suis detinerentur, loca & fortalitia, & ad ponenda & revocanda sua ex Imperio per inducias generales arma se pronum ac paratum demonstraverit. Ita experientia quoque ipsa deinde testata est, non va-

nam

nam fuisse hanc Nostram sollicitudinem, non frustraneas nostras obsecrationes & monita, quandoquidem per accessionem partium non tantum belli incendium non extinctum, verum potius majora exinde cepit fomenta, ut solet, quando oleum igni infunditur, & flammas dispersit suas, in omnes Imperii partes, absumsitque insontes & a causa & culpa belli liberos non minus ac sontes, & bello ipso Interessatos. Et quid e contra Imperium tantis viribus fultum non potuisset, si consilium nostrum, quo, Deum testamur, nullum & sanando præsenti & præcustodiendo futuro belli malo, magis salutare ac adæquatum deprehendebamus, ullum nancisci potuisset assensum; Et status suas cum nostris conjunctas belligerantibus monstrassent vires, ab operatione belli equidem parum retentas, paratas tamen & validas ad extorquendam pacem ab alterutra parte, quæ illam noluisset æquam, promptam ac generalem; Et donec de mente hujus vel alterius iniqua, vel ad quietem proclivi, deque justitia postulatorum, quæ utrinque proponebantur, aliquo luculentius Orbi constitisset. Quemadmodum autem Dominus Elector Brandenburgicus, & ipse illam agendi salutarem methodum quam libentissime approbavit, & desuper solemne quoddam fœdus Nobiscum iniit & conclusit; Majestatem Vestram comperto hoc Domini Electoris nexu & consideratis sequentibus in rei veritatem astruendam adductis rationibus & circumstantiis, pro sua servatæ semper fidei gloria existimaturam speramus, hanc sponsionem utrinque bona & sincera fide, ut speraveramus,

mus, datam & egregio publico in tantum propitiam, Domino Electori non permisisse, in hanc expeditionem militarem se ita præcipitem dare, vix postquam hoc Nobiscum initum fœdus pepigerat, & Nobis plane insciis & inconsultis, spretisque simul illis amicis, quibus pacem cum ipsius tam solemni assensu promotum ibamus, mediis; Quæ ipsi etiam, priusquam ad arma recurrere posset, juxta normam pactorum, erant tentanda. Quemadmodum Majestati Vestræ amicam hanc compositionem per Ministrum suum Marenholz, non minus ac Nos illam per Residentem Nostrum Puffendorffium, de meliori commendabat. Censet quidem Majestas Vestra, Dominum Electorem fuisse multis, quas in justitiam ipsius causæ adducit, rationibus obstrictum, ad defensionem Imperii & Electorum quorundam vi externa afflictorum, Et nos ipsi nefas fore fateremur, velle oppressos frustrari hac ope, si Dominus Elector absque læsione Instrumenti Pacis, & nobis per specialia, de quibus mentionem jam fecimus, pacta datæ & debitæ fidei illis oppitulatum ivisset. Ast sicuti Dominus Elector legibus Westphalicæ pacis salvis, & intemerato, qui in iis loquitur de ambarum Coronarum hostibus extra Imperium non juvandis, articulo, illa quæ in obsidium Gravæ præstitit auxilia, mittere non poterat; ita etiam qua Nobis specialiter data promissa Dominus Elector diffiteri non poterit, omnia hæc, quæ Galli contra Imperium & cumprimis adversus Treviros & Palatinatum commiserant, antequam Nobiscum sæpius memoratum fœdus concludebat, vel conclusum ratihabe-

habebat, jam pridem fuisse perpetrata. Quare itaque cum vel Unionis Electoralis, vel Instrumenti Pacis, vel alio etiam ad ea vindicanda tenebatur vinculo, hæc sibi in nostris non reservavit pactis; & quare tunc amica componendi has turbas & reparandi hæc damna, violentis prætulit remediis? Confitebatur quidem ipse sæpius, dissuaderi a multis & in Imperio & extra illud hanc Confœderationem, cum imprimis niteretur præmemorato, amice quietem reducendi, scopo, ast promittebat Dominus Elector, se nihilominus in proposito, quod ipse ita deprædicabat, salutari futurum constantem; Quemadmodum etiam omni illa contradictione non attenta & pacta promovebat, & mutuo ratihabita permutari curabat. Quamvis autem Dominus Elector in articulo quodam separato liberiorem aliquem agendi modum sibi stipulabatur, verum nihil sinistri & contrarii, qua fœdus de ipso suspicari poteramus, cum simul spondebat, velle se bona fide, cuncta quæ sibi proponerentur, Nobis declarare, & tunc experiri, num nostrum assensum & adjutorium in iis, quæ justa duceret, & pro re communi tentanda, obtinere posset. Verum quod Dominus Elector hanc de operatione militari reassumtam mentem Nos omnino clam habuerit, usque dum miles accinctus & bellum Galliæ denunciatum, & interea temporis Nostrum in Aula ipsius commorantem Ablegatum ditissimis, quod immotus & inconcussus omnibus, quæ Nostris pactis adversa requirerent, resisteret, promissis, & pariter inani spe ulterioris de sustentatione sui militis tractatus eluderet, ipse Dominus Elector in literis suis,

 qui-

quibus Nos de hac sua intentione certiores reddit, non obscure fatetur, dum Cancellarium suum Brand se ablegasse scribit, quo Nobis hoc suum iteratæ expeditionis propositum exponeret, qui tamen sero satis, & re non amplius integra hic appulit. Et hæc propria confessio sua refutat omnia ea, quæ ex post facto orbi persuadere satagit, satisfecisse se nimirum tenori pactorum, etiam qua debitam communicationem, & de cætero se præter illam debuisse imperio hanc opem; Quam tamen de quo certi sumus, ultra quantum, Imperio juxta ejus decreta, debitum, non præstitisset, intuitu solarum tantum rationum, quas Majestati Vestræ pro ipsius causa afferre placuit, nisi exterorum ingentia subsidia accessissent, & aliæ etiam ipsi factæ spes, quibus non semel a societate & amicitia Antecessorum Nostrorum amotus. Cum itaque luculenta rei evidentia demonstret, Nostram cum Domino Electore nuper exortam controversiam non niti injustis & illicitis illis principiis, quæ Majestati Vestræ a Domino Electore & reliquis nostræ causæ male cupientibus sunt persuasa nec displicentia, quam obinde Nostrorum motu armorum in ditiones Electorales sumus testati, sit soli Galliæ sollicitationi asscribenda; Quamvis concedamus, Nos Serenissimo Regi Galliarum teneri per leges pacis Westphalicæ, per specialia cum ipso, quæ tamen ejusdem pacis tabulis, & ipsa Majestatis Vestræ explicatione nituntur, inita fœdera, & per illum nexum, quo Nos vindicem & sponsorem transactæ nuper inter altememoratum Regem & Electorem litis promisimus; verum quod honestas ipsa & fides

des ſincere data, ut ſanctiſſimum ſociæ vitæ vinculum Nos ad eã adegerit; Ac quod denique animadverſio illa Noſtra pro aggreſſione rite haberi non poſſit, cum per unanimem moderatiorum gentium conſenſum non is, qui arma primo infert, velut Nos, coacti religione ſancte obſervandorum fœderum, ea ſolummodo maturioris reconciliationis ergo absque operatione hoſtili monſtrat, aſt potius ille pro vero cenſendus belli autore, qui laceſſens alterum injuriis, cauſam ultioni & armorum motui præbet. Itaque nulli dubitamus, quin Majeſtas Veſtra pro juſtiſſimo ſuo & integerrimo animo, quo adeo apud orbem inclaruit, & vera a ſpeciosis, juſta ab iniquis dignoſcere valet, mature has, quas ſuperius adduximus, æquitate & fide ſuffultas rationes ſit perpenſura, & agnoſcendo, quod nobis potius Guarantigia Imperii in vindicandis Imperii Conſtitutionibus & pactis, quam Domino Electori in iis infirmandis debeatur, ſimul judicatura, contra Nos ad inſtantiam malevolorum nihil vel a Majeſtate Veſtra aut per editionem avocatoriorum, aut alia adverſæ mentis argumenta procurari, vel ab Imperio decerni poſſe, quod non repugnet veris juſtitiæ & æquitatis legibus, tranquillitatem communem, cui reducendæ tam ſedulo & ſincere invigilamus, longius arceat, & Chriſtianum orbem in majora diſcrimina, cædes & devaſtationes protrudat, quorum omnium vindex Deus cauſam, juxta merita, & ulciſcetur & proteget. Interea a Nobis nihil deſiderari patiemur, quo mala hæc, in quantum per Noſtra hæc diſſidia aggraveſcere poſſunt, ſanari & tolli

queant; A Majeſtate Veſtra hisce contendentes, velit amice experiri, quam pronus & promtus Noſter ſit ad reconciliationem animus, modo pari, & pactis conſentaneo ſtudio Nobis obviam eatur, & quantum ſumus daturi, egregio Veſtræ Majeſtatis componendi particularem hanc litem in literis ſuis præmemoratis teſtato deſiderio. Quibus Majeſtatem Veſtram divinæ protectioni ad proſpera quævis animitus commendamus. Dedimus in Arce Noſtra Strömsholmenſi, die 15. Februar. Anno 1675.

Majeſtatis Veſtræ

*Bonus Frater, Conſanguineus & Amicus*

CAROLUS.

T. Joel Oernſted.

## DCIIX.

*Literæ* CAROLI XI. *Suecorum Regis, ad* GENERALIS FOEDERATI BELGII ORDINES, *quibus eos cepti ab ipſis capeſſendorum contra ſe armorum conſilii iniquitatem diligenter perſtringendo, tutiori pacis amicitiæque tramiti inhærendum eſſe, impenſe hortatur, 1674.*

Nos Carolus, Dei Gratia, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Eſthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiæ & Vandaliæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ

griæ & Wismariæ, nec non Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ ac Montium Dux, Celsis & Præpotentibus bonis Nostris Amicis ac Fœderatis, Dominis Ordinibus Generalibus Fœderati Belgii salutem & prosperos rerum successus.

*Celsi & Præpotentes Nostri boni amici & fœderati.*

QUæ & quam insignis sit amicitiæ illa fœderumque unio, quæ Regno nostro cum unito Belgio semper intercessit, neminem potest latere, qui ad monumenta, quæ eam exornant, respexerit. Nam & fides, qua est culta, perspecta æque omnibus ac integerrima est, & cognita juxta constantia præclara, quæ jam inde a longo tempore immota stetit, Nos quoque hanc, ad Nos cum Regni hæreditate transmissam, eo accepimus animo, quo fixum Nobis stat majorum nostrorum ita sinceri erga amicos & fœderatos affectus, ut aliorum gloriose actorum vestigia premere. Quapropter etiam id curæ Nobis maximopere semper fuit, ut antiqua illa conjunctio non modo firma omnino permanere, verum etiam novo vinculo strictius ad huc connecti posset. Quod ipsum cum facile pateat perpendenti promptitudinem, qua occasionem vel ipsimet præbuimus, vel ostentantem se, sine mora acceptavimus, fœdera Nos inter intimiori adhuc unione corroborandi. Tum etam confidimus, vos sic existimaturos, post commoda satis magna ab Nobis hisce temporibus neglecta, postque labores, quos lubenter subivimus, &

difficiles & longos, dummodo Vobis sociis & Amicis Nostris Vestræque saluti consulatur; de fido erga Vos animo nostro dubitari minime posse. Atq; hæc considerantibusNobis,deque eo insimul sollicitis,ut consilia vobiscum jungere possemus pro publica tranquillitate tum restituenda tum restituta munienda, lætisque præterea, quod favore omnipotentis,Res vestræ feliciter restauratæ,Pacem jam propinquam promittere velle viderentur, in exspectatum accidit, ea Nobis annuntiari,quæ nihil minus,quam amica præ se ferunt consilia, nimirum de armis in Nos suscipiendis apud Vos agi, copiasque lustrandas & adversus Nos quamprimum educendas, Vos decrevisse: Et quidem ea de causa, quod cum Elector Brandenburgicus, præter spem, quam in fœdere Nobis dedit, nuperrime Nobiscum inito, & cujus est unus scopus, quietis in Imperio cura, nec ad Instrumentum Pacis, cujus tutela etiam Nobis incumbit, attendens, adeoque non ut cæteri Imperii Status copiis pro rata cum aliis in Imperii defensionem sociatis, sed justo misso exercitu ea arripuerit consilia, quæ nec paci procurandæ, quæ prætenditur, conveniunt, nec tuta Nobis, siquidem, quæ pertulit Imperium jam longo tempore mala, graviora faciant, securitatemque vigore Pacificationis Westphalicæ competentem dubiam ac incertam reddant. Nos idcirco intermittere ea non potuerimus,quæ & Pacis Westphalicæ Guarantia Nobis imperat, incolumitasque propria suadet. Atque est hoc ipsum ejusmodi, ut merito Nos summopere commoveat, sive sincerum Nostrum erga Vos affectum, sive curam intueamur, qua publicæ

blicæ quieti jam diu ac indefeſſi allaboramus. Nam quod veteri Regnum inter Noſtrum Statumque Veſtrum amicitiæ firmiter inhæreamus: eamque, poſthabita omni alia conſideratione, illæſam conſervandam omni tempore duxerimus: quod etiam Rempublicam Veſtram omni ſemper favore & conſtanter ampleƈtamur: quod denique paratos Nos non ſemel conteſtati fuerimus, ad omnia ea, quæ nexui Nos inter mutuo robur adhuc majus addere poſſent; ejus vero longe aliam rationem habendam pro æquanimitate Veſtra ipſi procul dubio dijudicabitis, quam ut ea, quæ hoſtibus, quam Confœderatis conveniunt, magis in Nos decernantur. Nec etiam opera, quam ab omni Partium ſtudio remotam, Paci & Vobis & Orbi reſtituenda commodamus, id promereri videtur, ut locum apud Vos conſilia ulla inveniant, quæ Noſtro cum periculo ſecuritatisque Noſtræ imminutione conjunƈta eſſe poſſint. Eſt equidem laude digna illa Vox, qua fœdera Veſtra Veſtrosque Fœderatos curæ Vobis profitemini: verum dum ſuaſores exemplo Veſtro eſtis, ut fides data non deſeratur, ipſimet Vos alienum quoque a juſto ſtatuatis neceſſe eſt, ut in Nos arma ideo capiantur, quod nec fœderato Noſtro nec fœderi ſancito deeſſe queamus aut velimus. Nec enim eſt fœdus Noſtrum cum Sereniſſimo Rege Galliæ Chriſtianisſimo ita comparatum, ut novum dici posſit, aut tale, quod præſentibus motibus ortum ac vires ſuas ſolummodo debeat. Sed ei ſuperſtruƈtum ſtat fundamento, quod tempore ac ætate Bellum, cui Vos implicati eſtis, multum ante-

antecedit, eamque a Nobis occasione quoque hujus temporis exigit observantiam, quæ nobis incubuisset, minime licet enata fuisset inter Regem Christianissimum & Vos armorum illa contentio quæ adeo infeliciter tot Principes ac Potestates in Europa in mutuas cædes agit. Et certe si fœderum jura sociis munimento esse debeant, spes merito est, sic aliorum fœderatorum vestrorum causam Vobis suscipiendam esse, Vos existimaturos, ut insimul cavendum omnino censeatis, ne in detrimentum Nobis nihil tale promerentibus cedat, cum fœdera quoque Vobiscum habeamus & antiqua admodum & sæpius renovata, nec ut fœderatum Vestrum subvertamus, cœco belli studio accensi annitamur, sed in eo occupati solummodo simus, ut quæ Nobis ab illius inceptis imminent pericula, iis avertendis tempestive, & prout salus Nostra requirit, obviam ire queamus. Si enim aliud Vobis consilium; erit id quidem non fœderis aut fœderati defensionem, sed conatuum illius Nobis periculosorum adversus Nos patrocinium agitare: Id quod de Vobis vel suspicari integerrima Nostra ac minime fucata in Vos propensio prohibet. Atque ut præterea negotium, quod Nobis cum Electore Brandenburgensi intercedit, a Rationibus Vestri Status est remotum, cum ad Germaniæ duntaxat pertineat quietem, eoque solummodo spectet, ne Westphalica Pax penitus proteratur, legesque ejus ludibrio omnino fiant, ac in totum vilescant, adeoque Nos tranquillitatem Imperii optasse magis, quam defendisse videamur: Ita nec offensæ causam ullam subministrare Vobis jure possunt arma Nostra

Nostra, quæ Necessitas Nobis prospiciendi movenda jus sit. Nullum enim imprimis bellum Vobis inferendum intendunt, quod etiam tunc temporis pro amore salutis Vestræ, procul habuimus, cum res Vestræ adversæ fiduciaque successus ad id invitare potuissent. Nec est præterea etiam damni aut periculi quidquam ab iis metuendum Vobis, quod vel fœderatorum auxilia avertant, quo citius pereatis, vel Vos, ne amissa recuperetis, impediant. Nam in eo jam Statu Benignitas Divina Vos collocavit, ut propriis nunc viribus securi ac muniti non opus habeatis, ut ad Rempublicam Vestram, vel in pristinum statum restituendam vel conservandam aliorum accedant auxilia, ne dum ea, quæ Pacis Westphalicæ (ea vero, ut sarta tectaque maneat, Vestra quoque interest) periculo, totque in Imperio Statuum, quorum penates belli jam moles involvit, ruina misereque pereuntium gemitu constant. Itaque horum omnium intuitu nulli dubitamus, quin ipsimet statuatis, arma, quæ in Nos expediveritis, justa dici non posse, quia nec necessaria: eaque de causa eo fore culpam graviorem, quæ spe pacis, quæ apparere rursum rediviva cœpit, penitus eversa, nulloque periculo impellente bello jannam erumpendi aperuerit novo, & cujus finem facturus dies aut terminus animo concipi non potest. Atque horret imprimis animus cum alia intuentes concomitatura Nos inter collisionem mala, irruentem insimul Christiani Orbis antiquum illud antemurale *Poloniæ* Regnum, assilientem furorem *Portæ Ottomannicæ*, remque Christianam, dum insemetipsos Christiani Princi-

pes

pes ac Status sæviunt, derelictam consideremus: idque juxta reputemus Christiani nominis hosti ad Tyrannidem suam propagandam, jugumque servile Christianis imponendum, viam nullam expeditiorem esse posse, multis hisce inter se Christianorum odiis ac certaminibus. Est vero in manu ac potestate Vestra situm longe salubriori remedio, quam quod vel in belli flagrantis continuatione, vel novi accumulatione quæri possit, & rei Christianæ & fœderato Vestro consulere: Nimirum si adhibita amica dehortatione a cœpto eum dimovere & ad meliora inducere, promptaque præterea pace difficultates & exortas & subnascentes omnes tollere ac præcidere volueritis. Atque ut de pacifica Nostra mente eo certiores esse possitis, sanctissime Vobis asseveramus, Nos, ut maximopere dolemus, Electorem Brandenburgicum ea properanter nimis amplecti voluisse consilia, quæ nec congrua fœderi Nobiscum pacto nec affectui sincero, quo eum prosecuti semper sumus, aut paci pacisque promovendæ studiis, quæ in commune Nobiscum collatarum se præ se tulit, consona: Ita simul ac Elector vel sponte, vel suasu ac officiis Vestris permotus, cum milite suo regressus fuerit, ad ea præterea transierit consilia, quibus non ut jam longius se moveri publica quies, sed facilitari poterit, pacis quoque Westphalicæ Nostræque ex ejus sincera observantia ac guarantia dependenti securitati ac incolumitati, cautum satis esse posse perspexerimus; Nos ad priorem mutuam fiduciam restabiliendam obvios ei omni promptitudine futuros, Nostrasque copias continuo ex

terris

terris Electoris, quas forte fuerint ingressæ, deducturos: id denique acturos, ut perspicuum orbi sit, arma Nostra, a nobis mota, non agi cupidine quadam bellum ex bello serendi, nec eos adjuvandi conatus, qui paci adversantur, aut alios lædendi opprimendive; eaque nullum sive ad Electorem pertinentem, sive in Imperio alibive locum occupandum ac retinendum sibi destinasse? Verum ad Pacem promovendam juraque ac fœdera Nostra tuenda solummodo spectare. Speramus autem, hanc Nostram assecurationem fidemque, quam Vobis damus, de vero ac Pacis studiosa intentione Nostra securos Vos reddere posse: adeoque effecturam, ut ipsimet deprehendatis, causam nullam esse justam ac legitimam, quæ Vestra in Nos arma provocare possit: quin etiam ad eas rationes animum adjiciatis, quæ & in pacem propensionem, quam laudabiliter sæpius ac iteratis vicibus contestati estis, comprobare poterint, spemque confirment, quam concepimus, affectui, quo Vobis salutique Vestræ optime cupimus, parem Nos apud Vos experturos. Sin autem aliter evenerit, quod Deus tamen avertat! Justitia quæ a Nobis stat, nitemur, fiducia certa freti, causam Nostram optimamque Intentionem & Deum Adjutorem omni exoptando successu & pacis cunctos ac æqui amantes fautores inventuram. Interea vero nec a proposito, ne latum quidem, quod dicitur, unguem dimovemur, quod semper Nostrum fuit, amice Vobiscum vivere: nec remissum reperietur, quod Nos omni tempore tenuit, desiderium & publicæ ac communis quietis, & amicitiæ ac sinceri animi argumentis

sic

ſic Vobiſcum certandi, ut ambigi poſſit, paratiores ne Nos fuerimus, an Vos promptiores ad ea ſtudia, quibus mutua Nos inter amicitia diuturna conſervari & in ſecula propagari poſſit. Quæ omnia cum Legatus Noſter Extraordinarius ac Aulæ Cancellarius, Generoſus ac Nobilis Nobis ſincere fidelis Edwardus Ehrenſtein, Hæreditarius in Forsbygard, Lindeſiæ & Brackesdorp uberius expoſiturus erit, eo nos referimus, eaque de cauſa haſce finientes Deo optimo maximo Pacis Autori Vos animitus commendamus, fauſta quævis ac felicia Vobis apprecantes. Dedimus in arce Noſtra Holmenſi die 5. Menſi Decembris, Anno 1674.

*Veſter Bonus Amicus & Fœderatus*

CAROLUS.

H. Hoghuſen.

## DCIX.

*Literæ CAROLI XI. Suecorum Regis, ad PROCERES S. R. IMP. per Delegatos in Comitiis Ratisbonenſibus congregatos, quibus ipſi motum contra Electorem Brandenburgicum bellum, velut juſtum & totius Imperii conſenſu ac patrocinio dignum, probatum it, ſeque infucata in pacem univerſalem propenſione duci, ſollicite aſſerit, 1674.*

Nos Carolus, Dei Gratia Suecorum, Gothorum & Vandalorum Rex &c. Reverendiſſimis, Sereniſſimis, Celſisſimis, Illuſtrisſimis, Reverendis, Illuſtribus, Magnificis, Generoſis & Spectabilibus

bilibus Romani Imperii Electoribus, Principibus & Statibus respective Consanguineis & Amicis nostris Clarissimis, ut & Nobis sincere grateque dilectis, salutem & prosperos rerum successus.

*Reverendissimi, Serenissimi, Celsissimi, Illustrissimi, Reverendi, Illustres, Magnifici, Generosi & Spectabiles Romani Imperii Electores, Principes & Status respective Consanguinei & Amici Clarissimi, ut & sincere grateque dilecti.*

Quod non vana fuerit nostra quam testabamur initio horum, qui primo viciniam adoriebantur, belli motuum sollicitudo, & quod non frustra Celsitudines Vestras Electorales, Dilectiones Vestras, & Vos, ad adæquata huic malo remedia præparanda & ibi in publicis Imperii Comitiis & seorsim per Ablegatos Nostros in Aulis Celsitudinum Vestrar. Electoralium, Dilectionum Vestrarum & apud Vos requisiverimus, eventus rei, qui ob oculos versatur, ubique funestus abunde satis approbavit; serpendo enim turbæ hæ regione ex una in alteram & vicinorum & Imperii Statuum, quorum plerique tamen per leges Imperii & gentium, erant enim a culpa & a causa belli omnino liberi, ab ista belli injuria debuissent esse immunes, cuncta vi & flammis absumunt, & publicam Germaniæ rem iis exponunt calamitatibus, quod de unquam reparanda ejus salute merito desperaremus, nisi in unicum, in opem nempe divinam, veram & sacram illam fluctuantis ac fere deper-

difficiles & longos, dummodo Vobis sociis & Amicis Nostris Vestræque saluti consulatur; de fido erga Vos animo nostro dubitari minime posse. Atq; hæc considerantibus Nobis, deque eo insimul sollicitis, ut consilia vobiscum jungere possemus pro publica tranquillitate tum restituenda tum restituta munienda, lætisque præterea, quod favore omnipotentis, Res vestræ feliciter restauratæ, Pacem jam propinquam promittere velle viderentur, in exspectatum accidit, ea Nobis annuntiari, quæ nihil minus, quam amica præ se ferunt consilia, nimirum de armis in Nos suscipiendis apud Vos agi, copiasque lustrandas & adversus Nos quamprimum educendas, Vos decrevisse: Et quidem ea de causa, quod cum Elector Brandenburgicus, præter spem, quam in fœdere Nobis dedit, nuperrime Nobiscum inito, & cujus est unus scopus, quietis in Imperio cura, nec ad Instrumentum Pacis, cujus tutela etiam Nobis incumbit, attendens, adeoque non ut cæteri Imperii Status copiis pro rata cum aliis in Imperii defensionem sociatis, sed justo misso exercitu ea arripuerit consilia, quæ nec paci procurandæ, quæ prætenditur, conveniunt, nec tuta Nobis, siquidem, quæ pertulit Imperium jam longo tempore mala, graviora faciant, securitatemque vigore Pacificationis Westphalicæ competentem dubiam ac incertam reddant. Nos idcirco intermittere ea non potuerimus, quæ & Pacis Westphalicæ Guarantia Nobis imperat, incolumitasque propria suadet. Atque est hoc ipsum ejusmodi, ut merito Nos summopere commoveat, sive sincerum Nostrum erga Vos affectum, sive curam intueamur, qua publicæ

blicæ quieti jam diu ac indefeſſi allaboramus. Nam quod veteri Regnum inter Noſtrum Statumque Veſtrum amicitiæ firmiter inhæreamus: eamque, poſthabita omni alia conſideratione, illæſam conſervandam omni tempore duxerimus: quod etiam Rempublicam Veſtram omni ſemper favore & conſtanter amplectamur: quod denique paratos Nos non ſemel conteſtati fuerimus, ad omnia ea, quæ nexui Nos inter mutuo robur adhuc majus addere poſſent; ejus vero longe aliam rationem habendam pro æquanimitate Veſtra ipſi procul dubio dijudicabitis, quam ut ea, quæ hoſtibus, quam Confœderatis conveniunt, magis in Nos decernantur. Nec etiam opera, quam ab omni Partium ſtudio remotam, Paci & Vobis & Orbi reſtituenda commodamus, id promereri videtur, ut locum apud Vos conſilia ulla inveniant, quæ Noſtro cum periculo ſecuritatisque Noſtræ imminutione conjuncta eſſe poſſint. Eſt equidem laude digna illa Vox, qua fœdera Veſtra Veſtrosque Fœderatos curæ Vobis profitemini: verum dum ſuaſores exemplo Veſtro eſtis, ut fides data non deſeratur, ipſimet Vos alienum quoque a juſto ſtatuatis neceſſe eſt, ut in Nos arma ideo capiantur, quod nec fœderato Noſtro nec fœderi ſancito deeſſe queamus aut velimus. Nec enim eſt fœdus Noſtrum cum Sereniſſimo Rege Galliæ Chriſtianisſimo ita comparatum, ut novum dici posſit, aut tale, quod præſentibus motibus ortum ac vires ſuas ſolummodo debeat. Sed ei ſuperſtructum ſtat fundamento, quod tempore ac ætate Bellum, cui Vos implicati eſtis, multum

ante-

antecedit, eamque a Nobis occasione quoque hujus temporis exigit observantiam; quæ nobis incubuisset, minime licet enata fuisset inter Regem Christianissimum & Vos armorum illa contentio quæ adeo infeliciter tot Principes ac Potestates in Europa in mutuas cædes agit. Et certe si fœderum jura sociis munimento esse debeant, spes merito est, sic aliorum fœderatorum vestrorum causam Vobis suscipiendam esse, Vos existimaturos, ut insimul cavendum omnino censeatis, ne in detrimentum Nobis nihil tale promerentibus cedat, cum fœdera quoque Vobiscum habeamus & antiqua admodum & sæpius renovata, nec ut fœderatum Vestrum subvertamus, cœco belli studio accensi annitamur, sed in eo occupati solummodo simus, ut quæ Nobis ab illius inceptis imminent pericula, iis avertendis tempestive, & prout salus Nostra requirit, obviam ire queamus. Si enim aliud Vobis consilium; erit id quidem non fœderis aut fœderati defensionem, sed conatuum illius Nobis periculosorum adversus Nos patrocinium agitare: Id quod de Vobis vel suspicari integerrima Nostra ac minime fucata in Vos propensio prohibet. Atque ut præterea negotium, quod Nobis cum Electore Brandenburgensi intercedit, a Rationibus Vestri Status est remotum, cum ad Germaniæ duntaxat pertineat quietem, eoque solummodo spectet, ne Westphalica Pax penitus proteratur, legesque ejus ludibrio omnino fiant, ac in totum vilescant, adeoque Nos tranquillitatem Imperii optasse magis, quam defendisse videamur: Ita nec offensæ causam ullam subministrare Vobis jure possunt arma Nostra

Noſtra, quæ Neceſſitas Nobis proſpiciendi movenda jus ſit. Nullum enim imprimis bellum Vobis inferendum intendunt, quod etiam tunc temporis pro amore ſalutis Veſtræ, procul habuimus, cum res Veſtræ adverſæ fiduciaque ſucceſſus ad id invitare potuiſſent. Nec eſt præterea etiam damni aut periculi quidquam ab iis metuendum Vobis, quod vel fœderatorum auxilia avertant, quo citius pereatis, vel Vos, ne amiſſa recuperetis, impediant. Nam in eo jam Statu Benignitas Divina Vos collocavit, ut propriis nunc viribus ſecuri ac muniti non opus habeatis, ut ad Rempublicam Veſtram, vel in priſtinum ſtatum reſtituendam vel conſervandam aliorum accedant auxilia, ne dum ea, quæ Pacis Weſtphalicæ (ea vero, ut ſarta tectaque maneat, Veſtra quoque intereſt) periculo, totque in Imperio Statuum, quorum penates belli jam moles involvit, ruina miſereque pereuntium gemitu conſtant. Itaque horum omnium intuitu nulli dubitamus, quin ipſimet ſtatuatis, arma, quæ in Nos expediveritis, juſta dici non poſſe, quia nec neceſſaria: eaque de cauſa eo fore culpam graviorem, quæ ſpe pacis, quæ apparere rurſum rediviva cœpit, penitus everſa, nulloque periculo impellente bello jannam erumpendi aperuerit novo, & cujus finem facturus dies aut terminus animo concipi non poteſt. Atque horret imprimis animus cum alia intuentes concomitatura Nos inter colliſionem mala, irruentem inſimul Chriſtiani Orbis antiquum illud antemurale *Poloniæ* Regnum, aſſilientem furorem *Portæ Ottomannicæ*, remque Chriſtianam, dum in ſemetipſos Chriſtiani Princi-

pes

pes ac Status sæviunt, derelictam consideremus: idque juxta reputemus Christiani nominis hosti ad Tyrannidem suam propagandam, jugumque servile Christianis imponendum, viam nullam expeditiorem esse posse, multis hisce inter se Christianorum odiis ac certaminibus. Est vero in manu ac potestate Vestra situm longe salubriori remedio, quam quod vel in belli flagrantis continuatione, vel novi accumulatione quæri possit, & rei Christianæ & fœderato Vestro consulere: Nimirum si adhibita amica dehortatione a cœpto eum dimovere & ad meliora inducere, promptaque præterea pace difficultates & exortas & subnascentes omnes tollere ac præcidere volueritis. Atque ut de pacifica Nostra mente eo certiores esse positis, sanctissime Vobis asseveramus, Nos, ut maximopere dolemus, Electorem Brandenburgicum ea properanter nimis amplecti voluisse consilia, quæ nec congrua fœderi Nobiscum pacto nec affectui sincero, quo eum prosecuti semper sumus, aut paci pacisque promovendæ studiis, quæ in commune Nobiscum collatarum se præ se tulit, consona: Ita simul ac Elector vel sponte, vel suasu ac officiis Vestris permotus, cum milite suo regressus fuerit, ad ea præterea transierit consilia, quibus non ut jam longius se moveri publica quies, sed facilitari poterit, pacis quoque Westphalicæ Nostræque ex ejus sincera observantia ac guarantia dependenti securitati ac incolumitati, cautum satis esse posse perspexerimus; Nos ad priorem mutuam fiduciam restabiliendam obvios ei omni promptitudine futuros, Nostrasque copias continuo ex

terris

terris Electoris, quas forte fuerint ingressæ, deducturos: id denique acturos, ut perspicuum orbi sit, arma Nostra, a nobis mota, non agi cupidine quadam bellum ex bello serendi, nec eos adjuvandi conatus, qui paci adversantur, aut alios lædendi opprimendive; eaque nullum sive ad Electorem pertinentem, sive in Imperio alibive locum occupandum ac retinendum sibi destinasse? Verum ad Pacem promovendam juraque ac fœdera Nostra tuenda solummodo spectare. Speramus autem, hanc Nostram assecurationem fidemque, quam Vobis damus, de vero ac Pacis studiosa intentione Nostra securos Vos reddere posse: adeoque effecturam, ut ipsimet deprehendatis, causam nullam esse justam ac legitimam, quæ Vestra in Nos arma provocare possit: quin etiam ad eas rationes animum adjiciatis, quæ & in pacem propensionem, quam laudabiliter sæpius ac iteratis vicibus contestati estis, comprobare poterint, spemque confirment, quam concepimus, affectui, quo Vobis salutique Vestræ optime cupimus, parem Nos apud Vos experturos. Sin autem aliter evenerit, quod Deus tamen avertat! Justitia quæ a Nobis stat, nitemur, fiducia certa freti, causam Nostram optimamque Intentionem & Deum Adjutorem omni exoptando successu & pacis cunctos ac æqui amantes fautores inventuram. Interea vero nec a proposito, ne latum quidem, quod dicitur, unguem dimovemur, quod semper Nostrum fuit, amice Vobiscum vivere: nec remissum reperietur, quod Nos omni tempore tenuit, desiderium & publicæ ac communis quietis, & amicitiæ ac sinceri animi argumentis

sic

ſic Vobiſcum certandi, ut ambigi poſſit, paratiores ne Nos fuerimus, an Vos promptiores ad ea ſtudia, quibus mutua Nos inter amicitia diuturna conſervari & in ſecula propagari poſſit. Quæ omnia cum Legatus Noſter Extraordinarius ac Aulæ Cancellarius, Generoſus ac Nobilis Nobis ſincere fidelis Edwardus Ehrenſtein, Hæreditarius in Forsbygard, Lindeſiæ & Brackesdorp uberius expoſiturus erit, eo nos referimus, eaque de cauſa haſce finientes Deo optimo maximo Pacis Autori Vos animitus commendamus, fauſta quævis ac felicia Vobis apprecantes. Dedimus in arce Noſtra Holmenſi die 5. Menſi Decembris, Anno 1674.

*Veſter Bonus Amicus & Fœderatus*

CAROLUS.

H. Hoghuſen.

## DCIX.

*Litera CAROLI XI. Suecorum Regis, ad PROCERES S. R. IMP. per Delegatos in Comitiis Ratisbonenſibus congregatos, quibus ipſi motum contra Electorem Brandenburgicum bellum, velut juſtum & totius Imperii conſenſu ac patrocinio dignum, probatum it, ſeque infucata in pacem univerſalem propenſione duci, ſollicite aſſerit, 1674.*

Nos Carolus, Dei Gratia Suecorum, Gothorum & Vandalorum Rex &c. Reverendiſſimis, Sereniſſimis, Celſisſimis, Illuſtrisſimis, Reverendis, Illuſtribus, Magnificis, Generoſis & Spectabilibus

bilibus Romani Imperii Electoribus, Principibus & Statibus respective Consanguineis & Amicis nostris Clarissimis, ut & Nobis sincere grateque dilectis, salutem & prosperos rerum successus.

*Reverendissimi, Serenissimi, Celsissimi, Illustrissimi, Reverendi, Illustres, Magnifici, Generosi & Spectabiles Romani Imperii Electores, Principes & Status respective Consanguinei & Amici Clarissimi, ut & sincere grateque dilecti.*

Quod non vana fuerit nostra quam testabamur initio horum, qui primo viciniam adoriebantur, belli motuum sollicitudo, & quod non frustra Celsitudines Vestras Electorales, Dilectiones Vestras, & Vos, ad adæquata huic malo remedia præparanda & ibi in publicis Imperii Comitiis & seorsim per Ablegatos Nostros in Aulis Celsitudinum Vestrar. Electoralium, Dilectionum Vestrarum & apud Vos requisiverimus, eventus rei, qui ob oculos versatur, ubique funestus abunde satis approbavit; serpendo enim turbæ hæ regione ex una in alteram & vicinorum & Imperii Statuum, quorum plerique tamen per leges Imperii & gentium, erant enim a culpa & a causa belli omnino liberi, ab ista belli injuria debuissent esse immunes, cuncta vi & flammis absumunt, & publicam Germaniæ rem iis exponunt calamitatibus, quod de unquam reparanda ejus salute merito desperaremus, nisi in unicum, in opem nempe divinam, veram & sacram illam fluctuantis ac fere deper-

ditæ rei anchoram reclinandi nobis supereſſet Aſylum. Recordari enim Celſitudines Veſtras Electorales, Dilectiones Veſtras & Vos optime, non dubitamus, quanta cura, quam ſincero ac indefeſſo deſiderio, & quot impenſis per diverſas ad omnes, qui bello involvebantur primo Reges & Status miſſas Legationes, ſtudium reconciliationis & pacis commendavimus, & quod exantlatis, quæ exoptatiſſimum hoc negotium ſufflaminabant, difficultatibus a cunctis belligerantibus congreſſum, qui Coloniæ Agrippinæ non ita pridem pro perficiendo ſalutari hoc opere celebrabatur, tandem evicerimus partibus ibi præſentibus, quamvis earum prætenſiones ex motu fortunæ belli aggraveſcebant vel remittebantur, & maximæ erat molis animos dolore amiſſi excitatos & forte elatos propitia & his & illis aut indignantes aut bene cupientes, omnes vero inimicos ſibi invicem infenſiſſimos ad moderatiores demulcere pacis conditiones, ſpes tamen affulgebat, potuiſſe Legatos Noſtros, qui ſumma integritate & prudentia officio mediationis, cui ſoli invigilabant, perfungebantur, ardua hæc & invia exæquare, & poſtulata uniuſcujusque in quantum immoderata ad lancem æquitatis componere, niſi infauſtus de Principis Wilhelmi captivitate & ſequeſtratione argenti Gallici caſus operam illam noſtram, & ſimul omne, quod Chriſtianus Orbis ſibi exinde promittebat, ſolamen interverriſſet. Conquerebantur enim Legati Galliarum Regis, quorum nimis feſtinatum, cum commiſſa publico condonari potuiſſent bono, non utique probamus, diſceſſum,

nul-

nullam sibi relinqui securitatem illo in loco, quem fides publice data, cujus sponsorem & depositarium virtute muneris Mediatorii Nos reddidissemus, inviolabilem præstare debuisset ac sanctum & abeuntibus iis, reliqui ansam sumebant & prætextum Plenipotentiarii se etiam ad suos, cum reditus istorum tam brevi non sperari poterat, recipere Dominos. Quo communis inde res faciem sortita est magis deploratam, eo fortius contra hunc fortunæ tranquillitatem Christianitati invidentis ictum eundem rati, Legatos iterum nostros ad Imperatorem, Regem Galliarum, & Ordines uniti Belgii misimus, iis mandatis, ut remotis, quæ priorem eruperant tractatum, obstaculis desiderium tranquillitatis iis omnibus, & per eos illorum Confœderatis insinuarent, mitigarent ubique conditiones pacis, simulque operam darent, quo induciæ generales obtineri, & per eas animi ad ponendam, ac defuescendam primo iram & inimicitiam, ac dein admittenda remedia reliqua, quæ illam penitus eradicare, & in omnimodam a tota Christiana gente tam anxie desideratam reconciliationem & pacem convertere possent, quo ita restitutus denuo pacificationis tractatus potius consummando & ultimam manum applicando inservire posset. In hoc agendi modo, ut a nobis optima ac integerrima fide publicæ saluti unice destinato, ita & ab omnibus, quorum interest, rem solam Imperii absque reflexione ad exterorum commoda habere sartam & salvam sæpius comprobato, hæremus adhuc non parum anxii & solliciti de exoptato hujus negotiationis eventu; meliora nos quidem

ſperare jubent, quod omnes deſiderium pacis ingens & pertæſos ſe effuſionis Chriſtiani ſanguinis profiteantur, verum non econtra parum contriſtamur, quando expendimus non admitti medicinam, quæ morbo præparatur, & ſola ei videtur ſalutaris, non removeri per reſtitutionem detenti Principis, cujus quidem commiſſa non excuſamus, ſed quod iis, ob pacis favorem ignoſci potuiſſet, optaſſemus, obſtacula, quæ Tractatus reaſſumptionem hactenus impediunt, non conſentiri Armiſtitium, niſi iis conditionibus, quæ parte adverſa pene devicta, forſan non expectari, aut ad minimum, niſi cum ipſa pace rite poſtulari potuiſſent, & quod in partes trahantur, vel eant Principes illi, qui maximum pacis ſtudio fomentum afferre voluiſſent, ſi a belli operatione abſtinuiſſent, ad eam tamen omnibus quibus pollent viribus parati, ſi neceſſitas vel favor publici illud poſtulaſſet, & ad ſerio & cum autoritate exponenda, quæ pacem evincere potuiſſent, argumenta. Qui ut maxime ſalutaris, ita & ſolus & unicus hic noſter fuit ſcopus, cum transmitteremus, qui in noſtris Imperii Provinciis commoratur, militem, quem & quamvis immenſis ſumptibus noſtris, & noſtrorum ſubditorum onere graviſſimo ibi diutius eundem in finem adhuc retinuiſſemus, niſi nobis præter ſpem, & quod ſummopere dolet, obveniſſet controverſia quædam cum Domino Electore Brandenburgico ſingularis, & illa ſimul neceſſitatem nobis impoſuiſſet, arma noſtra ad vindicandam, quæ Dominus Elector & per leges Weſtphalicæ pacis & noſtra cum ipſo inita pacta tenetur, fidem, ipſi aliquo propinquius & in

ipſis

ipsis ditionibus suis tamen absque ulla ulteriori ac hostili operatione monstrare. Cognita sunt enim Celsitudinibus Vestris Electoralibus, Dilectionibus Vestris & Vobis, quæ a toto Imperio, ut Coronæ Galliarum in Instrumento pacis §. Et ut eo sincerior, &c. aperte, ita & Regibus & Regno Sueciæ in diversis earundem pacis tabularum passibus implicite & per sanam consequentiam de earundem ambarum Coronarum hostibus extra Imperium per suppetias non juvandis, sancte promissa sunt, & quod nos cum alte memorato Galliarum Rege, prius tamen, quam nobis dabatur de ejus futura cum Imperio simultate, ullam habere suspicionem pro roborando isto quoad Coronarum securitatem tanti ponderis articulo non solum, verum etiam pro exacta tranquillitatis & omnium, quibus Imperii Ordines sanctionis virtute illius gaudent & gaudere debent, jurium & beneficiorum observantia certa inivimus pacta, de quibus statim, postquam conclusa fuerunt, Celsitudines Vestras & Vos, & præprimis Dominum Electorem Brandenburgicum per expressam certiorem reddidimus ablegationem. Quemadmodum etiam nec ille, nec reliqui hanc nostræ & Imperii saluti debitam curam damnarant, verum plerique illam maxime-arbitrati sunt salutarem, ac quod magis est, Imperator ipse vigore singularis cum Gallia desuper fere sub eodem ac nos paciscebamur dato, conclusi fœderis approbavit, declarando nimirum sensum illius §. eo modo, prout nos in nostris pactis eum, ut genuinum, merito agnovimus. Cum ergo hæc

non minus, ac reliquæ Imperii pragmaticæ leges, debeat esse salva, non possumus, quin maxime doleamus, quod alte memoratus Dominus Elector, ejus immemor esse voluerit, mittendo, quæ constitutio hæc non probabat, exteris auxilia, & promittendo illa per expressa æque, qua istum casum cum exteris prohibita, fœdera, & quod nos illo suo facto adegerit, compertum cuique reddere, quod nobis illud, uti juxta amussim legum Imperii par est, displiceat. Non enim inficias imus, Dominum Electorem non minus, ac reliquos Imperii Electores, Principes, ac Status fuisse obstrictum, per eam, quam Imperio debebat, fidem arma, speramus tuto satis & expensis, quæ bellum sequuntur, debita cura incommodis, promulgare contra Galliam decreta, ac stringere simul in defensionem Imperii, quam etiam nullatenus in dubium vocamus; ast nescimus, num voluisset ultra quantum Imperio, juxta ejus catastrum, debitum, omnes suas vires educere & elargiri, nisi per præmemorata cum exteris conclusa pacta, & spe insignis cujusdam commodi ea spospondisset. Tantum abest etiam a nobis invidere tam exteris, quam præprimis illis Imperii Principibus ac Statibus, qui multa & gravia ab exercitibus Gallicis contra leges Imperii perpessi sunt, hanc Domini Electoris opem, quod nosmetipsi oppressis suppetias venissemus numero militum juxta matriculam debito, nisi qua officium Mediatoris sustinentes non ausi fuissemus quædam committere, quæ ab adversa secus interpretari potuissent parte, & muneri mediatorio aliquam excitare suspicionem. Nihilominus tamen

omnem,

omnem, quem potuimus per Legatorum Nostrorum serio factam repræsentationem movimus lapidem, quo damna a Gallis Imperio reparari, ac eorum progressus contra Hollandiam sisti, eosq; inter ac eorum utrinque Confœderatos pax æqua & universalis procurari posset, declarando palam, paratum esse nostrum absque partium studio militem ad evincendum contra inique refractarios ejusmodi justam tranquillitatem. Et quo verbis illis, sufficientes, etiam vires reddere possemus, in societatem honesti illius & sinceri propositi, quemadmodum Celsitudines Vestræ & vos, uti Imperii Electores, Principes & Status, quamvis plerosque ob hanc vel illam fundatam male suspicionem incassum requisivimus, ita & Dominum Electorem separatim invitavimus, & per fœdus cum ipso non ita pridem sub dato 1. Decembr. elapsi anni conclusum astrinximus; Quod cum pax & tranquillitas publica non parum sit labefactata consultum utrinque visum fuerit, ut reducendæ eidem omnis porro sine mora impenderetur cura. Et sicuti Dominus Elector nostra ei scopo hactenus impensa officia multis elogiis in eodem fœderis art. 4. maxime probat, ita nobiscum in eum agendi modum porro condescendit. Quod nempe ambo eadem via ulterius procedere ac belligerantibus & conjunctim & separatim cum per literas, tum per Ministros & Legatos omnia belli mala exponere, eosque serio hortari vellemus, ut Orbi Christiano, æquis admissis conditionibus, pacem reddant. Ast vero, si hæc officia, labor & industria frustra fuerint, omnesque amicæ hortationes, fida consilia, oblataque con-

veniente loco & tempore media, quamvis repetita, nullum locum invenirent, nec æquæ conditiones admitterentur, eo casu & Nos & Dominus Elector nihilominus constans nostrum promovendæ conservandæque pacis propositum simul aliquando significantius testari deberemus, quam nobis hæc displiceant, ac simul conferre statim inter nos consilia, qua ratione, pro temporis rerumque statu officiis ad usque frustra impensis tandem locus aliquis a belligerantibus daretur. Reservavit quidem in articulo quodam separato sibi Dominus Elector liberiorem quendam agendi modum, meditando procul dubio clam nobis ea, quæ jam eruperunt, priori adversantia consilia obligationi. Verum cum adderetur, quod consiliis, quæ alter foveret, alteri confœderato mature & justo tempore prius communicatis, id omni studio agi deberet, quo deliberata satis re, & examinatis consiliis inter se convenire possent; Nobis suspicari non licuit, voluisse Dominum Electorem per illum articulum, & promissum promovendi pacem amice methodum & scopum invertere, qui fœderi erat prope unicus ac maxime salutaris, observantiam nempe Instrumenti Pacis, qua beneficium ambabus Coronis super indigitato §. stipulatum, & ejusmodi tam pace, quam hujus fœderis tabulis dilucide adversum exequi propositum, priusquam juxta fidem eorundem pactorum super ardua illa resolutione nobis sua ut justa & licita probasset consilia. Innotuerunt enim nobis illa non citius, quam cum simul clarigatio Galliæ & exercitus contra illam educeretur, quamvis Ablegato Nostro,

ſtro, Tribuno Wangelin, in Aula Domini Electoris præſente, & ſummo ſtudio interjectis querelis cauſam perquirente, quod intentio tanti momenti, & ſuper qua tam frequentes cum exterorum Miniſtris inſtituerentur communicationes, illum celaretur. Verum quemadmodum methodus illa agendi præmemoratorum fidei pactorum adverſabatur, ita illam nec nos merueramus, cum Domino Electori in recenti adhuc verſarentur memoria optima noſtra pro reconciliatione ipſius cum Rege Galliarum impenſa officia, & quod, dum ſuadebamus compoſitiones, illam a parte Electoris, cum jam hoſtem in ipſis ditionibus ſuis circumſpiceret, tam flagranter deſideratam ſimul Galliæ ſpondebamus (quo datæ fidei nexu adhuc obſtringimur) fore illam conſtantem ac duraturam. Dominus Elector præcipuam expeditionis hujus cauſam tribuit quidem in literis, quibus de hoc ſuo certiores nos reddit propoſito, Gallorum contra pacem ubique perpetratæ in Imperio violentiæ, & quod multis teneatur rationibus ei cum reliquis Imperii ſtatibus fortiter obviam eundi, nec nos eam magis, quam reliqua Imperii membra excuſamus, cum fuerint gravia & intoleranda inde ſubſecuta. Aſt cum alte memoratus Galliarum Rex, cui omnia illa per Legatos noſtros ſæpius ob oculos poni fecimus, regeſſerit, promtum ac paratum ſe reſarcire illa, a ſuis ex ratione interdum belli, & ad avertenda, quæ in ſtatum ſuum mala machinabantur, illata detrimenta, modo & adverſarii, qui forſan non minora peccaſſent, contra pacem læſos redderent indemnes: Conſideramus ex mu-

 tuo

tuo hoc ſatisdandorum, induciarum ac reſtituendorum conſenſu, qui etiam ex æquitatis & egregii publici dictamine temperari & componi potuiſſet, publico belli & diſſidiorum morbo propiorem & propitiorem medicinam potuiſſe conciliari, quam ex dubio vindicandarum injuriarum ſucceſſu expectari queat, hoc eſt, promtiorem obtineri potuiſſe pacem, facie rerum, ut antea diſpoſita, noſtris nempe & Domini Electoris, ac reliquorum extra operationem belli adhuc conſtitutorum Principum, ad extorquendam a renitentibus & iniquis quietem, armis paratis & conjunctis, quam quæ nunc ſperari queat, cum eorum vires diſtractæ in partes iverint, in mutuas cædes ruant, eventum rei fallaci ſortis arbitrio relinquant, & ſuperſtites rem reducendi ad juſtum æquilibrium forſan non ſufficiant, præſertim cum per eam partium multiplicationem multiplicatæ ſint ſimul earum prætenſiones, gravamina & ſtudia & pacificationes, ſi benignum rei manum admoveat Numen, futura impoſterum res multo quam antea difficilioris operis & negociationis. Quapropter cum leges Imperii aperte ſatis prohibebant ea, quæ Exteris Dn. Elector præſtitit auxilia, Hollandi cum primis illis non indigebant, cum per benignam Dei curam ultra & citius, quam ſperari poterat, priſtinos ſtatus ſui fines poſtliminio jam recepiſſent, per illud vero, quod nobiſcum pepigerat, fœdus, non etiam concedebantur, ad minimum nobis inconſultis rite mitti non poterant, noſtræ etiam cum Gallia initæ unioni, quæ ut ſuperius jam dictum, expreſſæ pacis Weſtphalicæ innite-

teba-

tebatur dispositioni, directo quemadmodum Domino Electori optime erat compertum, adversabantur, ideoque per illos trium fœderum nexus necessitas, nisi secus servatæ fidei famæ, quam tamen pejus omni periculo aversamur, Nos exponere velimus, nobis imposita per cuncta, quæ negotio sufficiant, media tentare, quo Dominus Elector ad observantiam istorum fœderum reduci possit, & quandoquidem eum in finem partem exercitus nostri in ditiones Domini Electoris Brandenburgici eduximus, non quo ullum hostilis animi actum miles noster exerceat, verum ut amice ibi subsistat, donec legibus pacis Westphalicæ & nostræ confœderationis debito satisfactum, ita confidimus a Celsitudinibus Vestris Electoralibus, Dilectionibus Vestris & Vobis hoc remedium nostrum, quo saluti pacificationis & sanctitati pactorum unice velificari intendimus, non tantum non sinistre latum, ac veluti actum tranquillitati contrarium Imperii expositum, verum potius nos a Celsitudinibus Vestris & Dilectionibus Vestris & Vobis, ut compaciscentibus & sponsoribus sæpius prædictæ pacis Westphalicæ adjutum iri, quo Domino Electori satisdatio justi nostri ac æquissimi desiderii persuaderi possit, eaque spe tanto majori fiducia nitimur, quia credimus, non posse nec velle Celsitudines Vestras Electorales, Dilectiones Vestras & Vos a nostro proposito, cum fuerit usque in hunc diem adeo sincerum, honestum & Imperio salutare, alia vel ipsas conjicere, vel persuasas ab aliis admittere, quam quæ & in futurum isto cum saluberrimo scopo convenire, & ipso testari facto

queant;

queant; quam ut amicitiam cum Celſitudinibus Veſtris Electoralibus, Dilectionibus Veſtris & Vobis ſemper cupimus ſalvam atque intemeratam, ita etiam illam nos omni, quo valemus ſtudio, quavis occaſione ſervabimus; Innatus enim nobis eſt ille cultus & hæc propenſio, cum gloriemur Nos ex Illuſtriori Principum Imperii ſtirpe progenitos, & ſicuti de cætero nobis ſuſpicari non conceſſum, intermortuam eſſe memoriam meritorum, quibus anteceſſores noſtri, Reges Sveciæ, ob vindicatam Germaniæ libertatem ac quietem in tantum inclaruerunt, ita & ea omnia hoc ad minimum operatura confidimus, ut de actionibus noſtris ad Inſtantiam nobis & publicæ ſaluti male cupientium nihil ſiniſtri vel inimici credere velitis, donec earum integritatem & promptiſſimum noſtrum ad reconciliationem cum Domino Electore animum aliquo exactius indagare posſitis, quibus Celſitudines Veſtras Electorales, Dilectiones Veſtras & Vos ad quævis proſpera & ſtatus incrementa protectioni Divinæ commendamus. Dabantur in Arce noſtra Holmenſi, die 16. Dec. Anno 1674.

Celſitudinum Veſtrarum Electoralium, Dilectionum Veſtrarum

*Bonus Conſanguineus Fœderatus & Amicus*

Vobisque

*Singulari benevolentia affectus*

CAROLUS.

F. Joël Ornſted.

DCX.

## DCX.

*Litera LAURENTII CHRISTOPHORI a SOMNIZ, Consiliarii Electoris Brandenburgici intimi, ad RECTOREM & PROFESSORES ACADEMIAE ARGENTORATENSIS, quibus nomine Electoris sui, pro habita in obitum CAROLI ÆMILII, Principis Electoralis Primogeniti solenni Panegyri, decentes gratias agit, 1674.*

Rector Magnifice, Professores admodum Reverendi, Amplissimi, Domini & Amici plurimum honorandi.

CUm Argentinensis Respublica nuper illustri documento Cæsari atque Imperio difficillimis temporibus, suam probaret fidem, Serenissimus Elector Brandenburgicus, Dominus meus indulgentissimus, & agnovit & prædicavit eam dignis modis. Nunc cum in gravissimo eodemque luctuosissimo casu, quando nimirum sua Serenitas Electoralis filium primogenitum Principem undiquaque florentissimum amisit, eadem Respublica dolorem suum declaraverit; Academia autem, quæ eadem Republica continetur pergrato officio & luculento scripto, luctum levaverit adeo insignem, grato profitetur animo sua Serenitas Electoralis, inde sibi, Domuique suæ Serenissimæ solatium accessisse, unde nuper Germaniæ universæ securitas & salus affulsit, idque ut Magnificentiæ Vestræ, Vobisque Patres Academici Amplissimi, significarem jussit; simulque Consiliario suo intimo, Nobilissimo Amplisſimoque Domino Francisco,

ciſco Meinertio, alumno olim Veſtro, nunc dexteritatis, ſolertiæ ac felicitatis Veſtræ in formandis ingeniis, grato & perpetuo teſti negotium dedit, ut affectum ſuum, ac grati animi ſenſum amplius declararet.

Ego autem, quantum debere me Vobis ſentiam, re ipſa teſtari, quam verbis exprimere mallem. Dabantur Colmariæ, die 18. Dec. 1674.

*Magnificentiæ & Amplitudinum Veſtrarum*
*ſtudioſiſſimus*

**Laurentius Chriſt. Somnitz.**

## DCXI.

*Litera JOHANNIS III. Poloniæ Regis, ad JOHANNEM GEORGIUM II. Saxoniæ Electorem, quem ſolutis pro duplici voto gratiis, reciproco deſiderio bene valere jubet, 1675.*

**P. P.**

Humaniſſimæ Serenitatis Veſtræ Literæ tanto Nobis ſunt gratiores, quanto majora optimæ illius erga Nos voluntatis exhibent ſpecimina, duplici utpote ornatæ & oneratæ officio, dum nempe Serenitas Veſtra non modo felicem Noſtram ad faſtigium Regni hujus evectionem gratulatorio proſequi plauſu, verum etiam proſperum vertentis anni recurſum, prolixo voluit augurari affectu. Utrumque eo excepimus animo, cui pro ſcopo erit, uti de univerſa Chriſtianitate, ita de Serenitate Veſtra omni officiorum genere mereri. Enim vero jam hac in ſtatione contra profeſſum Nominis Chriſtiani hoſtem propitia haſtenus fortuna excubamus, in

qua

qua conceptæ de Nobis Orbis expectationi pro virili respondere adnitimur. Reciproco cæterum desiderio Serenitatem Vestram diu ac prospere valere cupimus. Datum in Castro Nostro Bratslaviensi ad Hyppanim die XXVI. Mensis Januarii Anno Domini M. DC. LXXV. Regni Nostri Anno primo.

DCXII.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad DUCEM de VILLA HERMOSA, recentem Belgii Hispanici Gubernatorem, cui aditæ tam insignis Provinciæ auspicia gratulatur, 1675.*

P. P.

Ditionum Belgicarum Gubernacula Serenissimi Potentissimique Regis Hispaniarum decreto Excellentiæ Vestræ demandata esse, perscriptæ ad Nos pertulerunt Literæ, atque illæ quidem cum studiosæ in Nos Voluntatis Vestræ, tum vel maxime Regii erga Nos animi obsides. Quæ prolixa sane testificatio vel eo pergrata Nobis extitit, quod non modo conceptam pridem de virtutis juxta & meritorum fama Excellentiæ Vestræ fiduciam Nobis haut vulgarem adaugeat, verum etiam quod commodas inde commonstrandæ Nostræ erga eandem benevolentiæ habituri simus causas simul atque occasiones. Quarum certe nulla Nobis nec antiquior nec optatior esse poterit, quam ubi pro ea, ac par est, rebus rationibusque Regiis una cum quiete publica pro virili promovendis, operam Nostram undiquaque promptis-

ptisſimam nonnullo cum fructu inſumere licuerit. De cætero Excellentiæ Veſtræ de felicibus adita tam inſignis Provinciæ auſpiciis gratulati, fauſtos ex omni parte rerum ſucceſſus, benevole precamur, Eandemque de propenſi animi Noſtri affectu quam perſuaſisſimam ſerio cupimus. Dabantur in Electorali Noſtra Dresda die 22. Febr. 1675.

## DCXIII.

*Litera CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad LEOPOLDUM, Rom. Imperatorem, quibus ipſum, qua ratione difficultas de commutandis ſalvorum conductuum tabulis enata, facilius removeri poſſit, edocet, 1675.*

Carolus ſecundus, Dei Gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Rex, fidei defenſor &c. Sereniſſimo, Potentisſimo & Invictisſimo Principi & Domino, Domino Leopoldo, divina favente clementia, Romanorum Imperatori, ſemper Auguſto, &c. Fratri, Conſanguineo & Amico Charisſimo ſalutem, perpetuamque felicitatem,

*Serenisſime, Potentiſſime & Invictisſime Princeps, Frater, Conſanguinee & Amice chariſſime.*

PErſpectæ ſunt Majeſtati Veſtræ infelices illæ difficultates in magno pacis negotio circa literarum Salvi Conductus articulum enatæ. Rem illam non ſine multa animi ægritudine nobiscum revolvimus, probabili Tractatus illius ſucceſſu, ci-

tra

tra remoram illam, sic satis effulgente, proindeque nullam omnino curam, nullamq; artem quam quidemCommunisGeneralisq; Mediatoris fides deposcebat, ad istas difficultates amoliendas, irrito licet hactenus successu, prætermisimus. Subiit tandem animum nostrum, partibus belligerantibus hoc consilii proponere, in id scilicet utrinque consentiant, ut moris hactenus recepti loco, quo illa Salvi Conductus Diplomata sibi invicem reciproca erogant, Nos soli Mediatoris Communis Provincia fungentes, salvi Conductus literas utrisque partibus elargiamur: Hæ vero restatum faciant, se ratas omnino ejusmodi literas nostras habituros, atque ut in omnibus ditionibus rite observentur, curaturos esse. Hanc equidem ex multis, quæ mentem nostram hac de re agitarunt, rationibus, tanquam omnium convenientissimam selegimus, adeoque ut talem Partibus bello contendentibus per Legatum nostrum Hagæ commorantem, proposuimus: Id quod Cæsareæ Vestræ Majestati præsentibus hisce significare æquum duximus, rationem hanc Cæsareæ Vestræ Majestatis benignitati, propensoque, quem in pacem semper exhibuit, animo commendantes, ut scilicet eam, prout tanti momenti res postulat, & meretur, idque juxta ampliorem, quam Cæsarea Vestras Majestas hac de re in Ministris suis Hagæ agentibus excipiet significationem, secum expendere dignari velit, De cætero Majestatem Vestram Cæsaream Dei optimi maximi tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in aula nostra de Witehall die 7. Martii

anno Domini 1675. Regni vero nostri vigesimo octavo.

Cæsareæ Vestræ Majestatis

*Amantissimus Frater & Consanguineus*

CAROLUS REX.

J. Williamson.

DCXIV.

*Responsoria LEOPOLDI, Rom. Imperatoris, ad præinsertas CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis literas, 1676.*

Leopoldus, &c.

Literas Serenitatis Vestræ 7. Martii nuper elapsi ad nos exaratas rite accepimus, & prolixe satis ex iisdem cognovimus modum aliquem, quem ad maturandum tandem Noviomagi Congressum amoliendosque obices hactenus oppositos Nobis proponere destinaverat, ut nempe a partibus belligerantibus utrinque annuatur, quatenus a Serenitate Vestra munus Mediatoris obeunte, Salvi Conductus omnibus concedantur, hi vero testatum faciant, ab omnibus, quos Causa belli & Pacis concernit, ratificatum omnino ejusmodi literas atque curatum iri, ut in omnibus ditionibus suis ad amussim observentur. Magnam sane gloriam sibi promeretur Serenitas Vestra, quod tanto tamque ardenti studio ac sollicitudine in proxime procurandam Christianitati, sub tot belli præsentis calamitatibus gemiscenti ac pene oppressæ pacem

cem & quietem publicam enitatur. Verum quanta & Nos ac Confœderati nostri in eandem tranquillitatem reducendam sedulitate atque efficacia hactenus incubuerimus, & etiamnum omnia, quæ ad eam facilitandam quoquo modo conducere videntur, præstiterimus, & rationibus nostris privatis publica compendia anteferamus, nec Serenitas Vestra nec quisquam alius a contrarii affectus studio liber inficiabitur. Quod vero medium a Serenitate Vestra pro accelerandis pacis tractatibus allatum attinet, intellexerit haud dubie Serenitas Vestra illud a Confœderatis Nostris Hagæ Comitis jam, & quidem justissimis & gravissimis de causis non esse acceptatum, a quibus merito non recedimus, cum male & præter omnem consuetudinem prætendat Rex Galliæ, ut stylus solitus & ab omnibus receptus circumscribatur, & a singulis patienti animo ea, quæ noviter dictatorio pene modo proponit, observentur; præterquam quod ipsa abunde demonstret experientia, quam parva sit religio Gallis ea, quæ ipsi, ne dicamus, quæ alii loco ipsorum spondent, adimplere, proinde etiam nec a Serenitate Vestra nec a quopiam alio sinistre susceptum iri confidimus, quod nec Nos nec Confœderati nostri in dispertiendis salvis Conductibus propositioni deferre non potuerimus, non quod de æquali Serenitatis Vestræ in omnes partes belligerantes studio ac sinceritate dubitemus, sed quod plane non subsit causa, cur Regi Galliæ, cui hactenus alias in variis, amore pacis plurimum, quam par erat, detulimus, adhuc plura & quidem tam præjudicialia concedamus.

Fecerit igitur Serenitas Veſtra rem Chriſtianitati valde proficuam, & Muneri Mediatoris apprime congruam, prouti eandem hiſce perquam impenſe requirimus, ſi memoratum Regem Galliæ pro virium & autoritatis ſuæ pondere in eam adduxerit ſententiam, ut deſiderium pacis inſtaurandæ, tot verbis totque ſcriptis per totum late Chriſtianum Orbem diffuſis ſpeciatenus divulgatum reipſa teſtatum faciat, ac proinde rejectis ſimilibus frivolis difficultatibus illi, quod reliquis atque ipſimet Coronæ Sueciæ propriæ belli ſociæ jam placuit, ſe accommodet. Atque eum in finem memoratos Salvos Conductus in forma utrinque conventa tam Sereniſſimo Duci Lotharingiæ, quam aliis tandem extradat. Comparabit exinde Serenitas Veſtra immortale ſibi nomen & gloriam. Cui de reliquo optimam valetudinem & proſperos rerum ſucceſſus apprecamur. Datum ad S. Vitum prope Viennam 26. Aprilis 1676.

## DCXV.

*Litera JOHANNIS III. Poloniæ Regis, ad CARDINALEM URSINI, Protectorem Poloniæ, quibus ab eo amice contendit, ut arma Polonica a nobiliori Portæ ædium ſuarum parte, cum opprobrio Nationis Poloniæ remota, priſtino loco affigi iterum confeſtim curet, 1675.*

P. P.

CUm primum innotuit Epiſcopis & Senatoribus Regni noſtri Diploma Protectoratus Poloniæ, illis inſciis in Perſonam Illuſtritatis Veſtræ a nobis

nobis nuperrime subscriptum, & innovatum esse, graviter nobis exposuerunt maximum dignitatis nostræ Regiæ totiusque Regni honoris præjudicium, & dedecus in eo verti, quod Illustritas Vestra arma Poloniæ Portæ nobiliori Palatii sui præfixa, in sinistram partem transferre, ac dehinc inferiori loco deponere, & tali facto dehonestare in animum induxerit. Quo nomine tam eorundem Senatorum, quam Equestris Ordinis publica in Comitiis modernis Coronationis nostræ postulatio intervenit, ne talem postpositionis injuriam silentio & dissimulatione omittamus; Sed potius decenti & opportuno modo dignitati nostræ Regiæ, ac totius Nationis honori consulendo armorum nostrorum præcellentiam in integrum restitui curemus. Equidem magni a nobis æstimatur Principis Familiæ, & meritorum Illustritatis Vestræ claritudo, sed honoris imprimis nostri condigno sensu & stimulo permoti, ac prætactæ Ordinum petitioni merito concedentes, requirimus ab Illustritate Vestra arma Poloniæ in eum locum, in quo a principio Protectoratus sui fuerunt & fulserunt, decenter restituere ne gravetur. Non dubitamus, Illustritatem Vestram expressæ huic voluntati nostræ, & desiderio Reipubl. Polonæ indilate satisfacturam. Boni porro consulet Illustritas Vestra hanc retinendi honoris (quo nihil carius habemus in vita) curam, neque Nobis eam necessitatem imponet, ut ex causa ulterioris postpositionis, ad ulteriora postremo remedia, nolentes volentes descendamus. De reliquo Illustritati Vestræ incolumitatem, [& pro-

ſpera quævis optamus. Cracoviæ 28. Martii 1675.

## DCXVI.

*Literæ JOHANNIS III. Poloniæ Regis, ad CARDINALEM ALTIERI, de armis Polonicis in præjudicium Sarmaticæ gentis a ſupernæ Portæ Cardinalis Urſini parte remotis agentes, 1675.*

EPiſtolam noſtram Regiam ad Cardinalem Urſinum innexo Exemplari Illuſtritati Veſtræ communicamus. Intelliget Illuſtritas Veſtra, quam præjudicioſam dignitati noſtræ, ac totius Regni noſtri honori, poſtpoſitionem armorum Poloniæ ducamus, ac niſi Nobis, ac Reipublicæ condigna ſatisfactio præſtetur, nos tale dehoneſtamentum diſſimulare & tolerare minime poſſe declaramus. Quod ut Suæ Sanctitati benevole Illuſtritas Veſtra repræſentet, majorem in modum optantes, de reliquo Illuſtritati Veſtræ bonam valetudinem & proſpera quævis apprecamur. Dab. Cracoviæ 28. Martii 1675.

## DCXVII.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad OLYMPIAM SFORTIAM, Caſtilionæi Ducis Viduam, quibus apud eam Conſolatorio ob mortem Celſiſſimi mariti ejus, defungitur officio, 1675.*

P.P.

P. P.

TErrenis rebus placito cœlesti exceptum Illustrissimum & excellentissimum Principem, Dominum Ferdinandum, Sacri Romani Imperii & Castillionæum Principem, non sine animi ægritudine ex Dilectionis Vestræ literis accepimus, æquiore tamen Nobiscum animo Dilectionem Vestram funestum istum casum laturam confidimus, quod non sine benigno Numinis divini Nutu caducam hanc cum beatiori vita, beatæ memoriæ Princeps feliciter commutavit. Facti interim ex præsentis sortis nuntio communis doloris participes, Deum juxta precamur, ut gravem hanc perculsæ Domus Vestræ jacturam felicioribus post hac rerum incrementis etiam atque etiam compensare dignetur. Quippe ad cujus ornamenta provehenda Nos equidem pro mutua necessitudine, nihil omnino facturi sumus reliquum, Eandemque tutelæ divinæ cœlestis consolationis plenæ benevole commendamus. Dabantur in Electorali Nostra Dresda die 28. Maji Anno 1675.

## DCXIIX.

*Litera ANDREAE OLZOVII, Regni Poloniæ Primatis, ad LEOPOLDUM Romanorum Imperatorem, a quo, ut Poloniam continuis belli malis attritam, jam verò inter Sacrum & Saxum positam, auxilio charitativo sublevare dignetur, submisse efflagitat, 1675.*

PRævalere fata consiliis, maximo malo, ultimoque jam rerum nostrarum discrimine plus satis

experimur. Post felices recenter armorum Poloniæ progressus, post recuperatas fortitudine Sac. Reg. Majestatis Domini Nostri Clementissimi, validissimas Ukrainæ & Podoliæ arces & civitates, bellicis per rigidiorem hyemem operibus attriti, ipsis victoriis defessi, ostentatione facilis pactionis ab hostibus elusi Moschoviticorum auxiliorum promissis frustra illecti, ab omnibus Principibus Christianis secularibus derelicti, in gravissimas adeo calamitates decidimus, ut prævalente numerosissimo Turcarum & Tartarorum exercitu, nostro autem ad exiguum redacto nervoque belli penitus deficiente, in præcipiti extrema fata, & excidium florentissimi quondam Regni (nisi Deus avertat) metuamus. Non ignoro, fervente nunquam maximo Christianitatis bello, consilia & arma Sacræ Majestatis Vestræ Cæsareæ alio distrahi, ast vicinitatis & necessitudinum motivis, ac magnitudine periculorum advehor, ut de præsenti afflictissimo Patriæ nostræ statu Sacram Majestatem Vestram Cæsaream certiorem reddam, simulque repræsentem, quanta brevi pernicies Christianæ Reipubl. impendeat, cum ingenti bellatore populo, Cosacis, & Tartaris victor Turca augebitur, cum fractis, quæ formidini adhuc & repagulo erunt, Polonorum viribus, expeditisque Cameneciæ, ac alias per arces, armamentariis, quasi aperta per eversam Poloniam porta, ubivis & quandocunque libuerit, in conterminas provincias facilis bellorum via teterrimo hosti pandetur. Ac licet ea sit obstinatio animorum, & armorum Christianorum, ut fragore cadentis Poloniæ, minime excitentur, consultum tamen visum

ſum Sacræ Majeſtatis Veſtræ Cæſareæ, notam & expertam compellare benevolentiam; ne rem Polonam, ſine ulla prorſus cura, & ſine aliquo charitativo ſubſidio, nobisque opportuno auxilio, relinquere dignetur. Occurret facile prudentiæ Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ modus, quo non gravi ſuo diſpendio Nobis vero opportuno auxilio, Chriſtiana vicinia & pridem amica Natio, in extrema neceſſitate nos ſublabitur. Quod majori quantum poſſum contentione, pro officio meo exorans Sacræ Majeſtati Veſtræ Cæſareæ, cum longæva incolumitate proſperrimos rerum ſucceſſus auguror, meorumque obſequiorum demiſſionem gratiæ Cæſareæ Sacræ Majeſtatis Veſtræ humillime commendo. Dab. Varſaviæ die 24. Auguſti, Anno 1675.

## DCXIX.

*Litera CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad CAROLUM XI. Suecorum Regem, a quo Salvi Conductus tabulas ad promovendum inſtantis Pacis negotium neceſſarias Neomagum ad ſe confeſtim mitti petit, 1675.*

**Carolus ſecundus Dei gratia Magnæ Britanniæ Rex &c.** Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi Domino Carolo, eadem gratia Suecorum Gothorum, Vandalorum Regi &c.

POſt tot conatus operamque impenſam, ut infelici huic bello indies latius graſſanti pace univerſali finis tandem imponeretur, cumque divina favente clementia in negotio hoc arduo ſaltem non contemnendos factos

progressus, si non absolutum tam pium opus sperare licuisset, ex litibus in partibus vestris infeliciter exortis tam diu exoptatam pacem longius jam distare, non sine summo animi dolore percepimus, Majestatem Vestram, uti speramus, certiorem reddent amicitia & affectus singularis, quibus eam semper prosecuti sumus, quantum nobis cordi sit, ne difficultatibus, differentiisque ullis, res Vestræ cum PrincipibusRebus publicisque MajestatiVestræ vicinis involvantur, præsertim in hoc rerum statu, quo nobismet ipsis quam plurimum auxilii ex mutuorum consiliorum & conatuum conjunctione ad opus generalis mediationis, quod nobis incumbebat, promovendum polliciti eramus. His serio perpensis Majestati Vestræ officia Nostra Mediatoria in tractatibus pacis universalis offerre, nostrarum esse duximus partium, tum pro amicitia ista arctissima, quam jam diu cum Majestate Vestra colimus, tum ex intuitu miseriæ & ruinæ generalis, quibus totus Christianus orbis certo certius opprimeretur, si lites hæ quam primum non componantur & consopiantur. Sperantes interim ad negotium hoc pacis quam serio promovendum induci posse partes omnes belligerantes, atque in eum finem literas Salvi Conductus, quo omnium Legatis & Plenipotentiariis ad Neomagum (locum tutum ex partium consensu tractatui assignatum) tuta & secura pateat via, expediri, mutuoque extradi curent. Hoc illud est, quod ab iis impetrari posse summa opera contendimus, quo ad actualem congressus Constitutionem omnia melius disponantur, ac proinde Majestatem Vestram per præsentes rogatam habemus,

mus, modo hæc noſtra mediationis oblatio ei grata & accepta fuerit, ut ex parte Veſtra etiam quodcunque ad id neceſſarium videbitur, expediendum jubeat. Adeoque Majeſtatem Veſtram divini Numinis tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Palatio noſtro de Whitehal 5. die Octobr. Anno Domini 1675. Regnique noſtri 27.

Majeſtatis Veſtræ

*Bonus Frater, Conſanguineus, Fœderatus & Amicus*

Carolus Rex

J. Williamſon.

DCXX.

*Litera CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad CHRISTIANUM V. Daniæ Regem, quibus ab eo, ut Salvi conductus literas quantocyus Neomagum transmittere haud gravetur, amice contendit, 1675.*

Carolus ſecundus Dei gratia Magnæ Britanniæ Rex &c. Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi, Domino Chriſtiano V. eadem gratia Daniæ, Norwegiæ Regi &c.

Non ſine ingenti dolore metuendum fore percepimus, ne lites eæ infelices, quæ Principes Statusque vicinos ex hac parte Europæ per annos jam proxime elapſos miſere adeo in partes diſtraxerunt, quibusque componendis ſopiendisque omni officiorum genere ſummaque cura incubuimus,

mus, in Vestram etiam Viciniam se demum spargerent. Vidimus quidem aliquot abhinc mensibus mali hujus serpentis indicia quædam male ominosa, ac indoluimus, spe tamen freti, omnia demum amice terminari potuisse, nec ad extrema se impelli passuros, eos præsertim Principes, qui præter alia ea, quamplurima amicitiæ argumenta, quæ communia inter se habent, etiam Religionem, firmissimum ac fortissimum illud unionis vinculum habent, hæc nostra spes, hæc nostra fuerant Vota, quam autem jam (quod nobis ingratissimum accidit) in apertam flammam rem proruptam sentiamus, ac Majestatem etiam Vestram in belli hujus infelicissimi partem venisse; Nos quidem, tum pro eo, quod inter partes belligerantes dudum obtinuimus, Mediatoris nomine, tum præsertim pro arctissimis istis amicitiæ affectusque vinculis, quæ diu jam nos conjunxerunt, nequaquam omittendum duximus, quin Majestati etiam Vestræ nostra Mediatoris officia offerremus, in tractatu eo pacis Universalis, ad quem serio jam promovendum partes omnes belligerantes induci posse speramus. Hoc illud est, quod ab iis impetrari posse summa opera contendimus, tum ut interea temporis quo ad actualem congressus constitutionem omnia melius disponantur, Salvi Conductus literas quibus opus erit, quam primum expedirent, inter partes pro more extradendas, quo omnium Legatis ac Plenipotentiariis ad Neomagum (locum dudum ex partium Consensu tractatui assignatum) tuta pateat via, quod idem a Majestate Vestra proinde petimus, ut ipsius ex parte expediendum etiam curaret, modo hæc

hæc nostræ Mediationis oblatio ei grata etiam acceptaque fuerit. Deus Optimus Maximus diu servet Majestatem Vestram incolumem. Dabantur in Palatio nostro de Whitehall, 5. die Octobr. Anno 1675. Regnique nostri 27mo.

Majestatis Vestræ

*Bonus Frater, Cognatus & Amicus*

CAROLUS REX.

## DCXXI.

*Litera JOHANNIS III. Poloniæ Regis, ad CLEMENTEM PAPAM X. quem sedulo precatur, ut Poloniæ prægravi adversus Turcas belli calamitate, non quidem viris, sed ære exhaustæ, subsidio numario subvenire paterne contendat, 1675.*

POst oscula Pedum Sanctitatis Vestræ, meique Regni ac Dominiorum meorum filialem commendationem. Tot ærumnis exercitum Regnum meum, tot casibus cladibusque, a compluribus retro actis annis concussa Polonia, adhuc ultimas exerit vires, & adversus communem Christiani nominis hostem, exercitum numero non animo inferiorem jam in aciem educit. Jacta est velut alea, meo in castra adventu, signisque, quod bene & feliciter vertat Deus! hodie in hosticum motis. Ad Sanctitatem Vestram Christianæ Reipubliæ caput, & publicum Parentem bellica hæc mea destinata re-

refero, ut benedicat illis anima Tua. Porro Regnum hoc meum, Russiæ præsertim oris in extremam redactum vastitatem, sumptibus tanti belli impar, Sanctitati Vestræ curæ, & cordi esse impensius flagito. Lustravi exercitum meum armis, virisque ergregie instructum, & quo numerosiorem & validiorem Polonia vix pridem florentibus adhuc rebus suis habuit; Sed anxia me cura angit, ne difficultate, & defectu pecuniæ, pro qua annona peditatui comparari queat, intra breve tempus laboret, & dilabatur. Compertum mihi erat, quam flagranti zelo, quanta contentione Sanctitatis Vestræ prædecessor felicis memoriæ CLEMENS IX. Candiæ periculis succurrebat ac Principum Christianorum, præsertim Italiæ, auxilia & opes, in rem illius Insulæ excitabat. Eandem mihi, Regnoque meo pietatem, & benevolentiam Sanctitas Vestra declarare dignata est, neque dubito animadverti a Sanctitate Vestra, quantum periculum universæ Christianitatis, in Regni mei periculo vertatur, quam grave & indecorum foret, si promissa sperataque Principum Christianorum auxilia, Poloniam destituant, quam damnosum & irreparabile, si tanti exercitus tanto sumptu collecti, flos & robur per inopiam & egestatem vacillet, ut pactione aliqua indigna & præjudiciosa cum hoste transigere necessitate adigatur. Erit celebratæ Sanctitatis Vestræ prudentiæ hunc Statum rei Poloniæ expendere, erit ingentis apud Deum & Christianum Orbem meriti & duraturæ ad seram posteritatem gloriæ, defensioni Orthodoxi

Re-

Regni, fidei ſacroſanctæ propagationi, ſanctuariis profanatis expiationi, piam liberalitatem prolixius impendi. Quod cum mihi aliunde de optima erga me Regnumque meum Sanctitatis Veſtræ pollicear voluntate, tum ejusdem benedictionem, mihi ac exercitibus meis exorans longævum rei Chriſtianæ imperium Sanctitati Veſtræ apprecor. Dab. in Caſtris ad Skwarawam, die 11. Octobris, Anno 1675.

## DCXXII.

*Litera CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad LEOPOLDUM, Rom. Imperatorem, quibus ab eo, ut Domino Duckero, Deputato, ſui ſaltem reſpectu Principem Furſtenbergium cuſtodia arctiori detentum conveniendi & ipſo cum colloquendi libertatem concedat, obnixe contendit, 1675.*

Carolus II. Dei Gratia, Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Rex, Fidei Defenſor &c. Sereniſſimo, Potentiſſimo & Invictiſſimo Principi & Domino, Domino Leopoldo, Divina favente Clementia Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Regi, Archi-Duci Auſtriæ, Duci Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Würtembergæ, Comiti Tirolis &c. Fratri, Conſanguineo & Amico Noſtro Chariſſimo ſalutem, perpetuamque felicitatem!

*Sere-*

*Serenissime, Potentissime & Invictissime Princeps, Frater, Consanguinee & Amice Charissime.*

NOn sine summo animi dolore desideratum piumque opus pacis universalis super præliminario libertatis Principis Guilhelmi de Furstenberg negotio principaliter retardari percipimus, tandem autem (quod unicum post varios irritos conatus ad obicem hunc amovendum restabat) a Reverendissimo & Illustrissimo Domino Episcopo Argentoratensi, dicti Principis Fratre, obtinuimus, ut ipse una Nobiscum apud Regem Christianissimum intercederet, ut a puncto hoc honoris (cui hucusque adeo absolute adhæsit) recedere legatosque suos Neomagum (locum congressui Partium consensu destinatum) absque prævia conditione libertatis dicti Principis mittere vellet. Non possumus non hac occasione Cæsareæ Vestræ Majestati Episcopi animum promptum ac facilem commendare, qui, non obstantibus omnibus sive sanguinis, sive aliis argumentis, in negotio, quod eum tam prope tangit, desiderio huic Nostro, omni hæsitatione remota, annuit: nec de successu optato dubitandum, modo dictum Principem inducere liceat, ut instantias etiam suas apud Regem Christianissimum Nostris adjungat; supra dictum Episcopum rogavimus, ut Fratris sui animum in hoc experiretur, atque eum in finem præsentium lator Dominus Ducker, Eminentissimi & Serenissimi Principis Archiepiscopi & Electoris Coloniensis Consiliarius, Exercitusque Ejus Commi-

missarius Generalis, litteris Nostris ipsi tradendis instructus, mitteretur. A Cæsarea Vestra Majestate autem petimus, ut prædicto Domino Ducker, ejus permissu & jussu præsentibus, quos Cæsarea Vestra Majestas deputaverit, dictum Principem liceat invisere, cumque eo coram dictis personis libere fusiusque de hac re tractare, eumque hortari, ut literis suis ad Regem Christianissimum hoc ab ipso impetret; si modo Fratris sui Episcopi Argentoratensis instantiæ & intercessio in negotio tanti momenti, ad totius Europæ Pacem tranquillitatemque restaurandam, inefficaces alias fuerint; Supra memoratus Dominus Ducker, Cæsareæ Vestræ Majestati hujus rei statum exponet; quoque animo plane Christiano, omnique erga Cæsareæ Vestræ Majestatis dignitatem ac autoritatem respectu & observantia, antedictus Episcopus propositionem hanc Nostram amplexus est. Et confidimus, quod Cæsaream Vestram Majestatem etiam certiorem reddat de zelo Nostro & ardore, quibus opus hoc arduum Pacis universalis promovere omni modo studemus, præsertim autem in puncto hoc prævio, quod omnes ad pacem componendam aditus hucusque exclusit, cunctisque conatibus Nostris & studiis insuperabile existit. Majestatem Vestram Cæsaream Dei optimi maximi tutelæ animitus commendamus. Dabantur in Palatio Nostro de Withal, 6. die Novembris, anno Domini 1675. Regnique Nostri 27.

Cæsareæ Vestræ Majestatis

*Amantissimus Frater & Consanguineus*

CAROLUS REX.

DCXXIII.

*Responsonia LEOPOLDI, Rom. Imperatoris, ad proxime præcedentes CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis literas, 1676.*

Leopoldus divina favente Clementia Romanorum Imperator, semper Augustus, Serenissimo Principi Domino Carolo, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Regi, Consanguineo & Fratri Nostro Charissimo salutem cum omni bono incremento!

*Serenissime Princeps, Consanguinee, & Frater Charissime.*

VEstræ Serenitatis literas, nobis 6. præteriti mensis Novembris præscriptas, a præsentis latore Ducker, pronuper recepimus, & ex his summatim intelleximus, Vestram Serenitatem ad promovendum Pacis Tractatum, Noviomagi instituendum, conducibile esse deprehendisse, ut Rex Galliarum a petita Præliminari libertate desistat, & hunc in finem Ser. Vestram ab Episcopo Argentoratensi obtinuisse, ut ipse una cum Serenitate Vestra apud memoratum Galliæ Regem intercedat, ut a puncto hoc honoris, cui hucusque adhæsit, desistat, & ut Legatos Noviomagum sine prævia conditione libertatis dicti Principis mittat, atque etiam, ut Episcopus Argentoratensis instantias suas apud Regem Galliarum adjungat, & proinde Ser. Vestr. a Nobis petere, ut nominato

Du-

Ducker liceat Nostro permissu & jussu, illis præsentibus, quos Nos deputabimus, dictum Principem Guilielmum adire, cumque eo coram Nostris Deputatis libere fusiusque de hac re tractare, eumque hortari possit, ut & ipse hoc per literas a Rege Christianissimo ad procurandam totius Europæ tranquillitatem postulare velit, prout nominatus Ducker, pluribus & specialius sit expositurus, & de zelo & ardore Serenitatis Vestræ, quoad pacem componendam, indefessis conatibus & insuperabili studio singula fusius relaturus est; & quod insuper singulariter sæpe memoratus Episcopus omni erga Nostram auctoritatem respectu & Observantia Propositionem a Serenitate Vestra factam amplexus fuerit: quibus Ser. Vestræ pro insigni in publicam tranquillitatem affectu permagnas grates reponimus, memorantes, Nos memorato Duckero benignas aures præbuisse, & ab eo sicuti & diversos Ministros Nostros percepisse, Episcopum ejus esse animi, ut Frater Guilielmus sub potestate Nostra usque ad Pacem conclusam permaneat; nec interea quoad ejus arrestum aliquid innovetur. Sed quam longe aliter sentiat Episcopus, nec ejus intendant consilia, ut memoratus Princeps usque ad Pacis conclusionem in arresto persistat, inde Ser. Vestra facile percipiet, quod nec exspectato a Nobis responso, diversis Romani Imperii Electoribus & Principibus per literas declaratorias Regis memorati 28. die mensis Novembris datas, transmiserit, in quibus Galliæ Rex Nobis omnem culpam dissoluti Coloniensis Tractatus imputat, & dicteriis inter Reges plane inusitatis,

Noſtram ſummam exiſtimationem, quaſi contra jus Gentium ſæpius nominatum Principem Guilielmum capi & detineri demandaverimus, proſcindit; & deinde adjungit, tantum apud Eum Epiſcopi valuiſſe preces & inſtantias, ut Legatos ſuos ſit Noviomagum miſſurus, nixus promiſſione a Serenitate Veſtra & Belgii Fœderati Ordinibus facta, de interponendis omnibus ſtudiis & officiis, ut Princeps durante Pacis Tractatu in libertatem reſtituatur, quam & impenſe dictis Electoribus & Principibus commendat; dijudicabit Veſtra Serenitas, quantopere per memoratum Epiſcopum Noſtra Imperialis Dignitas & auctoritas iterum ſit offenſa, utpote qui nihil penſi habuit, ſupradicta dicteria inuſitata Regis Galliarum contra Nos effuſa, etiam pro ſua parte approbare, & pluribus in locis publicare, & quod in hoc rerum ſtatu nullo aliquo aut tractatu cum dicto Principe Guilielmo opus ſit, cum non ſolum Epiſcopo, ut ipſemet affirmat, ſatis ſit cognita fratris ſui intentio, ſed & ipſe Galliarum Rex Legatos ſuos Noviomagum mittere jam declaraverit, & jam cum eo Epiſcopo deſuper convenerit, præterquam quod hic nullo animo hoc alloquium deſideret, quam ut ex ſolita ſua protervia & jactantia Nos per captivum a Noſtra poteſtatę dependentem Regem Galliarum pro Pacis Tractatu promovendo ſupplicaſſe, neque alium quam ſe hoc obtinere potuiſſe, in diſpendium exiſtimationis Noſtræ temere ſpargat, aut alio ſub prætextu hujus colloquii in odium & invidiam Noſtram machinetur, neq; enim credibile eſt, ambos fratres, qui belli tantum incendium in Germania

mania excitarunt, ex amore tranquillitatis de hoc restinguendo serio unquam cogitaturos. Accedit quod dictus Episcopus Dignitatem Ser. Vestræ parum observavit, hunc honorem sibi arrogans, quasi ipse solus in hoc negotio aliquid impetrasset, eo præsertim tempore, quo variis in locis Declarationem Regis Galliarum vulgaverit. De reliquo confidimus, quod nec Serenitas Vest. nec fœderati Belgii Ordines aliquid, quod summæ existimationi Nostræ adversetur, sint requisituri, ut Rex Galliarum Ser. Vestræ aliisque mediatoribus & etiam Nobis ante Tractatum omnem Pacis inceptum, super iis præscribat leges, quæ non, nisi in ipso Tractatu pacis sunt discutiendæ: Ne vero Ser. Vestræ zelus & studium in Orbis Christiani tranquillitate procuranda effectu careat, Nos Legatos Nostros in viciniam Noviomagi proxime mittemus, ut, si Regi Galliarum sit animus serio tractandi pacem, super omnibus & singulis, & per Vest. Serenitatem & alios mediatores, in tanti momenti negotio protinus procedi possit, cui tantum deferimus, ut, quæ Legato Oxienstiernio, ratione dicti Principis Guilielmi, super conditionibus inibi expressis, exposuimus, & publico jam typo commissa sunt, eadem Ser. Vestræ, licet ad has conclusiones, a Suecia non adimpletas, minime obligaremur, pro bono universæ Christianitatis repetamus, & spondeamus, nihil ambigentes Eandem hoc responsum Nostrum æquo animo accepturam, quam etiam Dei Optimi Maximi tutelæ impense commendamus. Viennæ, 10. Jan. 1676.

## DCXXIV.

*Litera JOHANNIS III. Poloniarum Regis, ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem, cui res Polonorum in Ucrania ex voto gestas, ac secundum Februarii diem anni futuri coronationi suæ sacratam esse, nuntiat, 1675.*

**Joannes III. Dei Gratia Rex Poloniæ &c.** Serenissimo, & Potentissimo Principi, Domino Carolo, eadem gratia Magnæ Britanniæ, & Hyberniæ Regi, Fidei Defensori, Fratri Nostro Charissimo, salutem ac mutui affectus continuum incrementum!

POstquam DEO, Patriæ, imo rei Christianæ litatum, hostis vel in hostiam cæsus, vel in Tauricam pulsus, vel ultra Tyram & Danubium ejectus; orbis æmulus, experiundo didicit, nihil tam firmum, cui periculum non sit, etiam ab invalido, Ucraina omni, quam usurpaverat, exutus, campis Podoliæ, Dacia, & Bessarabia eversis pœnam exsolvit. Æstatis prædo, præda ipse autumni. Nidificet licet adhuc Cameneci, quod stupore, non armis ceperat, stupere ipse coactus. Trembowlia nuper per quindecim dies ab octoginta sclopetariis, contra omnem vim, & Regnorum Victores sine vallo defensa est; binorum ab Electione annorum castra nostra vice varia astra exercebant gelu horrida, æstate torrida, solitudine famelica, videbantur. Nihilominus ope Angelica, dum socii subvenire deliberant, veniam orant Rebelles, Fana & delubra Mahometica creman-

tur,

tur. Oriens Regni ſpe ineſcatus, unius Cameneci una petra, & ſilice veſcitur. Ni puderet linquendo, quo exhauritur, non nititur, pœniteret. Hæc propitium dedit Numen, quod mereri, quam coronari elegiſſemus. Coronandi tamen labores, caputque redimiendum ferimus tandem Cracoviam Regni Metropolim, actus ſolennitati, ſecundum Februarii anni futuri præfigentes. Utrumque Majeſtati Veſtræ pro mutuo in rem Chriſtianam zelo communicandum rati ſumus. Pleni ſpei, eandem Nobis, ut in commune merenti amico ſtudio ac ac favore, hoſtibus in terrorem, mutuo ſtatui ac conditioni in decus, & honorem aſtituram. Cui proſperrima quæque a Dei benignitate ac imprimis bonam valetudinem apprecamur. Dab. ex caſtris ad fluvium Zbrucz in Podolia 7. d. Novembr. Anno 1675.

## DCXXV.

*Litera JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad CAROLUM II. Hiſpaniarum Regem, cui auſpicatas faſtigii regalis primitias gratatus, longævam cum proſperitate Regnorum gubernationem vovet, ac perpetua conjunctisſimi animi ſtudia pollicetur, 1676.*

P. P.

Divinis auſpiciis Regiam Majeſtatem Veſtram adimpleto decimo quarto, illoque capeſſendis ſceptris ſacro ætatis anno, regnorum ſuorum ditionumque regimen adiiſſe, ex literis Regiis perquam libenter accepimus: condigna reputantes æſtimatione, quod Regia Majeſtas Veſtra ſub ipſo

Imperii limine nova simul, quam cum Regia Domo Majores Nostri jam diu sancte coluerunt, necessitudinis propagandæ argumenta, veluti rediviva paternæ olim conjunctionis vestigia, pro hæreditaria generosæ mentis bonitate extare voluit. De auspicatis igitur fastigii regalis primordiis Regiæ Majestati Vestræ animitus gratulati, prosperam Eidem atque adeo tranquillam regnorum gubernationem, lætaque valetudinis juxta & rerum incrementa cœlitus vovemus. Indefessam insuper operam daturi, ut, quemadmodum de regii erga Nos affectus honorifica testificatione persuasissimum Nobis est; ita quoque reciproca demonstrandi animi Nostri conjunctissimi studia mutuæ benevolentiæ zelo omni modo respondere queant, quippe quorum ingentem porro promptitudinem Regiæ Majestati Vestræ plenissime pollicemur, Eandemque divinæ tutelæ serio commendamus. Dabantur in Electorali Nostra Dresda die 1. Febr. 1676.

DCXXVI.

*Litera CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad CHRISTIANUM V. Daniæ Regem, quibus eum obtestatur, ut literis hinc inde per ejus Dominia transituris pristinam, eamque instanti pacis negotio maximopere commodam concedat libertatem, 1674.*

CAROLUS II. Dei gratia Magnæ Britanniæ Rex &c. Serenissimo & Potentissimo Principi, Domino CHRISTIANO V. eadem gratia Daniæ, Norwegiæ &c. Regi &c. Fratri, Cognato &c. Salutem!

*Sere-*

*Serenissime &c.*

ALiqui abhinc elapsi sunt menses, ex quo tam quæ vicinis per Europam partibus, quam quæ subditis Nostris ex inhibitione illa tum mittendis, tum remittendis inter Majestatis Vestræ Regnumque Sveciæ literis illata injuria ac damna Nobis Nostrisque exorta sint, Nobiscum reputantes, per literas Nostras 5. die Novembris ultimo elapsi datas id a Majestate Vestra expetiverimus, ut recluso literarum transitu redituque, earundem vectoribus libera, tuta ac pristina pateat via. Cum tamen iis literis Nostris Majestas Vestra non solum nihil retulerit responsi, verum & in gravius hujusce damni pondus & incrementum subditi universim Nostri, ex hoc malo, commercio communi, rebusque mercatoriis debite transigendis, obicem datum ac ruinam metuendam conquerantur, iterum iterumque hunc eundem debitum literarum transitum liberum a Majestate Vestra expectamus, necesse est. Quod idem suadet postulatque ille pacis generalis Tractatus (quem quidem promovendum unice cupimus) qui non alia ratione transigi aut confici posse videtur, quam reddita patente necessaria ea literarum hinc inde inter Principes eorumque Minstros transmittendarum libertate. Hæc equidem est, qua supra omnia ratione præcipua impulsi non solum cum literis hisce instantias simul Nostras hac ex parte repetendas, verum & præsentium latorem Josephum Augustum de Cross hunc eundem ob finem erga Majestatem Vestram mittendum duxerimus, simul-

que erga coronam Svecicam, qua ex parte hanc etiam inhibitione sive detentione literarum nuperrime facta accepimus, qua tamen ratione, nisi qua Majestati Vestræ par referatur, protinus ignoramus. Cohibere non possumus, quin Majestatem Vestram obtestemur instantius, ut hac in re, quæ orbis universi commercia proxime attingit, quæque ad opus arduum illud Pacis generalis Neomagi transigendæ eousque necessaria videtur, id huic Nostræ interpositioni attribuendum censeat, ut per ipsius Dominia eandem illam, quam olim, literis hinc inde per eandem transituris libertatem concedat. Hac occasione oblata id etiam in animum ipsius revocemus, ut ad felicem illam pacem ineundam velit Ministros ac Plenipotentiarios suos qua licet celeritate ad locum pacis tractatui destinatum expedire, interea autem temporis literas salvi conductus forma ea sufficienti, quæ partium Plenipotentiariis Ministrisque tutamini esse possint, transmittere, per Ministrum Nostrum Hagæ Comitis extradendas, uti partes cæteræ aut fecere aut facturæ saltem sunt, qua locorum distantia permiserit, occasione. Quod superest Majestati Vestræ annum hunc novum felicem prosperumque apprecamur, & præsertim conclusione firmæ & diuturnæ pacis, quam viribus omnibus promovere Nobis unice curæ cordique est. Dabantur in Palatio Nostro de Whitehall die 19. Januarii Anno $167\frac{7}{8}$. Regnique Nostri 27.

CAROLUS REX.

F. Williamson.

DCXXVII.

DCXXVII.

*Litera JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad JOHANNEM III. Poloniarum Regem, cui reportata ex hostibus trophaea gratulatus cum imposita, qua caput ejus proxime redimendum erat, corona omnigena salutis copiam precatur, 1676.*

P. P.

SUpremi rerum Regnorumque Moderatoris auspiciis Regiam Serenitatem Vestram, adepto jam sesquiennio inde Regni Poloniæ regali solio, regiminis primordia insigni hactenus rerum gestarum magnitudine illustrasse, adeoque adversus hostiles Portæ Ottomannicæ impetus assiduis castris excubando, arcendoque immanem hostem victricibus armis a mœnibus Christiani populi ad capessendum coruscum Regis Diadema thronique Regalis conscendenda fastigia, triumphalem sibi viam munivisse, cum fama nuncia, tum vel maxime Regiis literis vel eo læti cognovimus, quod ex communicata Nobiscum lætitiæ parte, Regium simul erga Nos affectum singularem haud obscure dignoscere licuerit. Qua quidem pro antiquissimis Nostris in amicum Poloniæ Regnum studiis, fiducia porro freti, destinata coronationi Regiæ solennia gratulabundi animi votis merito prosequimur; habitisque Regiæ Serenitati Vestræ pro tam gratæ rei nuntio gratiis longe maximis, divinum Numen una veneramur, ut renovata hæc cæpti Regiminis auspicia in diuturnum Reipublicæ Christianæ, nec non inclyti Poloniæ Regni, Re-

giæ-

giæque Domus Veſtræ decus & emolumentum cedere jubeat, Regiæ Serenitati Veſtræ autem læta porro ex hoſte Chriſtiani Nominis trophæa, ſceptrumque ſecurum, atque adeo omnigenæ felicitatis incrementa largiatur. Cujus divinæ tutelæ Eandem cum amica ſinceri animi Noſtri ſtudiorumque pollicitatione ſerio commendamus. Dabantur in Electorali Noſtra Dresda die 7. Januarii 1676.

## DCXXVIII.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem, quibus ipſi fauſta vertentis anni primordia & auſpicatiſſimos in eo ſucceſſus amice vovet,* 167$\frac{5}{6}$.

P. P.

CElſitudinis Veſtræ literæ Decembris jam proxime elapſi die ſexta datæ, tot recentibus amicitiæ affectusque ſinceri argumentis votisque auſpicatiſſimis plenæ, gratias Noſtras precesque ſimul ardentiſſimas poſtulant, ut annus hic novus proſpera felicitatum ſerie Celſitudinis Veſtræ continuetur, multique denuo ſuccedant feliciſſimi. Faxit porro Deus optimus maximus, ut (quod totis viribus contendimus, ſtudiisque officiisque omnibus promovere decrevimus) Reſpublica Chriſtiana diu jam nimirum in partes divulſa, conſpirantibus in unum Principum Statuumque belligerantium animis pace ſubita coaleſcat, inque eadem obtinenda Celſitudini Veſtræ omnia ex animo eveniant. Credat interim Celſitudo Veſtra,

pre-

precamur, quacunque occaſione quæ ſe obtulerit, Nos ad officia ea omnia, quæ ipſi uſui eſſe poſſint, futuros ſemper paratiſſimos. Adeoque Celſitudinem Veſtram Electoralem divino tutamini commendamus. Dabantur in Palatio Noſtro de Whitehall 8. Jan. 167$\frac{5}{6}$.

## DCXXIX.

*Breve CLEMENTIS PAPAE X. ad ALOYSIUM, Patriarcham Alexandrinum, quo ipſi Nuntiaturæ ad aulam Cæſaream extraordinariæ munus committit, 1676.*

### Clemens Papa X.

*Venerabilis Frater, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem!*

CUm Nos hoc tempore, quo Reſpublica Chriſtiana graviſſimis inteſtinorum bellorum calamitatibus miſerabiliter affligitur, ex pontificiæ charitatis Paſtoraliſque ſolicitudinis Nobis divinitus creditæ debito, de aliquibus Viris, ſapientia ac meritorum ſplendore conſpicuis, Noſtris & hujus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Nuntiis ad chariſſimos in Chriſto filios Noſtros, Reges Orthodoxos, armis inter ſe diſſidentes, extraordinarie ablegandis, qui tanquam Angeli pacis eos Noſtro Nomine ad ſalubria amabilis animorum concordiæ conſilia adhortari, atque Domino Noſtro Jeſu Chriſto, qui Charitas & Deus Pacis, & in cujus manu ſunt corda Regum, ſuaviter operante adducere, ſtuderent, ſerio & mature, totoque animi affectu deliberaremus; Tu Nobis occurriſti, cui ob ſpectatam in arduis

arduis Nostris & dictæ sedis negotiis fidem singularemque prudentiam, doctrinam & in agendis rebus dexteritatem & orthodoxæ fidei publicæ atque tranquillitatis zelum, aliasque egregrias animi dotes, quibus te multipliciter insignivit Altissimus, gravissimum extraordinariæ, ad Charissimum in Christo filium Nostrum Leopoldum, Romanorum Regem Illustrem, in Imperatorem Electum, Nunciaturæ munus potissimum demandaremus. Motu itaque proprio ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostra, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, te ad Eundem Leopoldum, Regem Nostrum, & Apostolicæ Sedis prædictæ Nuncium Extraordinarium, cum facultatibus ad id quovis modo necessariis & opportunis, ad Nostrum ejusdem sedis Beneplacitum facimus ac constituimus & deputamus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Cæterum Te in Domino hortamur, ut humeris tuis impositum hoc Nuntii munus alacri animo suscipiens, illud ad Dei gloriam, & sanctæ Majestatis Ecclesiæ exaltationem, Catholicæ fidei conservationem totiusque Christianæ Reipublicæ bonum sic gerere studeas, ut tu quidem de præclare gestis tuis, non solum apud omnes homines commendationem & laudem in terris, sed imprimis a bonorum operum retributore Deo præmium in cœlo consequi merearis; Nos vero te desiderio & expectationi de te Nostris respondere lætemur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die 12. Febr. 1676. Pontificatus Nostri Anno VI.

S. Scusius.

DCXXX.

DCXXX.

*Breve CLEMENTIS PAPAE X. ad CLAUDIAM FELICITATEM, Rom. Imperatricem, quo Nuncium suum & conatus ejus paci inter Christianos Principes promovendæ adhibendos ipsius patrocinio commendat, 1676.*

Charissimæ in Christo Filiæ Nostræ, Claudiæ Felicitati, Hungariæ & Bohemiæ Reginæ Illustri, in Romanorum Imperatricem Electæ.

Clemens PP. X.

*Charissima in Christo filia nostra salutem & Apostolicam benedictionem!*

ETsi non levia hucusque in procuranda Christianorum Principum concordia de paterna sollicitudine nostra universæ Christianæ Reipublicæ præbuimus argumenta, ut tamen muneri nihilominus nostro nulla ex parte deficiamus, Venerabilem Fratrem Aloysium, Patriarcham Alexandrinum, ob generis animique præstantiam, nec non probatam in rebus arduis peragendis solertiam, admodum spectabilem, Extraordinarium istuc Nuncium mittimus, ut obicibus, quos in tractatione pacis exoriri contigerit, remotis, Christiani orbis incolumitati consulat. Ab eximia vero Majestatis tuæ pietate etiam atque etiam petimus, ut religiosis ejusdem conatibus præsto esse publicamque felicitatem promoventi ea, qua polles, autoritate opitulari velis: Ejusmodi autem solatium nobis prorsus pollicentes; Te interim charissi-

rissima in Christo Filia nostra Apostolica Benedictione amantissima donamus. Datum Romæ 29. Febr. 1676. Pontificatus nostri Anno sexto.

DCXXXI.

*Literæ ANDREAE OLSZOVII, Regni Poloniæ Primatis, ad CLEMENTEM PAPAM X. cui communi Ordinum consensu decretum esse, ut census a quolibet capite per universam exigatur Poloniam, refert, eumque, ut eum etiam a Clericis, urgente necessitate, cunctis omnium Legum & Canonum repagulis potiori, postulari hac vice permittat, submisse precatur, 1676.*

P. P.

Calamitosus rerum status, & vergentis in deterius Patriæ nostræ infortunia notiora sunt Sanctitati Vestræ, quam ut prolixe explicari necesse habeant. Cohorrescit ad nomen terroremque potentiæ Ottomannicæ tota Christianitas. Quid ni vero Polonia tot bellis malisque fracta & defessa, imparem se ac proximam ruinæ, nisi Deus ipse conservet, fateatur? Erigimur tamen animis, nihilque intentatum in præsentibus Regni comitiis reliquimus, quo inclinatam publicam fortunam ab ultimo casu sublevaremus. Colligetur Serenissimi Regis nostri cura ductu & auspiciis, vigore sanciti comitiorum feliciter conclusorum, quidquid virium & virorum reliqui adhuc superest, neque ordo noster Ecclesiasticus fulciendæ periclitanti Patriæ extremis opibus suis deesse poterit, compendiosa ratio augendi ærarii proposita, lex ordinum consensu decreta est, ut nullo personarum discri-

discrimine, in vim subsidii charitativi census a capitibus exigatur. Opponimus libertates & immunitates Ecclesiasticas, supremam Sanctitatis Vestræ auctoritatem, ac Sacrorum Canonum Religionem, seu instar prætendimus, ad extremum tamen adeo in arcto positos nos agnoscimus, ut si Remp. ac præprimis rem Christianam salvari hisce in oris velimus, negare id subsidium rebus afflictissimis, & militiæ sustentandæ, minime integrum ducamus. Placeat Sanctitati Vestræ, ut relaxatis pro hac vice legibus Canonicis dicta capitalis contributio a Personis omnibus tam secularibus, quam regularibus Ecclesiasticis permittatur. Quod humillime orantes Sanctitati Vestræ felicissimum ac diuturnum rei Christianæ Imperium apprecamur, Nosque Pontificiæ benedictioni prosternimus. Cracoviæ die 6. Aprilis 1676.

## DCXXXII.

*Litera JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem, cui Johannem Christophorum a Naso commendat, 1676.*

P. P.

REgiæ Vestræ Majestati harum exhibitorem, Vasallum Nostrum dilectum Nobis & fidelem, Johannem Christophorum a Naso, cum propter Claritudinem generis parentisque olim Colonelli Nostri & Capitanei provincialis, domi militiæque Domui Nostræ Electorali præstita ministeria; tum vel maxime ob ea, quæ ipse hactenus in aulis Principum edidit Virtutis propriæ specimina, de meliori commendandum duximus. Cum itaque nul-

lum Nobis dubium sit reliquum, quin Regiæ Majestati Vestræ generosum sui valorem obsequiumque apprime sit probaturus, laudabili hoc ejus desiderio, pro Nostra in ipsum benignitate & gratia deesse noluimus, ac proinde Regiam Majestatem Vestram officiose rogatam volumus, ut præfatum Vasallum Nostrum undiquaque, gratiose sibi commendatum atque eo loco habere dignetur, unde commendationis hujus Nostræ speratum fructum ipso facto, prout confidimus, experiri queat. Quibus insuper Regiæ Vestræ Majestati diuturnam valetudinis incolumitatem & prosperos rerum successus, cum sincera studiosissimi Nostri animi testificatione a Deo optimo Maximo serio precamur. Dabantur in Electorali Nostra Dresda die 8. Maji 1676.

## DCXXXIII.

*Literæ fiduciariæ a* CAROLO *II. Magnæ Britanniæ Rege, Bevil Skeltono, Ablegato suo extraordinario, ad* LEOPOLDUM, *Rom. Imperatorem traditæ, 1676.*

P. P.

CÆsarea Vestra Majestas proculdubio audiverit, Nos ante aliquot elapsos Menses dilectum & fidelem nostrum Bevil Skelton, Armigerum Nobis ab intimis Cubiculis, Ablegatum nostrum extraordinarium ad Aulam Cæsaream mandasse & quam ob causam tantam in dicto itinere suo moram fecerit, scilicet ob difficultates super Literis salvi Conductus Lotharingicis enatas. Fatemur illum casum adeo nobis novum & plane inexpectatum supervenisse, ut dictum Ablegatum nostrum

ſtrum ubicunque loci in itinere ſuo foret, ſubſiſtere neceſſe duxerimus, usque quo obicem hunc e medio ſublatum cerneremus, viamque integram & liberam ad Negotiationem ardui operis Pacis univerſalis ineundam Cæſareæ Veſtræ Majeſtati præſentare nobis liceret, quo tandem effectu, amotis dictis difficultatibus literisque ſalvi Conductus Lotharingicis modo & forma deſideratis jam conceſſis; dicto Ablegato, ut iter ſuum prout primum ſtatueramus, proſequeretur, in mandatis dedimus, hoc a Cæſarea Veſtra Majeſtate rogantes, velit eum pro ea, quæ inter nos intercedit Amicitia acceptum habere, ipſique integram adhibere fidem in omnibus, quæ nomine noſtro de tempore in tempus propoſuerit & exponet, in iis autem potiſſimum, quibus de ſingulari noſtro in Ejus Perſonam ſtudio & affectu Majeſtatem Veſtram Cæſaream certiorem fecerit, ut & quantum nobis cordi eſt; ut in omnibus, quæ Mediatorium noſtrum munus tangunt, quo par eſt modo, in negotio tanti momenti nosmet ipſos liberemus, quod ut finem & exitum ſortiatur felicem, Cæſareæ Veſtræ Majeſtati gratum & acceptum, Deum optimum Maximum quotidie rogatum habemus, cujus ſanctæ tutelæ Cæſaream Veſt. Maj. ipſiusque res omnes ex animo commendamus. Dabantur in Palatio noſtro de Whitehall 6. die Junii Anno Domini 1676. Regnique noſtri 28.

Cæſareæ Veſtræ Majeſtatis

*Amantiſſimus Frater & Conſanguineus*

CAROLUS REX.

J. Williamſon.

 DCXXXIV.

## DCXXXIV.

*Literæ credentiales, quas* CAROLUS II. *Magnæ Britanniæ Rex, Bevil Skeltono, Ablegato suo extraordinario in causa Furstenbergica ad* LEOPOLDUM, *Rom. Imperatorem dedit,* 1676.

**P. P.**

CUm Deo visum sit conatus nostros omnes, quos ad congressum renovandum facilitandumque de magno illo pacis generalis opere ineundo adhibuimus, successu lætissimo beare, ut difficultates omnes, quæ ex præcipuis Negotiationis istius præliminaribus exortæ sunt, aut evasas feliciter aut remotas videamus, adeoque ut Cæsar. Vestr. Majestati causam inde datam speremus, quæ ipsius ex parto acquiescat, redacto jam ad spem eam felici pacis futuræ Tractatu, quam ut Cæsareæ Vestræ Majestati tantopere exoptatam novimus, speramus equidem, nos non incommode id a Cæsarea Vestra Majestate in favorem Principis Guilielmi de Furstenberg (quod diu nobis in animo fuerit) hoc præsertim tempore expedituros, dignetur scilicet, pro innata sua Clementia & Generositate precibus, Votisq; hisce nostris concedere, ut Principis illius persona Principi aut Statui Neutrali, qualem Cæsarea Majestas Vestra elegerit, durante tractatu committatur, iisq; conditionibus, quæ ipsi æquissimæ videbuntur. Hoc illud est, quod dilecto & fideli nostro Bevil Skelton Armigero, Nobis ab intimis Cubiculis nostroque apud ipsam Ablegato Extraordinario in Mandatis dedimus, ut a Cæsarea Vestra Majestate summis instantiis contenderet, proindeque ab ipsa

ipſa ulterius petimus, velit pro ſolito ipſius erga nos affectu aurem ei hac in re facilem faventemque præbere,& quicquid illud ſit, quod de dicti Principis de Fürſtenberg perſona, rebusque ante actis Cæſarea Veſtra Majeſtas gravius aliquando ſenſerit, oblivioni interim tradere; Quam quidem gratiam, ſi intercesſioni huic noſtræ Cæſarea Veſtra Majeſtas indulſerit, dictum Principem, dum familiam ejus univerſam omni ſtudio eandem in futurum demerituram confidimus, eoque nomine erga Cæſaream Veſt. Majeſtatem Nos ipſos fidejuſſores offerre non dubitamus, uti ex parte noſtra favorem hunc in dicti Principis gratiam a nobis jam expetitum tanquam nobis datum, Cæſareæ Veſt. Majeſtati nos debere profeſſuri ſumus, qui de cætero ipſam divino Numini ex animo commendamus. Dabantur in Palatio noſtro de Whitehall 6. die Junii Anno Domini 1676. Regnique noſtri 28. Anno

Cæſareæ Veſtræ Majeſtatis

*Amantisſimus Frater & Conſanguineus*

Carolus Rex

J. Williamſon.

## DCXXXV.

*Breve CLEMENTIS PAPAE X. ad LEOPOLDUM Rom. Imperatorem, a quo, ut milites ſuos inter colloquia de pace habenda, ab armis vacare jubeat, ſollicite contendit, 1676.*

Clemens P. P. X.

EA est de restituenda Christianæ Reipublicæ pace paterna sollicitudo nostra, ut de mediis ad tanti operis perfectionem conducentibus diu noctuq; cogitemus; Quia vero ad votorum nostrorum summam assequendam proximum esse gradum ducimus armorum mutuas in clades intentorum feriationem, enixis idcirco MajestatemTuam officiis in Domino obsecramus, ut ab hostilibus exercendis Duces tuos abstinere jubeas; Dum Nos per Apostolicos Nuncios a reliquis charissimis in Christo filiis nostris idem accuratissime petimus. Nec multis opus esse censemus, ad Regium animum Tuum in tam præclaram deliberationem pertrahendum; seu enim propensam ad publicas calamitates sublevandas voluntatem, seu filialem erga Nos, qui easdem Tibi ob oculos ponimus, Majestatis Tuæ observantiam consulamus, de prospero rei exquisitæ successu utique dubitare nequimus. Rependendas itaque a Populorum exultatione eximiæ pietati Tuæ laudes antevertentes te charissimum in Christo filium Nostrum amantissime in Domino complectimur, atque Apostolica benedictione ex omni cordis Nostri sensu donamus. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 20. Junii 1676. Pontificatus nostri Anno septimo.

Marius Spinola.

DCXXXVI.

*Litera JOANNIS III. Poloniæ Regis; ad GEORGIUM WILHELMUM, Ducem Brunsuico-*

*ſuico-Cellenſem, quibus tutum pro conjuge ſua, per ditiones ejus tranſitum deſiderat, 1676.*

Joannes Tertius Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolensciæ, Livoniæ, Severiæ, Czerniechoviæque. Sereniſſimo Rom. Imp. Principi Brunſuicenſi, Duci Cellenſi Luneburgenſi &c. Fratri & Cognato Noſtro Chariſſimo, Salutem ac mutui affectus continuum incrementum!

*Sereniſſime Princeps, Frater & Cognate Noſter Charisſime!*

ILla eſt vicis humanæ Sors, ut malo nunquam ſolo exerceatur. Parum fuit cum effuſo in exitium Antemuralis Chriſtiani Oriente ac Tartarorum illuvie iterum atque iterum colluctari. Invenit nos Domumque Noſtram Regiam, pro re Chriſtiana excubantem, nova morborum Criſis, & acerba vis, qua Serenisſima Conjunx Noſtra Chariſſima, a primis diebus Maji, eo usque agitata, & Viribus dejecta ex Conſilio Medicorum Solis Borbonicisa quis reficienda & ſananda videtur: Equidem longitudo viarum teneritudini inimica, nihilominus, quo vitam redimat, Genus humanum ferro nec igne deterretur, multominus itineris aſperitate. Communicandum id Serenitati Veſtræ duximus, cujus Dominia peragranda, Amicamque Correſpondentiam honoramus. Unde non dubitamus transeunti Securitatem proviſam fore, illumque re-

ſpectum, quem mutui Status ac conditionis Amor depoſcit. Idem a Nobis in omnibus occaſionibus præſtandum, quas Serenitas Veſtra obſervari voluerit. Quamve a ſimilibus Dei benignitas ſervet & protegat diuque vivere ac florere incolumem faciat, ut intime vovemus & apprecamur. Dabantur Javoroviæ in Ruſſia die 25. Menſis Junii Anno Domini 1676. Regni noſtri Tertio Anno

Serenitatis Veſtræ

Bonus Frater & Cognatus Joannes.

DCXXXVII.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad FRANCISCUM II. Mutinæ Ducem, quibus pro Joh. Georgio Beckero relicta defuncti fratris bona Mutinæ repetituro, intercedit, 1676.*

P. P.

SUbmiſſe Nobis expoſuit ſubditus Noſter & Civis in Urbe Noſtra Freiberga Chriſtophorus Becker, fratrem ſuum Germanum Johannem Georgium Beckerum, aurifabrum quondam Noſtrum, jam ab aliquot annis Italiæ oras petiiſſe, ſedemque ibidem fixiſſe, ac tandem Mutinæ, quæ Dilectionis Veſtræ Sedes Ducalis eſt, ſine liberis & deſcendentibus non ita pridem obiiſſe, ita ut relicta defuncti fratris bona, jure ſanguinis & legitimæ ſucceſſionis in ipſum & cohæredes ejus ſint devoluta. Quam

Quam quidem hæreditatem, ut hoc faciliori modo Dilectionis Vestræ ope, pro ea ac par est, ipse tanquam proximus & legitimus hæres pro se & nomine cohæredum consequatur, Intercessionales hasce nostras precibus supplicibus a Nobis petiit atque obtinuit. Quamvis itaque nullum nobis dubium sit, quin Dilectio Vestra pro celebrata bonitatis suæ fama, præfato nostro subdito in repetendis & consequendis bonis hisce hæreditariis justitiam omnimode sit administratura; Pro Nostra tamen in subditos Nostros benignitate eidem hac in parte commendatione Nostra deesse noluimus. Ac proinde Dilectionem Vestram peramanter rogatam voluimus, ut quod ultro factura fuerat, in Nostri quoque gratiam, sæpe memoratum hæredem favore & protectione sua gratiosa complecti velit, atque mandare, quo debita ipsi hæreditas eidem, vel mandatario ejus, cum omni jure transferendique ejus potestate (prout apud Nos sæpe sæpius fieri consuevit) citra ambages tradatur, adeoque ipse Intercessionis hujus Nostræ fructum indubium oppido consequatur. Erit id ipsum æquitati omnino consentaneum, & nos quoque Dilectioni Vestræ, quam divinæ protectioni serio commendamus, in simili aliisque humanitatis studiis promptitudinem Nostram quavis occasione vicissim sumus declaraturi. Dabantur in Electorali Nostra Dresda, die 11. Julii, Anno 1676.

## DCXXXIIX.

*Litera LEOPOLDI, Rom Imperatoris, ad ANDREAM OLZOVIUM, Regni Poloniæ Prima-*

*tem, cui, quam vehementer animum suum calamitosus Poloniæ status afficiat, amanter refert, & Residentem suum, velut personam indubia fide dignam, sedulo commendat, 1676.*

Leopoldus Divina favente clementia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus &c.

**P. P.**

Quo animi nostri sensu ea, quæ literis suis decima quarta Mensis Augusti proxime præterlapsi datis Reverendissima Paternitas Vestra, cum ex Primatiali suo officio, tum Regni Senatorum Varsaviæ congregatorum sententia de afflicto Regni illius ac in præceps inclinante statu nuntiare voluit, perceperimus, quibusque curis & anxietate ex interno, quod totam Christianitatem perstrepit, visceraq; & nervos depascitur, bello impleti fuerimus, quivis alius, ne dum Reverendissima Paternitas Vestra facile æstimat, quippe, cui optime cognitum esse debet, quod Regno huic inclyto nulla non occasione, curarum, viriumque ac extrema etiam opis libenter impenderimus, ut vel eo magis in præsentiarum nos cruciet, quod in causa communi illic defendenda, dum pax Christiana ex Dei munere nostroque unico voto resarciatur vires nostras malo hoc vel ipsa Paternitate Vestra Reverendissima id prudenter agnoscente nimis quantum distentas sentiamus. Qui cæteroquin tamen, quantum rerum status permittet, operam semper dabimus, quo pristinus affectus noster, ac benevolentis-

ſentisſimi Vicini ſtudium cum Paternitati Veſtræ Reverendisſimæ, tum univerſo Regno illi maneat probatisſimum, reciprocam inde vicinitatem atque correſpondentiam merito nobis promittentes. Quod ipſum dum noſter ad aulam illam Regiam miſſus Reſidens, Conſiliarius noſter honorabilis, fidelis nobis dilectus, Joannes Chriſtophorus de Zierowe Zierowski pluribus explicabit, facilem ei amicamque aurem à Reverendisſima Paternitate Veſtra præberi cupimus. Cui, quod reliquum eſt, gratiæ ac benevolentiæ noſtræ Cæſareæ affectum confirmamus. Datum Viennæ die 4. Septemb. Anno Regnorum noſtrorum, Romani 17. Hungarici 21. Bohemici vero 19.

## DCXXXIX.

*Literæ, quibus JOH. GEORGIUS II. Elector Saxoniæ, JOHANNI III. Poloniarum Regi, promittit, ſe juſto tempore Legato Gallico quæſitum intercesſione Regia ſalvum conductum, daturum eſſe, 1676.*

P. P.

Quo deſiderio Regia Serenitas Veſtra Domino Epiſcopo Masſilienſi Legati Extraordinarii Gallici munere in Aula Regia Veſtra hactenus perfuncto, reditumque e Regno Poloniæ in Gallias paranti, de libero & ſecuro per Noſtras oras tranſitu, requiſitis deſuper ſalvi conductus Literis Noſtris, quales a Serenisſimo & Potentisſimo Domino Imperatore Romano aliisque Principibus promisſas ipſe habeat, proſpectum velit, ex perſcriptis ad

Nos

Nos, elapſo abhinc menſe Novembri literis Regiis, abunde cognovimus. Cum itaque prædicto Legato Gallico iſthac diſceſſuro ditiones Cæſareæ pro ratione ſitus tranſeundæ ſint, antequam ad Noſtras usque ille pervenerit; & propterea eum in finem Cæſareæ Majeſtatis literæ imprimis ſint expectandæ, Nos equidem, quam primum Nobis quicquam de facta iſtorum editione verbo Regio Veſtro ulterius conſtiterit, pari omnino gratificandi promtitudine Regiæ Serenitatis Veſtræ petitioni, pro ſincero Noſtro in eandem animi affectu, hac in parte locum ſumus relicturi. Cui de cætero firmam valetudinem & proſperos quoscunque rerum ſucceſſus ſerio precamur. Dabantur in Electorali Noſtra Dresda, menſe Decembri, 1676.

## DCXL.

*Breve INNOCENTII Papæ XI. ad ALOYSIUM, Patriarcham Alexandrinum, quibus ipſi Nuntiaturæ extraordinariæ ad Pacis Tractatus Noviomagi inſtituendos functionem committit, 1677.*

### Innocentius P. P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Cum in hoc graviſſimo totius fere Europæ incendio, quo pleræque, eæque florentisſimæ Chriſtiani Orbis Provinciæ miſerabiliter conflagrant, hæc ſancta ſedes Apoſtolica misſis ad Charisſimos in Chriſto Filios Noſtros LEOPOLDUM, Romanorum Regem, illuſtrem in Impera-

peratorem Electum, aliosque Reges Orthodoxos Nuntiis Extraordinariis non destiterit illos ad salubria Pacis consilia cohortari, & sicut accepimus, nonnullorum Regum & Principum Plenipotentiarii, Pacis tractandæ gratia Noviomagum convenerint, cæterique Regum & Principum Belligerantium Legati sive Plenipotentiarii Noviomagum, vel in alium locum ad id communi consensu eligendum, propediem, benedicente Domino, conventuri videantur: Nos pro ingenti quo tenemur publicæ tranquillitatis restituendæ, atque solidandæ desiderio, post indictas publice in toto Christiano orbe preces, quibus privatas Nostras toto cordis affectu assidue adjungimus, ut ineffabilis Dei benignitas, tot tantasque bellorum calamitates miserata, quietem populis ac Regibus & Principibus Christianis amabilem animorum concordiam, paremque orthodoxæ fidei adversus communem Christiani Nominis hostem conjunctis viribus & consiliis tuendæ & propagandæ zelum largiri dignetur tam salutare Reipublicæ Christianæ opus, omni animi contentione, studio atque opera urgere & promovere cupientes, ut aspirante superi favoris auxilio ad optatum finem perducatur; Te, qui præter generis claritatem dotesque alias, ingenii dexteritate, diuturno rerum usu præstas, & quem conditio muneris, quo apud memoratum Leopoldum, Regem, functus es, erudire satis potuit de rebus in conventu Neomagi vel alibi, ut fertur, habendo tractandis, Coloniam ablegare decrevimus, ut, ubi eo veneris, circumspecto prius & diligenter considerato Regionis illius & præsentium

tium rerum statu, ad locum aliquem Noviomago proximum, vel etiam Noviomagum, seu ad alium locum, ubi pacis ineundæ gratia conventus habebitur, si id & sedis Apostolicæ Dignitas ferre, & causæ publicæ ratio, in qua vera dignitas sita est, postulare videbuntur, te conferas. Itaque de spectata fraternitatis tuæ fide, prudentia, ac in rebus arduis agendis dexteritate, bonique publici zelo, plenam habentes in Domino fiduciam, motu proprio ac certa scientia & matura deliberatione Nostra, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, Te Nostrum & Apostolicæ sedis Nuntium Extraordinarium, ad hoc, ut congressibus & Tractatibus pacis, sicut præmittitur, habendis, una cum prædictorum Leopoldi aliorumque Regum & Principum Catholicorum, si qui illic fuerint Plenipotentiariis sive Legatis Nostro & dictæ sedis nomine, & tanquam Mediator intersis, teque interponas ac omnia facias, dicas, geras & exsequaris, quæ ad consequendum operis adeo boni atque optati effectum quovis modo conducibilia fuerint, cum facultatibus ad id, quomodolibet necessariis & opportunis ad Nostrum & ejusdem sedis beneplacitum harum serie constituimus & deputamus; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Cæterum te in Domino hortamur, ut injunctum tibi per præsentes gravissimum munus alacri animo suscipiens, illud ad omnipotentis Dei gloriam, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ honorem, Regumque & Principum concordiam ac populorum quietem & tranquillitatem, totiusque Christianæ Reipublicæ bonum sic gerere studeas, ut tu qui-

quidem de præclaris gestis tuis non solum apud omnes commendationem & laudem in terris, sed etiam imprimis a bonorum operum Retributore Deo primum in cœlis consequi merearis: Nos vero te votis & exspectationi de te Nostris respondere, lætemur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 26. Februarii, 1677. Pontificatus nostri anno primo.

## DCXLI.

*Literæ FRIDERICI WILHELMI, Electoris Brandenburgici, ad CAROLUM XI. Sueciæ Regem, quibus de Andreæ Lilienhœckii, Legati ipsius ad Aulam Polonicam Extraordinarii, intemperato linguæ calamique furore graviter conqueritur, ab eoque serio efflagitat, ut istum habiti ad Regem Poloniæ in se sermonis invectivi perpetratique inde criminis justas dare pœnas jubeat, 1677.*

### Serenissime Rex,

INvaluit pridem non tantum inter moratiores, sed & barbaras plerasque Gentes, ut armorum ac belli licentia etiam inter hostes fræno quodam humanitatis atque officiorum coërceretur, & ut esset aliquid quasi sacrum, quod extra sævi arbitrium Martis ab omni injuria ac violatione tutum atque immune præstaretur. Est hæc Majestas, ac reverentia Principibus debita, quam in ipso belli furore quasi extra teli jactum constitutam ab ipsis hostibus coli atque observari generis humani interest.

Præ-

Præstitum id a nobis in hoc, quod inter Regiam Majestatem Vestram, & nos prorsus invitos exarsit, bello. Nam de Regia Majestate Vestra, uti par est, non minore reverentia loquimur & sentimus, quam olim ante belli initium fecimus: idem ut a nostris fiat, serio allaboramus. Nec enim nostrum applausum habet, si quid acerbius & quod odii rabiem oleat, hinc inde divulgatum sit. Neque enim vinculum id amoris ac benevolentiæ, quod natura ipsa summas inter potestates indissolubili & sacro nexu constrinxit, nulla affectuum vi, inprimis ira aut odio, quorum causæ, uti infra Principes positæ sunt, ita ad tempus saltem durant, dissolvi possit ac debeat. Judicabit hinc Regia Majestas Vestra, quam graves & justæ nobis causæ sint conquerendi de ejus ad Poloniæ Regem Legato Lilienhœckio; qui non solum per omne ministerii sui in Polonia tempus, abjecto reverentiæ Principibus debitæ, & a reliquis Regiæ Majestatis Vestræ ministris, quod cum laude ipsorum dictum sit, nobis exhibitæ respectu, gravissimis nos insectatus est calumniis atq; injuriis, adeo ut non veritus sit, nos perfidiæ, petulantiæ, fraudium, atq; tyrannidis insimulare; Sed & nuper in facie totius Reipublicæ Poloniæ rem ausus est atrocem, cujus exemplum nec anteacta memorant secula, nec posteritas forte videbit. Nam cum erga Poloniæ Regis Ablegatum in privato, & uti credidimus, amico colloquio, orto de Lilienhœckio sermone, de ejus temeritate ac linguæ & calami intemperantia conquereremur, & memoratis atrocissimis, quibus in nos debacchatus fuerat, injuriis adjiceremus; certo

to nos ſcire, fieri id inſcia, imo invita Regia Majeſtate Veſtra, adeoque extra fines mandati, & cum eo ipſo jura gentium prior temeraſſet, ſeque indignum jure & privilegiis Legato alias debitis reddidiſſet, promeruiſſe, ut hæc ipſius rabies condigna fuſtium caſtigatione coërceretur: Licere ſibi putavit publicam audientiam a Rege Poloniæ poſtulare, eaque impetrata ſermonem habere impium, pudendum, qui in nos quidem nominatim tendit, ſed ſane cujus tela omnes, quotquot ſunt, Principes petunt, & quicquid adhuc a vulgi temeritate ac licentia ſanctum & intactum ſervatum fuit, illum ſcilicet Majeſtatis characterem a divinitate ipſa Principibus impreſſum, ſine quo nec Principatus nec Princeps ullus ſubſiſtere poteſt, uno ictu evertant. Id quod Regiæ Majeſtati Veſtræ ex ſubjecto exemplari, quod autori etiam typis vulgare, quaſi re bene geſta, deſtinatum fuit, dijudicandum relinquimus. Equidem non fugit nos, quæ ſint Legatorum jura, quis debeatur ipſis honos, & quidnam repræſentent; nec putamus ullum Regiæ Majeſtatis Veſtræ miniſtrum jure meritoque conqueri poſſe, quaſi his ipſis defraudare illum in animum induxerimus. Licuiſſet etiam Lilienhœckio, Regiæ Majeſtatis Veſtræ Intereſſe & cauſam contra nos honeſta qualibet ratione tueri ac promoveri. At cum per integrum triennium in totius Reipublicæ Polonicæ facie ſæviſſimis nos laceſſierit injuriis & calumniis, non potuimus, quin Ablegato Polonico teſtaremur, quidnam inde promeritus eſſet, ſi ex ipſo gentium jure cum illo agere vellemus. Fecimus tamen id laceſſiti & ex juſto do-

lore, & quidem cum præfatione, quod Lilienhœckius hæc talia patrans Legatorum jus fasque prior violasset, eoque se indignum reddidisset, adeoque non ut regius minister, sed ut calumniator furore percitus considerari mereretur. Et sane si ex justo fervore gravius in ipsum locuti fuissemus; num proinde ipsi licuisset hoc vindictæ & contumeliæ genere adversus nos uti, quæ discrimen omne inter Principes ipsos, ac eorum ministros tollit ac evertit. Equidem est nobis talium contemtor animus, qui injurias atque offensiones ab inferioribus illatas superne despicit, id quod triennali patientia adversus ipsum Lilienhœckium comprobavimus: nec forte nobis occasio defutura esset sumendi ab ipso autore gravem & promeritam ultionem. Sed quæ est nostra de Regiæ Majestatis Vestræ magnanimitate existimatio, non dubitamus justas nostras querelas ad Regiam Majestatem Vestram deferre, eandemque rogare, ut seposito belli, quod nos inter in præsens quidem est, sed si Deo placuerit brevi iterum componetur, respectu, sanguinis ac dignitatis, quæ sane æterna & inviolabilia sunt, rationem habere, & sæpe memoratum *Lilienhœckium*, indignum sane, qui pro Regiæ Majestatis Vestræ ministro, & ex generosa Suecorum natione ortum se ferat, ad dandam nobis publicam pro tanta contumelia publice illata reparationem constringere, & in eum graviter ac pro merito animadvertere sustineat. Quo quidem ipso Regia Majestas Vestra non tantum nobis, quod par & æquum ac sua generositate dignum est, tribuet, sed omnium Principum dignitatem per impii & im-

impuri istius hominis os violatum ab vulgi contemtu, imo ab interitu vindicabit. Principum namque injuriæ Principibus curæ esse debent, cum in omnes redundent, & quod adversus unum permittitur in alterum ruat. Quod si præter spem omnem atque expectationem nostram Regia Majestas Vestra abnueret, quo minus a Lilienhœckio, justa nobis fiat satisfactio, isque debito puniatur, non feret etiam graviter, quin ipsimet famam atque existimationem nostram, cujus bonum odorem ad posteros transmittere firmum nobis fixumque stat, debito modo tueamur ac vindicemus. Sed ominia nobis æqua ab heroico Regiæ Majestatis Vestræ animo promittimus. Dabantur die 12. Jan. 1677.

Regiæ Majestatis
Vestræ

*Bonus Consanguineus*
FRIDERICUS.

## DCXLII.

*Responsoria CAROLI XI. Suecorum Regis, ad præinsertas FRIDERICI WILHELMI, Electoris Brandenburgici, literas, 1677.*

EX literis Celsitudinis Vestræ Electoralis per tubicinem Danicum allatis uberius percepimus, acerbas, quas contra Legatum Nostrum Extraordinarium, Andream Lilienhœckium, Celsitudini Vestræ Electorali visum fuit proferre querelas, finiendo illas hisce minis, se ipsam illam, quam præ-

tendit injuriam severe vindicaturam, si a nobis talis non detur satisfactio, qualem Celsitud. Vestri Electoral. sibi debitam existimat. Quæ vero Celsitudo Vestra Electoralis de jure humanitatis inter moratiores gentes recepto etiam flagrante bello, deque suo ex dictamine ejusdem rationis erga nos studio præfatur, non solum fuere nobis grata, sed etiam pari illam animo data occasione sumus prometituri propensionem. Præterea quod ipsum, de quo Celsitudo Vestra Electoralis tam graviter conqueritur, negotium attinet, satis constat dilucide ex dicti nostri legati sermone (quem tamen pro authentico, usque dum ipse Legatus eum pro suo habeat, non possumus agnoscere) originem illud suam traxisse ex scriptis acerbis & injuriosis, quæ contra nos nomine Celsitudinis Vestræ Electoralis & in Comitiis Ratisbonæ & alibi evulgata sunt, quod etiam Legatus noster fas & muneris sui duxerit, iniquitatem eorum, & justitiam causæ nostræ Regi Serenissimo & Reipublicæ, ad quam missus est, ob oculos ponere, & comprobare. Num vero illa æquissimæ nostræ causæ defensio meruit, quod Celsitudo Vestra Electoralis tam ignominiosas, ut ipsa fatetur, in publicum & per jus gentium contra omnem injuriam merito munitam personam pronunciaverit minas, Celsitudo Vestra Electoralis seposito partium suarum studio ipsa dijudicabit; præcipue, cum contumelia ista orbi statim innotuerit, postquam Celsitudo Vestra Electoralis eam Ablegato Polonico coram prodidit. Quapropter cum fama & vita pari gradu ambulent & ejus generis læsio honesto viro sit ipsa morte gravior,

vior, mirari non possumus, quod Legatus noster acerrime desuper doluerit, & existimationem suam, dignitatemque nostram in ejus persona & munere simul vellicatam palam ulcisci voluerit; a prudentia ipsius, atque in rebus summi momenti gerendis nobis sæpius perspecta integritate ac fide nobis tamen promittentes, quod absque ullo offendendi Celsitudinem Vestram Electoralem pruritu moderamen inculpatæ & justæ defensionis servaverit, & nihil egerit, de quo nobis rationem reddere non possit. Interea temporis, & donec ulterius ab ipso nostro Legato informemur, non possumus vereri, quod Celsitudo Vestra Electoralis in eum quidquam attentare velit. Eadem etenim, quæ Celsitudo Vestra Electoralis pro sanctimonia, reverentiaque Majestati Principum debita ex jure gentibus communi deduxit argumenta, patrocinantur etiam ex eadem ratione, & earundem gentium unanimi consensu ipsis legatis; cum antiquitus declaraverint eorum personas sanctas & inviolabiles, & quod nemini in Legatos jurisdictio vel animadversio competat, nec teneantur ulli rationem ejus, quod perpetrarunt, reddere, nisi Principibus ac Dominis suis. Confidimus ergo, Legatum Nostrum Extraordinarium vel ex ipsa Celsitudinis Vestræ Electoralis erga jus gentium veneratione, vel sub Regis illius, ad quem eum misimus, suffragio & tutela fore securum; aut si ipsi, quod nobis tamen persuaderi nequimus, injuria quædam, præter fas inferatur, media nobis non defutura vindicandi gravissime illam, quæ in nosmet ipsos tunc redundaret, contumeliam. Quibus Celsitudinem

Veſtram Electoralem divinæ tutelæ commendamus. Dabantur in Caſtris Noſtris ad Liunby, d. 16. Martii, Anno 1678.

Celſitudinis Veſtræ Electoralis

*Bonus Conſanguineus*

CAROLUS.

F. Joël Oernſted.

## DCXLIII.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, quibus CAROLO II. Magnæ Britanniæ Regi, Johannem Danielem Krafftium commendat, 1677.*

P. P.

Cum diuturnæ conjunctionis reciprocæ memoriam quibuscunque renovandam ſtudiis cenſeamus, hac, quæ jam Nobis offertur, uti opportunitate, dum præſentium exhibitori dilecto Nobis ac fideli Johanni Danieli Krafft, qui rerum naturalium cupiditate, inclytæque Societatis Regiæ Anglicanæ admiratione incitatus Magnæ Veſtræ Britanniæ oras adire, permiſſu Noſtro inſtituit, viam commendatitiis hiſce communire voluimus. Honeſtis enim Viri hujus curioſi deſideriis hoc annuere eo minus dubitavimus, quo magis Regiam Majeſtatem Veſtram glorioſo erga iſtiusmodi generis ſtudia eorumque cultores affectu duci non obſcu-

obſcure novimus. Ideoque Regiam Veſtram Majeſtatem, ut præfatum Krafft Regiæ ſuæ clementiæ præſidio dignari, ſperatoque commendationis Noſtræ fructu beare velit, obnixe rogamus. Quod ſicuti Regiæ Majeſtatis Veſtræ erga Nos affectu freti ab Illa impetrare confidimus, ita indefeſſum animi Noſtri devinctiſſimi ſtudium comprobare, prout debemus, nunquam non paratiſſimos nos profitebimur. Regiæ Veſtræ Majeſtati ab omnipotente Deo proſperam valetudinem & Regiminis incolumitatem ſerio precantes. Dabantur in Electorali Noſtra Dresda, die 13. Martii 1677.

## DCXLIV.

*Litera JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad JOHANNEM III. Poloniæ Regem, quibus pollicetur ſe diligenter curaturum, ne autor cadis in Meidelio perpetrata crimen iſtud impune ferat, 1677.*

P. P.

QUas Regia Serenitas Veſtra de vindicanda in Jacobi Friderici Meidel, ſtudiorum cauſa olim in Academia Noſtra Lipſienſi degentis perſona indigne perpetrata cæde ad Nos perſcripſit literas, accepimus, atque adeo quidem nefando ipſo ſcelere ditiones Noſtras eſſe cruentatas, haud minus ferimus graviter ac moleſte, tum quod iisdem aliena effuſi ſanguinis humani culpa, niſi rite expietur, exitioſe inhæreat; tum etiam quod cœlitus Nobis demandata legum divinarum humanarumque cuſtodiendarum autoritas, cujus vigore indigna Chriſtiano nomine Duella ſeveris apud Nos

legibus prohibita sunt, ab utraque horum Duellantium parte invitis Nobis susque deque habita sit. Quemadmodum autem, quod muneris Nostri summa ratio postulat, non modo in primo statim flagrantis criminis vestigio elapsum fuga autorem, per latibula longe lateque persequendum serio curavimus; sed & a cœpta in facinoris complices, ad promeritas pœnas deposcendos, inquisitione etiamnum non desistimus; ita quoque in exaudiendis occisi Agnatorum precibus, & puniendis reis, nihil porro ad officium Nostrum facturi sumus reliquum, omnique ope effecturi, ut palam constet, quo loco apud Nos justitiæ administrandæ zelus, & quod cum Regia Vestra Serenitate Nobis intercedit amicitiæ & vicinitatis vinculum omnino habeatur. Cui simul cum amica studiorum Nostrorum pollicitatione, longævam regiminis tranquillitatem, & prosperos quoscunque rerum successus ab omnipotenti Deo, animitus precamur. Dabamus in Electorali Nostra Dresda die 26. Junii 1677.

## DCXLV.

*Litera CHRISTIANI V. Daniæ Regis, ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem, quibus sibi gratissimum quidem esse declarat, ut exorta inter se Ducemque Holsatiæ dissidia componantur, dummodo justa suorum jurium ratio habeatur, 1677.*

### Christianus Quintus, Dei gratia, Daniæ & Norwegiæ &c. Rex.

EX literis, quas Majestas Vestra die X. Mensis Julii proxime elapsi ad Nos exaravit, fusius percepi-

cepimus, quibus causis impulsa Nobis suam Mediationem & Officia, ad componenda, quæ inter Nos & Consanguineum affinemque Nostrum, Ducem Holsatiæ, Dominum Christianum Albertum, exorta sunt dissidia, offerre voluit. Eo gratior Nobis hæc a Majestate Vestra facta oblatio fuit, quod nulli dubitamus, quin ex sincero & vere fraterno erga Nos animo illa profecta sit, tantamque in ejusdem amicitia reponimus fiduciam, ut si in prædictis dissidiis aliqua mediatio locum habere possit, Majestatis Vestræ interpositionem in illorum compositione non minori promptitudine admissuri essemus, ac eandem ad hodiernos Pacis universalis Tractatus promovendos acceptavimus, & ut penes Majestatem Vestram unice maneat, hactenus allaboravimus. Cum vero querelæ & lites a Duce Gottorpiensi ad Majestatem Vestram delatæ, nullo alio fundamento nitantur, nisi quod postpositis omnibus fœderibus & pactis, quæ inter Regios Nostros ejusque Antecessores a pluribus seculis jam viguerunt, præcipue vero iis, de quibus nuper Rensburgi sponte Nobiscum convenit, eademque postea ultro sæpius approbavit, se ab omnibus nexibus, quibus Nobis tanquam Vasallus Regni Nostri Daniæ tenetur, & Ducatus Nostri Slesvici & Holsatiæ invicem ligantur, exsolvere queat, spe fretus, se ad exemplum Parentis sui, qui superiori infelici bello Regis Sveciæ generi sui armis & Cromwelli, Angliæ tunc temporis tyranni favore & injusta autoritate fretus nulla habita fidei Regno Nostro debitæ, ratione, sub falso prætextu quorundam frivola-

rum omnique fundamento destitutarum prætensionum, Domino Parenti Nostro, piæ & gloriosæ memoriæ, iniquas & plane intolerabiles conditiones extorsit, in præsenti rerum turbulento Statu sua jam pridem contra Nos inita pernitiosa consilia & injusta cœpta non minus vicinorum armorum favore, quam Majestatis Vestræ ad effectum perducere posse. Cujus rei veritas & inde elucescit, quod etiamsi Dilectioni suæ subinde proposuimus, Nos ipsam si memoratis pactis inhærere, eorumque tenori satisfacere velit, in pristinum Antecessorum suorum statum, restituturos; Illa nihilominus cessat de vi conqueri & aliorum Principum & Statuum auxilium & opem ad perficienda, quæ semel sibi proposuit, iniqua cœpta sollicitare. E quibus Majestas Vestra, pro singulari sua prudentia, haud difficulter judicabit, an sine maximo jurium Nostrorum præjudicio ab antiquis pactis, & iis, quæ inter Nos & Ducem Gottorpiensem acta & conventa sunt, a quibus Regnorum & Ditionum Nostrarum incolumitas maxima ex parte pendet, Nobis recedere, aut ea in dubium revocare & novis disceptationibus diuturnisque tractatibus subjicere consultum fuerit, imprimis cum præfatis pactis expresse sit constitutum, lites imposterum exorituras non aliorum Principum Mediatione, sed aliis mediis amicabilibus & domesticis componendas esse. Has aliasque ob causas, quas Noster in Majestatis Vestræ Aula degens Ablegatus Extraordinarius coram fusius exponere a Nobis jussus est, nulli dubitamus, quin Ma-

Majestas Vestra, ut in ejusmodi damnosos & præfatis pactis & fœderibus domesticis contrarios Tractatus consentiamus, non solum plane iniquum existimatura, sed etiam vigore fœderum, quæ cum Majestate Vestra Nobis intercedunt, quibus alter alterius commoda promovere, damna autem & pericula avertere tenetur, sæpius memoratum Ducem ad majorem & exactiorem observantiam & executionem antiquorum fœderum & pactorum aliorumque omnium, ad quorum præstationem se devinxit, compulsura, eundemque a solitis perniciosis consiliis in Nos serio dehortatura sit. Facit & Majestatis Vestræ multis argumentis Nobis nota æquanimitas, & in colenda mutuorum fœderum hactenus probata laudabilis constantia & fides, ut Nobis hæc de ejusdem amicitia promittamus. Qui vicissim nunquam patiemur in Nobis quicquam desiderari, quod Majestatis Vestræ ejusque subditorum commodis inservire, Nostrumque sincerum affectum ipsi probare possit. Quibus Majestatem Vestram cum omnigenæ felicitatis voto Divinæ tutelæ animitus commendatam volumus. Dabantur in Fortalitio Nostro Landscron die IV. Aug. 1677.

## DCXLVI.

*Litera JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad MARIAM JOHANNAM BAPTISTAM, Caroli Emanuelis II. defuncti Sabaudiæ Ducis viduam, quibus sibi oblatam renovandæ pristinæ necessitudinis occasionem in acceptissimis esse testatur, 1677.*

P. P.

P. P.

EX Regiæ Veſtræ Celſitudinis literis, quæ ſingularis benevolentiæ & honoris teſtificatione inſignes per earundem latorem decenter Nobis redditæ ſunt, abunde cognovimus, quo animo Illa priſtinæ neceſſitudinis memoriam renovandam, quove ſtudio colendam porro avitam cenſeat conjunctionem. Quæ res ſane cum & Nos iisdem Progenitorum Veſtigiis merito firmiter inſiſtamus, vel eo acceptiſſima Nobis extitit, quod & Nobis optata declarandi propenſiſſimi erga Regiam Celſitudinem Veſtram animi Noſtri, mutuæque benevolentiæ roborandæ exinde nata ſit occaſio. Ita enim quæſumus ſtatuat Regia Celſitudo Veſtra nihil neque ſtudii neque temporis in demonſtranda amiciſſimæ Noſtræ Voluntatis conſtantia a Nobis unquam prætermiſſum iri, prout prædictum Veſtrarum exhibitorem de hoc plenius coram relaturum confidimus. Deum optimum maximum ſerio precati, ut Sereniſſimam Regiæ Veſtræ Celſitudinis Domum lætioribus ſubinde incrementis cumulet Eidemque proſperos Regiminis & rerum omnium ſucceſſus deſuper largiatur. Dabantur in arce Müglen die 21. Auguſti 1677.

DCXLVII.

*Litera JOHANNIS III. Poloniæ Regis, ad FRIDERICUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum, quibus ab eo, ut D. Strauchium cuſtodia confeſtim liberari jubeat, obnixe contendit, 1677.*

P. P.

P. P.

DEderam non ita pridem in Commissis Magnifico Castellano Posnaniensi, ut quam diligentissime cum magnifico Johanne ab Hoverbeck, Serenitatis Vestræ ad Nos Legato, Nomine Nostro ageret, quatenus iste Serenitati Vestræ prolixius explicaret, quantum in eo verteretur momentum, ut D. Strauchius relaxato Serenitatis Vestræ arresto, Gedanum ad Nos mitteretur, reddendus postea Serenitati Vestræ, si quæ id ratio postularet. Et quamvis ad eodem Magnifico Hoverbeck fideliter rem Serenitati Vestræ delatam esse non dubitaverimus, & a Generoso tamen Sculteto Serenitati Vestræ de hoc desiderio Nostro satis etiam constitisse speramus. Cum itaque hosce fluctus, qui Magistratum & Populum hujus Urbis Nostræ non levibus jurgiis & litigiis collidunt, aliter sopire nequeamus, nisi Strauchius, qui primus & principalis horum motuum autor habetur, præsens adsit, ut complices duntaxat omnes, qui exitialem hujus Urbis confusionem conspirasse arguuntur, a Nobis coram investigentur; denuo ad Serenitatem Vestram instandum esse duximus. Porro non alia ille conditione hinc abeundi facultatem a Nobis impetravit, nisi quod se, dum necessitas postularet, rediturum promiserit & obstrinxerit. Quanto proinde prolixiora a fraterno Serenitatis Vestræ in Nos animo Nobis pollicemur, tanto fidentius ab eadem contendimus, ut prædictum Doctorem Strauchium ad causam in judicio Nostro dicendam, missum facere velit. Ut vero eo celerius hæc intentio Nostra in notitiam Serenitatis Vestræ

ſtræ deveniat, Venerabili Michaeli Hacki, Abbati Colbacenſi, Secretario & Eleemoſynario Noſtro, has Literas damus per ipſum coram Serenitate Veſtra conſignandas, unaque votivum reportandum reſponſum. Facilitatem hanc Serenitati Veſtræ mutua officiorum viciſſitudine libenter penſaturi & in luculentum ſui in Nos affectus documentum reportaturi ſumus, proſperrima quæque Serenitati Veſtræ apprecantes. Dabantur in Urbe Noſtra Gedanenſi, die 25. Auguſti Anno 1677. Regni vero Noſtri IV.

## DCXLVIII.

*Litera CHRISTIANI ALBERTI, Ducis Holſato-Gottorpienſis, ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem, cui falſiſſimas Regis Daniæ, quibus cauſam ſuam labefactari aggreſſus eſſet, criminationes eſſe, ſuaque cauſæ deciſionem ad Pacis univerſalis tractatus vel maxime pertinere demonſtrat, 1677.*

### Sereniſſime atque Potentiſſime Rex, Regiæ Veſtræ Majeſtati officia Noſtra ſunt paratiſſima, Domine Conſanguinee plurimum honorande.

CUm Literarum ad Regiam Veſtram Majeſtatem a Daniæ Rege ad diem IV. Auguſti, hujus Anni, datarum Copia Nobis benevole facta ſit, & ex iis cognoverimus, oblatam Regiæ Veſtræ Majeſtatis Mediationem, ad componendas noſtras controverſias, laudare quidem Daniæ Regem, faſtidire tamen & declinare ceu non neceſſariam, atque hoc ipſum ita ſe velle demonſtrare,

quaſi

quasi rebus a se perpetratis nescimus quos colores, & veterum novorumque pactorum inane Nomen obducat, defunctum vero Dominum Parentem Nostrum & Nos multis nominibus accuset. Quibus querelis cum illæ literæ gravescant, non possumus, quin Nostram innocentiam & honorem ab his criminationibus liberemus, posteaque Regiæ Vestræ Majestati exponamus, cur a tractatibus Pacis universalis Nostra causa, quam cum Rege Daniæ controversam habemus, sine injuria excludi, aut alibi sine gravi periculo ac præjudicio disceptari nequeat. Priscorum fœderum & pactorum tam fuimus observantes, ut pene in autoritate & obsequio Regum Daniæ non uno seculo Ducibus Gottorpiensibus vivendum fuerit: Ut vero omnino ab iis opprimamur, qui vi fœderum Nos defendere debebant, & servitutem proni subeamus, nullis pactis obstringimur. Viderint autem Reges Daniæ, quomodo non consultis Ducibus Gottorpiensibus, imo illis invitis & enixe dehortantibus, bella ex bellis serere, & horum ditionem communi calamitati toties involvere, salvis veteribus pactis & fœderibus, sibi licuerit, a quibus Nos temere vel inique recessisse, nunquam probatum iri confidimus. Rendsburgensibus sane pactis non magis Nos obligari libenter profitemur, quam illa vel ratione causæ vel modi agendi quid habent æquitatis aut bonitatis. Amici & Hospites Rendsburgum venimus, magna spei & contestationum amplissimarum congerie illecti, omnia bene sincereque actum & compositum iri: At contra jura Gentium & amicitiæ hostium loco habi-

habiti, captivi detenti, castro & milite cincti, ex una custodia in aliam tandem dimissi, ubique obsessi, & in conditiones iniquissimas (quas ipse ille agendi modus plane nullas esse arguit) vi metuque injusto adacti sumus. Tantum igitur abest, ut sponte amplexi fuerimus, ut nec unquam ultro, nedum sæpius illas ratas habuerimus. Etsi enim illa, quæ vi metuque gesta sunt, purgari aliquando per subsecutum liberum consensum a vitio suo possint; is tamen omnium prudentum judicio præsumendus non est, nisi plenæ libertati fuerit restitutus, qui post libere consensisse dicitur: cum e contrario metus semel illatus in certo negotio durare præsumatur, isque tanto magis animum Nostrum perturbare potuerit, quod rectis consiliis mero Regis facto privati fuerimus, præcipuis Ministris Nostris Hafniam captivis abductis, reliquis hoc novo exemplo territis. Souveränitas Ducatus Slesvicensis justo titulo & valde oneroso adquisita, eaque a Friderico III. Daniæ Rege Domui Nostræ libero, solenni & aliquoties repetito consensu jure optimo maximo cessa & per sedecim annos ita quiete a Nobis possessa fuit. Neque quidquam officit, felicitate armorum Svecicorum illam partam fuisse, cum indubitati juris sit bella non solum Nostro, sed & aliorum bono geri posse, Regisque Sveciæ arma, armis Danorum, etiam tunc tempore abusorum provocata Regemque Daniæ, si quam vim sustinuit, justam passum fuisse, eoque Restitutionis præsidium perdidisse. Nolumus etiam dissimulare, gravissimo ære alieno, hoc & superiori bello a Regibus Daniæ moto, Nos

obno-

obnoxios redditos, subditosque Nostros duris exactionibus ita esse exhaustos, ut partim solum vertere coacti sint, reliquis vero in deliciis sit, si vel panem atrum comedant. Itaque cum superioris belli compositione prætensæ satisfactionis gratiam fecerimus Regi Daniæ, translata jam in Domum Nostram Souverenitate, quid quæsumus lucrati fuimus, quod Nobis quisquam tantopere invideat? cum potius Daniæ Rex in lucro deputare debeat, quod illius temporis adminiculo & ipse Ducatus Slesvicensis, qua parte in ejus ditione est, Souverenitatem adeptus, & totius mox Regni Monarchiam prensandi occasionem consecutus est. Cum igitur Dominus Parens Noster nexu vasallagii & fidelitatis per tot solennia pacta publica plane solutus fuerit, non poterit sane illi imputari, quod nulla habita fidei Regi Daniæ debitæ ratione, Souverenitatem dicti Ducatus extorserit, nisi nullam omnium pacificationum & conventionum rationem Rex habere, suoque exemplo Reges Hispaniæ & Poloniæ, imo suos subditos excitare voluerit, provincias cessas, vetera jura & autoritatem, quamprimum occasio & facultas suppetit, repetendi. Grato quoque animo Regiæ Vestræ Majestatis beneficium recolimus, quod præter Generalem Guarantiam, quasvis Pacis Roschildiensis, conditiones complectentem, etiam ad specialem hujus Souverenitatis tuendæ & adserendæ gratia se obligarit, etiamsi Rex Daniæ illud hoc obtentu frustra elevare nitatur, ac si favore Cromwellii Souverenitatem impetrassemus. Præterquam enim, quod etiam aliorum Regum ac

Rerumpublicarum ſtudium & Mediationis Officium eidem negotio ejusque conditionibus acceſſerit, non ſatis adſequimur, quo modo Daniæ Rex modum ſtatuere poſſit, quos Invaſoris actus Regia Veſtra Majeſtas ratos habere velit, nec ne, cum illos omnes irritos fieri res & utilitas publica vetet. Imo ſi temporis & rerum geſtarum exactiorem rationem Rex Daniæ habeat, deprehendet, Legatum Anglicanum, qui tum temporis Haffniæ agebat, a Danicis Commiſſariis ad Regem Sueciæ hujus rei plane inſcium adductum & ab illis ejus ſtudium pacis componendæ gratia ſollicitatum fuiſſe. Patet hinc juſtisſimas eſſe Noſtras de Danorum gravisſimis injuriis querelas, neq; illa vel cœpta vel conſilia Noſtra in perniciem Regis ſed quæcunque forte Majeſtati Ejus ex his diſplicuerint, ad Domus & Ditionis Noſtræ Defenſionem, omni jure licitam unice comparata fuiſſe, adeoque immerito Nobis exprobrari, hujusmodi pernicioſis conſiliis Nos uti ſolitos fuiſſe, qui non niſi adverſus inſolitum dominatum & oppresſionem innoxia præſidia quæſivimus. Quæ cum ita ſint & Regia Veſtra Majeſtas de his vel *libello*, noſtro juſſu haud pridem edito transmiſſoque, vel a Noſtro, qui Londini eſt, Mandatario plenius edoceri queat, nihil æquius nihilque melius eſt, quam ut ad tractatus Pacis Univerſalis & Nos admittamur, & Regiæ Veſtræ Majeſtatis Mediatio a Rege Daniæ minime inſuper habeatur, præſertim cum aliorum Imperii Principum operam non videatur adſpernaturus. Neque vero adverſus hanc adſcita illa exceptio proficit, quaſi inter Regem & Nos verſetur

tur non nisi negotium Domesticum: cum nemo non intelligat, eo Pacem sanctissimis obtestationibus firmatam, ruptam, neque domesticæ necessitudinis ullam rationem habitam fuisse, adeoque non aliam ob causam mediationem illam detrectari, nisi propter quam rei fugientes dici solent. Quam enim non conveniens sit judicium sedecimvirale, in quo hoc, quod appellitant negotium Domesticum disceptetur, jam Regiæ Vestræ Majestati etiam cognoscere libeat. Inter Regnum Daniæ, Ducatusque & Principes Ordinesque utrorumque Anno 1533. fœdus, quod Unionis vocabulo venire solet, initum, eique præter alia, certa judicii formula inserta fuit, juxta quam inter ipsos Principes vel hos & Ordines oborituræ lites definiri debeant, puta ut istorum causæ sedecim Consiliariis, pari numero ab utroque constituendis arbitrandæ committantur. Quamvis autem istis fœderis tabulis amplissima his judicibus concessa potestas videatur, quaslibet causas cognoscendi & decidendi, non tamen meminimus, ad illos unquam delatas fuisse majoris momenti & de Ducatu Slesvicensi dubias Quæstiones, sed illas tantum non semper Principum exterorum Mediationi commendatas fuisse. Quippe non tantum in illo fœdere nullum verbum extat, quo hos Principes omnibus judiciis & arbitriis aliis renunciasse demonstrari queat, sed & illius judicii sedecimviralis potestatem diserta ejus verba, nec non usus & consuetudo, quæ optima legum & pactorum interpres est, ad minoris ponderis negotia restrinxerunt videlicet quando vel de agris vel de subditis quibusdam quæritur. Idcirco

non diu post conditam Unionem de feudo Ducatus Slesvicensis primum Coldingæ Anno 1547. deinde studio Augusti Electoris Saxoniæ, Ulrici Ducis Mecklenburgensis & Wilhelmi Hassiæ Landgravii Odenseæ Anno 1567. frustra actum, tandem ibidem An. 1579. quadantenus transactum atq; hac solenni conventione expresse cautum fuit: Si de successione in Ducatu Slesuicensi & similibus aliis rebus, de quibus hac transactione non convenisset, deinceps lis extitura esset, ut Duces Slesvicenses vel ipsi operam dent, vel aliorum Principum & Amicorum adhibeant, quo æquis bonisque conditionibus illa vel componatur, vel judiciali sententia dirimatur. Nulla hic fit mentio Judicii Sedecimviralis, quin potius perspicuis verbis factisque, nulla etiam contradictione Ordinum impugnante, illi de Ducatu Slesvicensi emersuræ controversiæ sunt exemptæ: ad quod tanto minus de Souverenitate quæstio referenda est, quod illo ævo, quo unio illa cœpit, de hac re ne quidem cogitatum sit, adeoque ejus pacta ad talia negotia & quæ subditorum conditionem plane transcendunt, porrigi nequeant. Quod si citra præjudicium daremus, olim *etiam* ad has Austregas conventionales lites feudales Slesvicenses fuisse interdum remissas, quod utriusque Principis consensu fieri posse videtur, tanta tamen & Danicis & Nostris rebus mutatio accidit, ut inviti ad illas trahi non possimus, & saltem sine gravi periculo hujusmodi controversiæ ibi amplius disceptari nequeant, quia tales constitutiones tam diu suas vires retinent, quam diu publicarum rerum idem fuerit Status: Qui cum in Dania & Ducatibus

bus plane ſit mutatus, & Ordinum Daniæ jus omne in manum Regis conceſſerit, iique deſierint eſſe, qui Unionis initæ tempore erant, magna autoritate præditi Senatores Regni; neque Ejus Majeſtati in propria cauſa eſſe judicem, neque tantam cauſam eorum judicio ſubmittere convenit, qui vel metu potentiæ, vel illecebris gratiæ Regiæ fluctuare, & irreparabili cum damno Noſtro labi poſſint. Cum igitur etiam inter liberos populos & Principes recuſatio ſuſpecti Judicis locum habeat, uſus temporum, & ipſius transactionis Odenſeenſis diſpoſitio aliam Nobis viam commonſtret; Regia Veſtra Majeſtas in eam, quæſumus, curam incumbat, ut Rex Daniæ illam Noviomagium jam ducentem Nobiſcum ingrediatur, quo pro tot tantisque damnis & injuriis, foris aliquod præſidium, quod domi nullum eſt, relinquatur. Quemadmodum enim Pax Roſchildienſis Regum & Rerum publicarum ſtudio conciliata fuit: ita quoque horum auctoritate illam inſtaurari & ſtabiliri publice intereſt. Noviomagi conveniunt omnes, qui vel contra Inſtrumentum Pacis Weſtphalicæ, vel Roſchildienſis vel Hafnienſis ſe læſos eſſe arbitrantur; Nos cum invitis his Pacificationibus omnibus ſimus oppreſſi, quo jure inde arceri poterimus? Noviomagi de Univerſali Pace conſilia agitantur; Quomodo igitur Noſtra cauſa ibi negligi poterit, cum a Daniæ Rege omnium primi gravisſimis injuriis adfecti, & tantum non confecti ſimus? Neque audiendi ſunt illi, qui ajunt, non ibi locum eſſe dandum niſi iis, qui alterutri belligerantium parti arma ſua conjunxe-

 rint.

rint. Si enim illi admittendi sunt, qui arma armis opponere, & par pari referre potuerunt, multo magis Nos locum inveniemus, quos omni armorum & defensionis præsidio plane a Rege Daniæ exutos, quaslibet ejus contumelias & ærumnas perferre oportuit. Jus Naturæ & Gentium Nobis favere scimus, neque ei ullum Principem oblocuturum esse putamus, nisi qui nimio vel partium vel privati commodi studio Pacem sibi suisque, Nostro Dignitatis & Ditionis impendio redemptam cupiat, parum memor, summam Nostræ causæ hanc esse, servire deinceps, an prisco jure imperare debeamus, & nostro exemplo servire etiam alii Principes Imperii, an pristino jure uti debeant. Istud cum Justitiæ, pactis conventis toties repetitis, tam religiosis sanctionibus munitis, utilitati Principum communi & Regiæ Vestræ Majestatis aliorumque Principum Fide jussorum honori, & autoritati maxime sit adversum, horum omnium propensæ ac justæ voluntati Nostram causam enixe commendamus & de Regiæ Vestræ Majestatis æquo judicio ac patrocinio imprimis bene speramus. Si enim Daniæ Rex se Noviomagi admitti & audiri cupit, id certe non alia lege fieri potest, quam ut quod juris in alios statuere decreverit, illo jure & loco ipse quoque utatur, & justissimas querelas a se maxime læsorum in illa Gentium Panegyri adversus se proponi non minus æquo animo ferat, quam forte graviter contra alios agere constituit. Imo velit nolit Rex Daniæ hoc loco & Mediationis officio uti, Nos certe cum aliorum fidejussorum, tum imprimis Regiæ Vestræ Majestatis Guarantiæ tam generali,

rali, quam ſpeciali tanta fiducia & conſtantia innitimur, ut quidvis pati malimus, quam ut Nos ab illa ſacra Anchora avelli patiamur: nulli dubitantes, illius autoritatem tam in invitos, quam volentes exercitum iri, & ſalutem ac reſtitutionem Noſtram Regiæ Veſtræ Majeſtatis fide tam fore tutam certamque, quam ſancte Deo & Hominibus Magnæ Britanniæ Reges illam unquam præſtiterunt. Faxit Deus, ut Regiæ Veſtræ Majeſtatis auſpiciis & immortali laude Pacis negotium feliciſſime procedat, ſuum cuique tribuatur, nemo amplius lædatur. Cujus gratiæ & tutelæ Regiam Veſtram Majeſtatem diligentiſſime commendamus. Dabantur Hamburgi Kal. Octob. Anno 1677.

Chriſtianus Albertus,

Dei gratia Heres Norwegiæ, Poſtulatus Coadjutor Lubecenſis, Dux Sleſvici, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, Comes in Oldenburg & Delmenhorſt &c.

Regiæ Veſtræ Majeſtati

*ad quavis officia paratiſſimus*

Chriſtianus Albertus, Mppria.

## DCXLIX.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad CAROLUM GONZAGAM, Principem Caſtilionneum, cui de Marchionatu de Medole, jure hæreditario ad Eum devoluto, amice gratulatur, 1677.*

F. P.

SUmmam Nobis lætitiam attulerunt literæ Excellentiæ Vestræ, quibus de Principatu & Marchionatu de Medole ad Eam Ejusque illustrisſimam prosapiam haud ita pridem devoluto Nos reddere certiores voluit. Quod igitur amicitiæ & tam singularis propensæ voluntatis suæ erga Nos ratio facere suadet, Excellentiæ Vestræ de novo illo ditionibus suis addito incremento gratulamur plurimum, ac ut illo quiete & prospero rerum omnium successu utatur, fruatur, ex animo optamus. Cæterum Excellentiæ Vestræ pro isthac amica significatione prolixas agimus gratias, ac quibuscunque studiis & officiis Nostram Ei benevolentiam vicisſim declarare potuerimus, ad ea ipsa Nos nunquam non paratissimos fore recipimus. Dabantur in Electorali Nostra Dresda die 5. Octobris 1677.

DCL.

*Litera JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad CAROLUM IV. Lotharingiæ Ducem, cui prosperrimos cum Eleonora, Michaelis defuncti Poloniæ Regis vidua, gratulatur hymenæos, 1678.*

P. P.

DIvini Numinis providentia Dilectionem Vestram ad celebranda propediem consummandi cum Serenissima Regina Poloniæ Vidua, Potentisſimi Imperatoris Romani Sorore, Domina Eleonora,

nora, connubii solennia feliciter accingi, libenter cognovimus, illoque nomine Eidem animitus gratulamur, nulli dubitantes, quin exoptatissimis hisce thalami auspiciis inclyta Lotharingica Domus perpetuæ felicitatis incrementa porro sit acquisitura. Quippe quæ Dilectioni Vestræ pro sincero Nostro erga Vos affectu cœlitus vovemus, Eandemque de cætero cum amica officiorum asseveratione, habitis pro tam gratæ rei nuntio gratiis, diu optimeque valere cupimus. Dabantur Dresdæ die 20. Januarii Anno 1678.

## DCLI.

*Litera JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem, cui Anthonium Güntherum, Principem Anhaltinum, impense commendat, 1678.*

P. P.

AD celebratissimam Regiæ Majestatis Vestræ Aulam, Illustrissimo Principe Anhaltino, Domino Antonio Gunthero, Cognato Nostro charissimo, profectionem instituente, abiturientis rogatu moti, haut alienum ab officio Nostro duximus, Eundem pro ea, qua Nos attingit sanguinis propinquitate, per præsentes benevole comitari: quo palam testaremur, quanti omnino faceremus, quam cum Regia Majestate Vestra sancte colimus necessitudinem, hac tam commodo occasione denuo contestandam, nec non heroicum cognati Principis, laudabiliter ad avita militaria decora consurgentis, institutum. Dum igitur ille eximia

in hoc genere ſtudia ſua, Regiæ Majeſtati Veſtræ, pro præſenti rerum armorumque Regiorum ſtatu, potisſimum conſecranda haut immerito ſtatuit, nullum certe dubium Nobis eſt reliquum, quin pro Regio ſuo erga inclytam Anhaltinorum Principum Domum affectu, Eundem illo præcipuo loco ſit habitura, unde haud vulgaris Noſtræ commendationis fructum favore Regio & Principe dignum ex ſententia conſequi valeat. Quibus Regiæ Majeſtati Veſtræ a ſupremo rerum moderatore proſperam valetudinis & regiminis incolumitatem ex animo precamur. Dabantur in Electorali Noſtra Dresda die 3. Aprilis 1678.

## DCLII.

*Commendatitia ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem, pro Theophilo Müllero, Medicinæ Doctore, a JOHANNE GEORGIO II. Saxoniæ Electore data, 1678.*

P. P

QUod de ſingulari Regiæ Majeſtatis Veſtræ erga Noſtrates benignitate jam pridem ad Nos relatum eſt, illud præſentium lator, dilectus Nobis ac fidelis ſubditus Noſter, Theophilus Müller, Medicinæ promotus Doctor, ex Anglia nuper redux, ſuo exemplo edoctus, condigna prædicatione adſtruxit. Cui quidem acquiſitæ tot itinerum per Italiæ, Galliarum atque adeo magnæ Britanniæ oras, nec non ſtudiorum exantlatis ſtadiis, eruditionis atque experientiæ conſummandæ cauſa, ad celeberrimum Angliæ Veſtræ Prytaneum & ſcientiarum adyta

adyta reditum paranti, submissis precibus a Nobis impetrata commendatione deesse noluimus. Quo igitur Regia Majestas Vestra laudatum hunc rei medicæ, nec non exquisitioris scientiæ cultorem favore Regio complecti, ejusque desideria, quovis meliori modo juvare dignetur, pro mutuæ necessitudinis fiducia, obnixe rogamus. Eandemque cum sincera studiorum Nostrorum asseveratione salvam sospitemque magno Reipublicæ bono, rebus humanis interesse etiam atque etiam cupimus. Dabantur in Electorali Nostra Dresda, die 5. Aprilis, 1678.

## DCLIII.

*Literæ GEORGII WILHELMI, Ducis Brunsuico-Cellensis, ad JOHANNEM III. Poloniæ Regem, quibus ipsi causam Patris & Filii Bobarttiorum impense commendat, 1678.*

### Serenissime, Potentissimeque Rex, Domine Consanguinee Colende.

OBlatæ sunt nobis literæ supplices a Colonello Locumtenente Rei Nostræ Tormentariæ, Eilhardo Christophoro de Bobart, Dantiscano, adeoque, Regiæ Majestatis Vestræ subdito, quibus prolixe exponit, intercessisse sibi, & Parenti suo, duos jam annos, cum vidua Ehleri Hoffmanni, civis Dantiscani, super debito liquidissimo, eoque, publica bonorum omnium munito hypotheca controversiam, quæ, quumprimo in ordinario, quod Dan-

Dantisci est, Dicasterio, deinde etiam in Senatu ibidem agitata, & in utroque judicio secundum se lata sit sententia, dictam viduam, novas solvendi moras nectentem, & quod salubre alias pressis, appellationis beneficium constitutum est, in præsidium iniquitatis trahentem, ad summum Regiæ Majestatis Vestræ Tribunal tandem provocasse, humillime rogans, quoniam tum Pater ejus ætate septuaginta annorum gravis, tum ipse etiam, ob locorum distantiam, & officia, quæ Nobis præstat, militaria, coram accedere Majestatem Vestram Regiam, & negotium istud, in quo magna fortunarum suarum pars sita sit, quam submisissime eidem commendare nequeunt, ut Nos eos, intercessione hac Nostra apud Regiam Majestatem Vestram, ne causa tam justa cadant, juvare velimus. Quanquam vero nobis nullum sit dubium, quin Majestas Vestra Regia, pro insigni, qua est, æquanimitate, sponte sua in id inclinet, ut cuivis subditorum suorum justitia æqua lance administretur; quia tamen spem juris sui obtinendi non exiguam in Intercessionalibus nostris supradictus Colonellus Noster Locum tenens posuit, non potuimus non petitis ejus annuere. Et rogamus proinde perquam obnixe Regiam Vestram Majestatem, velit Ea minime permittere, ut absentia illi sua fraudi sit, sed potius Regio Tribunali suo serio demandare, ut, causa ista citra ambages probe examinata, quod justum est, in eadem statuat, ipseque adeo jus aliquando consequatur, quod a partibus suis stare haud dubitat, & a duobus jamjam judiciis agnitum est. Quo ipso, ut faciet Regia Majestas Vestra

ſtra rem nobis gratam, & Regio ſuo nomine dignam, ita ad quævis officiorum genera ei viciſſim erimus paratiſſimi. DEUS Regiam Majeſtatem Veſtram rebus omnibus florentem quam diutiſſime ſervet. Dabamus in Aula Noſtra, quæ eſt Cellis, d. 29. April. Ann. 1678.

Georgius Wilhelmus.

DCLIV.

*Litera ſyſtatica, quas* JOHANNES GEORGIUS II. *Saxoniæ Elector, Jacobo Tobin, Nobili Anglo, ad* COSMUM III. *Magnum Etruriæ Ducem dedit, 1678.*

P. P.

Dum ſuſcepta in Italiam atque alias exteras oras profectione, ad inclytam Dilectionis Veſtræ aulam præſentium exhibitor, Jacobus Töbin, Nobilis Anglus, itineris curſum flectere inſtituit, pro mutuæ Noſtræ neceſſitudinis fiducia, commendatione Noſtra ipſum comitari vel eo non dubitavimus, quod cognati ejus, Viri nobilis Wilhelmi Swann, Sereniſſimi Regis Angliæ apud Hanſeaticas Germaniæ Civitates Reſidentis Miniſtri, ob egregia merita ſingulariter Nobis dilecti, interventus opportunus id quodammodo a Nobis exigere videretur. Quo igitur Dilectio Veſtra dicto nobili in provehendo ejus itinere, liberum facilemque commeatum indulgere, honeſtaque ipſius inſtituta gratia ſua, favore atque ope proſequi

ſequi dignetur, ab Eadem etiam impenſius contenderemus, niſi perſuaſiſſimum Nobis foret, Ipſam pro ſolita humanitate, virtuti bonorum vel ſua ſponte eſſe velificaturam. Cui diuturnam porro valetudinis & rerum omnium incolumitatem a Deo ſerio precamur. Dabantur in Electorali Noſtra Dresda, die 6. Maji, 1678.

## DCLV.

*Literæ Commendatitiæ a JOHANNE GEORGIO II. Saxoniæ Electore, ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem, Mauritio Tham, Mareſcallo a Biberſtein, Auguſti, Archipræſulatus Magdeburgici poſtulati Adminiſtratoris, ſupremo cubiculi Præfecto tradita, 1678.*

P. P.

Cum nullum facile neque ſtudii neque temporis momentum in demonſtranda animi devinctiſſimi conſtantia unquam prætermittendum cenſeamus, haut aliena ab officio Noſtro, per præſentes, pro eo ac par eſt, Regiam Majeſtatem Veſtram inviſendi viſa fuit occaſio, dum earum exhibitor, Vaſallus Noſter, dilectus Nobis ac fidelis, Mauritius Tham, Mareſchallus a Biberſtein, Celſiſſimi Ducis Saxoniæ Domini Auguſti, Archiepiſcopatus Magdeburgenſis poſtulati Adminiſtratoris, Fratris Noſtri dilectiſſimi, ſupremus cubiculi Præfectus, in Gallias profecturus, ad Inclytam Regiæ Majeſtatis Veſtræ aulam itineris curſum flectere inſtituit. Huic igitur & genere, & virtute eque-

equestri Nobili Viro, quo Regia Majestas Vestra, pro insigni sua erga Nostrates benignitate, liberiorem accessum indulgere, eumque Regiæ gratiæ nutu fructuque hujus Nostræ commendationis beare dignetur, obnixe rogamus. Simulque Regiæ Vestræ Majestati cum sincera studiosæ Nostræ voluntatis testificatione diuturnam valetudinis juxta & rerum incolumitatem ab omnipotente Deo serio precamur. Dabantur in Electorali Nostra Dresda, die 21. Junii, 1678.

## DCLVI.

*Litera* CAROLI BELGICI HOLLANDI DUCIS DE TREMOLLIA, *ad* ALOYSIUM DE BEVILAQUA, *Nuntium Sac. Sedis Apostolicæ ad tractatus Noviomagenses Extraordinarium, cui jura, quæ sibi in Regnum Neapolitanum competere persuasum habebat, diligenter commendat, 1678.*

### Illustrissime & Reverendissime Domine.

CUm Vestra omnia consilia eo tantum spectent referanturque, ut instaurata per Orbem Christianum Pace, Reges & Principes quotquot sunt, qui aliquam passi sunt vel injuriam vel jacturam, sua in jura pristinumque statum restituantur, mei ipsius & avitæ dignitatis oblitus videar, si transmissum in me a Serenissimo Friderico Neapolitano Rege, avi mei Tritavo, jus indubitatum & legitimum coram Dominatione Vestra Illustrissima, tam opportuna data occasione non prosequar. Opti-

Optimus ille, ut cuilibet est notorium & pacatiore seculo dignissimus Princeps, cum a Serenissimo Arragonum Rege, FERDINANDO CATHOLICO, patruele, Novercæ Germano, perpetuamque amicitiam professo, sibi ostentatam prius, promissamque sæpius opem sponderet, ab eodem in dignitatis fortunarumque, totius adeo familiæ perniciem adductus priusque ab illis, quas auxiliatrices credebat, copiis est oppressus, quam vel imminens periculum prævidere, vel illatam sibi vim liceret propulsare, liberis ejus eorumque posteris Jus illud legitimum reliquit. Nunc vero cum sapientissima Dei sapientia sub ipsis universæ Europæ oculis Principum quorumcunque rationes, earundemque momenta Illustrissimæ Dominationi Vestræ veniant expendenda, visum est mihi cum bona Christianissimi Regis, Domini mei supremi venia, meo meorumque nomine, Illustrissimæ Dominationi Vestræ denunciare, me unicum legitimum hæredem, recta linea ab ipso Rege ortum, quem nullius offensæ reum, nulla belli indictione præcedente solio fortunisque universis excussit Ferdinandus Quintus Arragonum Rex. Cum autem Catholicus Hispaniarum Rex, CAROLUS SECUNDUS, Regnum Neapolitanum nullo alio jure quam successione dicti Ferdinandi Invasoris retineat, id officii mei rationem postulare credidi, ut Illustrissimæ Dominationi Vestræ Mediationem Apostolicam dignissime obeunti causam meam commendarem. Hoc consilio generosum virum *Joannem Gabrielem Sanguiniere*, Dominum de Charansac, Regi Christianissi-

nissimo a Consiliis, & in Curia Præsidiali Parisiensi Senatorem, ad Dominationem Vestram misi, qui mea studia exhibens causæ æquitatem exponat, cujus pro merito suo officiique demandati religione rationem habeat Illustrissima Dominatio Vestra, & in me meosque benevolenti sit animo, demisse oro & obtestor.

Illustrissime & Reverendissime
Domine

*Datum ex Exercitu Regis Christianissimi, die septima Julii, 1678.*

*Dominationi Vestræ addictissimus*

Carolus Belgicus Hollandus
de Tremollia.

*Inscriptio.*

Illustrissimo & Reverendissimo Domino, Domino Aloysio de Bevilaqua, Patriarchæ Alexandrino, Sacræ Sedis Apostolicæ Nuntio Extraordinario, & ad Pacis universæ Tractatus Noviomagenses Mediatori æquissimo.

## DCLVII.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem, de noviter instante anno gratulatoriæ, 1678.*

P. P.

ASsiduum Nostrum ut hactenus fuerit votum Deum immortalem precari, ne quid in Regiam Vestram Majestatem (*Serenitatem*, *Dilectionem*) expetat, unde felicitas ejus læta ac prospera corrumpi, valetudo debilitari aut alias minus aliquid fausti Ei accidere velit; ita illucescente iterum novi anni auspicio, hanc desiderii Nostri pietatem coram Regia Vestra Majestate, (*Serenitate*, *Dilectione*) literis hisce repetere Nostrarum partium esse credidimus. Ut ergo Regiæ Vestræ Majestati hæ calendæ & plures aliæ quam felicissime decurrant, Illique nec solidum animi robur nec commoda corpori valetudo unquam desit, cœleste & omnia moderans Numen religiose veneramur atque adoramus. Dabantur Dresdæ, die 10. Decembris, 1678.

Nota. *Pari ratione gratulatoriæ quoque ad varios Europæ Reges & Principes exaratæ fuerunt.*

DCLIIX.

*Literæ, quibus JOHANNES GEORGIUS II. Saxoniæ Elector, COSMO III. Magno Etruriæ Duci pro honoribus Christiano, Saxoniæ Duci, benevole exhibitis gratias ingentes agit, 1679.*

P. P.

INfinitis illis, quibus Dilectioni Vestræ jam pridem addictos Nos profitemur, nominibus, insignis accessit

cessit cumulus, ex quo Celsissimus Princeps & Agnatus Noster charissimus, Dominus Christianus, Saxoniæ Dux, profecta in se florentissimæ Aulæ Vestræ honestamenta, amoris pariter & benevolentiæ omnigenæ plenissima, non sine debita æstimatione Nobis coram collaudavit. Quare Nostrarum partium esse censuimus, tam honorifica mutuæ conjunctionis monumenta, & quam Dilectio Vestra erga Nos & Nostram Electoralem Domum testatam voluit voluntatem, gratæ mentis testificatione prosequi, cujus quidem continuandæ fiduciam Nobis simul attulere, cum gratissimæ illæ per Præfecturæ Nostræ Dippolswaldensis Gubernatorem & cameræ Nobilem, dilectum Nobis & fidelem, Domenicum de Melani, redditæ Nobis literæ, tum etiam ipsius referentis fides. Quippe qui collatam in se a Dilectione Vestra gratiam, & quod ipsum in eorum numerum, quibus in inclyta Aula Vestra aditus ad antecameram præ cæteris patet, benigne cooptare dignata sit, submissa devotione prædicando, addito exoptato Serenissimæ Domus Vestræ incolumitatis nuncio haud mediocriter Nos exhilaravit. Deum optimum maximum serio precamur, ut Dilectionem Vestram, quam de sincero Nostro erga se animo persuasissimam omnino cupimus, omni porro valetudinis & rerum florentissimarum incremento cœlitus cumulet ac tueatur. Dabantur in Electorali Nostra Dresda, die 11. Martii, 1679.

## DCLIX.

*Literæ fiduciariæ, quas JOHANNES III. Poloniarum Rex, Stanislao Radzivilio, S. R. Imp. Principi, ad JOHANNEM GEORGIUM II. Saxoniæ Electorem dedit, 1679.*

P. P.

DEdimus in commissis illustri Stanislao Duci Radzivilio, Sacri Romani Imperii Principi, Dapifero Magni Ducatus Lithuaniæ, quatenus Serenitatem Vestram, ea, quæ videbitur commodior, occasione, nomine Nostro Regio conveniat, Eidem tam propensissimæ voluntatis Nostræ Regnique Nostri Ordinum sensus explicet, quam illa exponat desideria, quæ Orbis Christiani, præsertim eorum Principum & Statuum concernunt securitatem, quibus orientalis imminet potentia. Nec dubitamus, Serenitatem Vestram facilem aurem, fidemque indubiam daturam Illustri proponenti Nostro, reciprocaque commune negotium promoturam opera. Quod reliquum est, Serenitati Vestræ longævam incolumitatem, prosperrimosque rerum successus amice exoptamus. Dabantur Grodnæ Lithuanorum, die 12. mensis Aprilis, Anno 1679. Regni Nostri anno quinto.

Serenitatis Vestræ

*Bonus Frater & Consanguineus*

JOHANNES.

DCLX.

## DCLX.

*Responsoria JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad præinsertas JOHANNIS III. Regis Poloniarum literas, 1679.*

P. P.

QUæ Regiam Veſtram Serenitatem moverit ratio, Illuſtrisſimo Domino Stanislao, Duci Radzivilio, Sacri Romani Imperii Principi, Magnique Ducatus Lithuaniæ Dapifero, in commisſis dare, nomine Regiæ Serenitatis Veſtræ Nos data quavis occaſione commodiore conveniendi, Regiæ Veſtræ Serenitatis propenſisſimæ erga Nos voluntatis non minus, quam Regni Ordinum ſenſus explicandi, inſimul & exponendi deſideria, quæ Orbis Chriſtiani, præſertim vero eorum Principum Statuumque concernunt ſecuritatem, quibus orientalis immineat potentia: Id ipſum partim ex Regiæ Serenitatis Veſtræ ad Nos exaratis Nobisque exhibitis literis fiduciariis, partim ex memorati Principis proponentis ore pluribus intelleximus. Sicut igitur cum primis Regiæ Serenitati Veſtræ pro ſinceri in Nos affectus benevolentiæque nunquam non ſatis deprædicandæ documentis officioſas decentesque gratias referimus, ita non poſſumus non laudare Regiæ Veſtræ Serenitatis vere Regium atque Chriſtianum propoſitum, immanem Chriſtiani Nominis hoſtem, a ſuis pariter ac cæterorum, qui periculo proximi ſunt, finibus arcendi, ac pro re nata hunc in modum auxilium a Nobis non minus quam aliis poſtulandi. Cum vero tantæ

molis negotium hoc sit, quod nonnisi communi Ordinum Germaniæ Concilio decidi atque expediri queat. Non ægre laturam Regiam Vestram Serenitatem confidimus, si in re tam ardua, tantique momenti aliquod temporis spatium Nobis indulgeri petamus, cum cæteris Sacri Romani imperii Electoribus, Ordinibusque præcipuis periculo proximis rationem ineundi, quid tandem urgente necessitatis casu, pro avertendo periculo communi e Republica statuendum sit. Cujus saluti securitatique salutaribus consiliis muniendæ, uti maximam partem Electoralis Nostri officii autumamus: Ita quantum quidem in Nobis est, illustribus majorum Nostrorum exemplis concitati, nihil prætermittemus, ad illud quod pertinere, interque Regiam Vestram Serenitatem ac Nos conservando pariter & obligando mutuæ intelligentiæ, vicinitatis & amicitiæ vinculo, commodum esse ac inservire posse videbitur. Dabantur Misenæ in arce Nostra Electorali Albertina die 1. Octobris 1679.

## DCLXI.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad COSMUM III. Magnum Etruriæ Ducem, cui Christophorum de Westenigk & Conradum Henricum a Zeschwitz diligenter commendat, 1679,*

P. P.

Egregia singularisque probitas, fides, opera atque diligentia, quibus, dum puerorum Nobilium numero adscripti, erga Nos usi fuerunt, Johan-

hannes Christophorus de Westenigk & Conradus Henricus a Zeschwitz, eos Nobis haud mediocriter commendarunt. Illi itaque cum maxime cupiant impetrare a Dilectione Vestra, quo inter corporis ejus custodes cooptentur, aut si opportuna minus ad id occasio se exhibuerit, eorum nomina præsidio Dilectionis Vestræ, quod Liburni habet, addicentur; Ideo rem profecto Nobis gratissimam fecerit Dilectio Vestra, si in eo gratia & benevolentia sua hosce Nostros Vasallos juverit. Dabunt illi operam, ut, si quid in ipsos hac præsertim in parte, benignitatis contulerit Dilectio Vestra, id & æstiment recte, & prout par est, prosequantur semper, ne parum grati & pii videri possint. Nos vero in id enitemur sedulo, ne quæ occasio elabatur Nobis vicissim & gratificandi Voluntati Dilectionis Vestræ & commodis Ejus inserviendi. Interim Dilectioni Vestræ constans animi corporisque robur, ac ut felicissima semper Reipublicæ quies immota & securitas firma semper arrideat, animitus apprecamur. Dabantur in Arce Nostra Electorali Dresdæ die $\frac{10}{20}$. Apr. 1679.

DCLXII.

*Responsoria, quibus COSMUS III. Magnus Hetruriæ Dux, JOH. GEORGIO, Electori Saxonum, commendatitias ipsius apud se plurimum valuisse significat, 1679.*

P. P.

INgenui adolescentes Johannes Christophorus de Westenigk & Conradus Henricus a Zeschwiz qui Nobilitate generis & Virtutum Ornamentis tam peculiarem locum apud Dilectionem Vestram ob-

tinere meruerunt, a Nobis quidem haud procul sisti debuerunt, unde Dilectionis Vestræ voluntatem sectando, ultra numerum etiam inter custodes Nostri Corporis Equites cooptari voluimus, non dubitantes, quin hac quoque animi Nostri alacritate in omnibus, quæ Dilectioni Vestræ placuerint, fidei & observantiæ Nostræ argumenta erga Serenissimam Electoralem Domum clarius elucescant, & mutuæ necessitudinis vincula arctius indies obstringantur. Interim Dilectio Vestra ex operibus ipsis sollicitudinem cordis agnoscat, ac de eadem sibi sanctiora quoque promittat, dum a supremo bonorum largitore plenam ipsis incolumitatem ac faustissimas rerum vices auspicamur. Dabantur in Urbe Nostra Florentiæ 9. Sepembris 1679.

## DCLXIII.

*Litera EDUARDI WOOD, Plenipotentiarii Anglici, ad PLENIPOTENTIARIOS DANICOS, quibus se jamjam Malmogiæ præsentem esse & initium Tractatuum præstolari significat, 1679.*

Excellentissimi Domini.

Cum pacis Tractatum Neomagi ante hac initum studia S. Regiæ Majestatis Magnæ Britanniæ mediatoria tanto successu promoverint, ut jam demum ad universum opus absolvendum nihil amplius desideretur, quam ut effectum sortiatur Tractatus Lundini in Scania institutus, cui quin manum pariter admotura sit Sacra Regia Majestas Magnæ Britanniæ, donec dissidiis inter Sacras

cras suas Regias Majestates Daniæ & Sveciæ Reges compositis omnibus, iste etiam tractatus optatum assequatur finem, dubitari nec potest, nec debet. Ea propter sacræ Regiæ Majestatis Magnæ Britanniæ Ablegato abs re neutiquam fore visum est, si ad evitandam temporis jacturam, quantum fieri potest, Ipse sese prope locum Tractatus quam primum redderet. Quo fretus Consilio iter suum confestim expedivit, & jam Malmogiæ agens, adventus sui Excellentias Vestras certiores esse faciendas duxit,

Excellentiarum Vestrarum

*Malmogiæ 5. Julii 1679.*

*devotus Cultor*

Eduardus Wood.

*Inscriptio.*

A leurs Excellences Messieurs les Ambassadeurs Extraordinaires & Plenipotentiaires de Sa Majesté de Danemarc

a

Lund.

## DCLXIV.

*Responsoria PLENIPOTENTIARIORUM DANICORUM, ad præcedentes PLENIPOTENTIARII ANGLICI literas, 1679.*

Nobilissime Domine.

EX Nobilissimæ Dominationis Vestræ literis 5. hujus Mensis exaratis hodieque Nobis exhibitis, quas habuit Stockholmia relicta se Malmo-

 giam

giam ocyus conferendi causas libenter intelleximus, nimirum quod non dubitet, quin Sua Regia Majestas Magnæ Britanniæ, cujus studia mediatoria Pacis Tractatum Neomagi ante hac initum bono cum successu promoverint, tractatui hic instituto manum pariter admotura sit, quo universum pacis opus hac ratione feliciter absolvi possit. Cum enim Sacra Regia Majestas Daniæ & Norwegiæ, Dominus Noster clementissimus, maximi semper Suæ Regiæ Majestatis Magnæ Britanniæ mediationem fecerit, satis Nobis constat, Eandem nihil magis etiamnum in votis habere, quam ut Suæ Regiæ Majestatis Magnæ Britanniæ amicabili interpositione & efficacibus officiis etiam inter hæc Borealia Regna firma pax & concordia æquis conditionibus quantocyus restaurari possit. Nobilissimæ interim Dominationi Vestræ de felici in has oras adventu peramice gratulantes eidem officia Nostra paratissima deferimus. Lundini 6. Julii 1679.

## DCLXV.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem, cui felicissimas instantis & plurium aliorum annorum gratulatur calendas, 1679.*

P. P.

DUm redemtionis Nostræ iterum recolimus memoriam, annique renascentis auspicia jam instant, haud abeundum duximus ab inveterato more Nostroque officio, quo Regiæ Vestræ Majestati prosperrima quæque ex animo precari solemus, ea spe freti fore, ut non minori affectu ab

Eadem

Eadem vota Nostra suscipiantur, quam fusa sunt infucata fide, cultuque, quo Regiam Vestram Majestatem semper prosequimur, plane singulari. Ac uti toto pectore lætamur, quod voti Nostri compotes facti, Regiam Vestram Majestatem cum serenissima Regia Domo, salvam atque incolumem & omni ex parte beatam, suavissimaque fruentem pace, coram velut intueamur: Ita ut propriam perpetuamque Eidem, seræque Ipsius Posteritati hanc felicitatem esse jubeat benignissimum Numen, voti Nostri summa & apex est. Quos scilicet nihil æque capit, quam si de novis identidem iisque maximis felicitatis incrementis Regiæ Vestræ Majestati congratulando, pro eo, ac decet, mutuam Nostram necessitudinem devinctumque culmini Vestro testari animum ac voluntatem usibus Vestris serio dicatam declarandi copia detur. Dabantur Dresdæ in Arce Nostra Electorali, die 12. Decembris 1679.

*Nota.* Ejusdem ferme tenoris literæ exaratæ quoque ad Hispaniæ, Galliæ, Poloniæ Sveciæque Reges, Reginam Hispaniæ viduam & Magnum Etruriæ Ducem, mutatis saltem mutandis, fuere.

## DCLXVI.

*Literæ JOHANNIS GEORGII II. Saxoniæ Electoris, ad CAROLUM II. Hispaniarum Regem, cui perpetuos ex suavissimo cum Principissa Aurelianensi contracto matrimonio successus, ex animo gratulatur, 1680.*

P. P.

P. P.

Lectis Regiæ Majestatis Vestræ literis, quibus de matrimonio Illam inter & Serenissimam Principem, Mariam Ludovicam, Aurelianensis Ducis Filiam primogenitam, haud ita pridem feliciter concluso Nos certiores facit, magna sane lætitia pro Nostro erga Vestram Majestatem Regiam studio proque rei confectæ magnitudine affecti sumus. Immensas ergo sanctissimo Numini, quam primum pergratum istud nuntium ad aures Nostras perlatum, gratias egimus, quod regia per matrimonia, quibus utraque Hispanorum & Gallorum inclyta Natio jam nexa invicem, pax nuper cum totius Christiani orbis insigni solatio inter Eam opportune facta, æterna quasi reddita fuerit. Faxit igitur divina benignitas, ut Regia Majestas Vestra cum Regia sponsa deliciis omnibus, beatitatibusque omnibus fruatur, quas aut promittere novi thalami suavitas aut felicissimorum Conjugum præstare potest conditio; Suis autem florentissimis regnis ex suavissima hac conjunctione successores perpetuos, augmentum firmum, gaudiumque perenne, Reipublicæ vero Christianæ, ut uberes atque amplissimos fructus exinde percipiat, serio optamus. Quod reliquum est, quemadmodum Regiæ Vestræ Majestati semper, ita quoque pro jucundo isthoc nuntio ad quævis officiorum genera Illi sumus obligati. Dabantur Misniæ in Arce Nostra Albertina die 1. Februarii Anno 1679.

DCLXVII.

## DCLXVII.

*Responsoria, quibus CAROLUS XI. Svecorum Rex, JOHANNI GEORGIO II. Saxonum Electori, reciproco candore fausta novi anni gratulatur auspicia, 1680.*

P. P.

Vota illa, quibus Celsitudo Vestra Electoralis Nobis ad auspicia anni hujus nuper ingressi applaudere voluit, eo Nobis fuere magis grata, quod & feliciori quam hactenus, dum bello luctaremur gravi & cruento, venerint tempore, & Nobis impertiantur ab Amico, cui fidissimum Nobis cupiendi studium ipsa hac inimica belli tempestate experti fuimus, qui etiam gloriam obtinuit, sanando huic malo medicam adhibuisse manum. Gratiam, quam præterea Celsitudini Vestræ Electorali debemus, nulla oblivio auferet, neque sincerum Nostrum propositum promoveri gratæ illum veræ amicitiæ candorem. De cætero Dei Clementiam, quæ cuncta hæc nobis largita est bona, imploramus, quo & præsentia & futura tempora Celsitudini Vestræ Electorali semper elucescere faciat fausta & exoptata; Eandemque ac Serenissimam Domum suam conservet incolumem ac perpetuo felicem. Dabantur in arce Nostra Kongsohr, die 12. Febr. 1680.

Celsitudinis Vestræ Electoralis

*bonus consanguineus & Amicus*

CAROLUS REX.

DCLXVIII.

DCLXVIII.

*Literæ credentiales, quas CAROLUS II. Magnæ Britanniæ Rex, Gabrieli Sylvio, Ablegato suo Extraordinario, ad GEORGIUM WILHELMUM, Ducem Brunsuico-Luneburgensem, tradidit, 1680.*

Carolus Secundus, Dei Gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei defensor &c. Serenissimo & Celsissimo Principi Domino Georgio Wilhelmo, Duci Brunsuicensium & Luneburgensium Consanguineo & Amico nostro Charissimo Salutem.

*Serenissime & Celsissime Princeps, Consanguinee & Amice charissime.*

Cum nihil magis in votis habeamus, quam ut Pax Generalis, quæ hisce orbis Christiani partibus sub Divinis auspiciis restituta est, abhinc sarta tecta, & quantum in Nobis est inviolabilis conservetur, cumque persuasi omnino simus, Celsitudinem Vestram votis & studiis suis eo etiam collimare, Nobilem nobis dilectum & fidelem, Gabrielem Sylvium, Equitem auratum, ad Celsitudinem Vestram tanquam Ablegatum Nostrum Extraordinarium mittendum censuimus, ut quædam, quæ Nobis videntur in finem hunc multum conducere posse, Ipsi nomine Nostro proponat; Quare Celsitudinem Vestram serio rogamus, ut dicto Ablegato Nostro Extraordinario integram in iis fidem adhibere velit, & præsertim ubi Celsitudinem Vestram sinceri Nostri versus Ipsam affectus & propensissimi animi certiorem fecerit, cujus quidem melio-

meliora exhibere quævis specimina parati semper erimus. Adeoque Celsitudinem Vestram summo Numini animitus commendatam cupimus. Dabantur in Palatio Nostro de Whitehall 8vo die Martii, An. Domini 16 79/80. Regnique nostri tricesimo secundo.

Celsitudinis Vestræ

*Bonus Consanguineus*

Carolus Rex.

Sunderlandt.

*Inscriptio.*

Serenissimo & Celsissimo Principi, Domino Georgio Wilhelmo, Duci Brunsvicensium & Luneburgensium, Consanguineo & Amico Nostro Charissimo &c.

## DCLXIX.

*Literæ Statuum Sac. Rom. imperii ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem, quibus Tribunalium Metis ac Brisaci constitutorum molimina & in varias variorum Imperii Statuum ditiones attentata æquitati Christianæ ac Pacis tam Westphalicæ quam Neomagiensis Tabulis e diametro contraria esse prolixe demonstratum eunt, 1680.*

Serenissime ac Potentissime Rex, Domine Clementissime.

TRigesimus secundus jam agitur annus, cum pax Germaniæ reddita fuerat, neque incognitum est, quantis difficultatibus non modo arduum illud opus, sed & Regiæ Vestræ Majestatis satisfactio-

ctionis conditiones constiterint, tandemque omnium consensu eo conventum fuerit, ut præter tres illos Episcopatus, Metensem, Tullensem & Verodunensem scilicet, eorumque Episcopatuum districtus certa etiam Alsatiæ pars, quo magis tuta pax & amicitia inter paciscentes tunc firmaretur, & securitati publicæ melius prospiceretur, Majestati Vestræ cederent. Quemadmodum vero multos post annos uterque paciscentium in illo, quod pactum erat, acquievit, neque Regiæ Vestræ Majestatis Ministri quicquam ulterius præter novum aliquod homagium a 10. Civitatibus Imperialibus in Alsatia non cessa sitis, ut a nonnullis Imperii Statibus, (ratione dictorum Episcopatuum) feudalitatis nexum exegerant, quæ lis tamen postea ad certos utrinque selectos arbitros remissa, & quod ad juramentum Civitatum attinet, decisa fuit; Sic pace non ita pridem Neomagi conclusa & ratificata, præter omnem spem & expectationem mox longe diversum undiquaque postulatum fuit, ac nuper a Regiæ Majestatis Vestræ Metis & Brisaci noviter constitutis Tribunalibus, in singulos in utraque Alsatia sitos Imperii Status, eorumque territoria, supremi quoddam & absoluti Dominii jus, per modum sententiæ attributum, eoque nomine juramentum subjectionis exactum, subditi ab homagio (legitimis Dominis præstito) absoluti, novoque erga Regiam Majestatem Vestram ligati, atque vi manuque militari ad ejus præstationem nec non contributionum & subventionum ut vocant, solutionem, contra expressum tenorem *Instrumenti Pacis Neomag. §. Contributionum vero &c. 30.* coacti

coacti fuerunt, imo eo jam res erupit, cum sub eodem prætextu magna pars ditionum Serenissimi Electoris Palatini, cum earum juribus, appertinentiis nec non Reverendissimi Domini Episcopi Spirensis & Præpositi Weissenburgensis, cæterorumq; Dominorum Comitum Palatinorum Rheni transrhenanæ Provinciæ nuper a Gallico milite armata manu occupatæ fuissent, interque alia prædicto Domino Episcopo Spirensi, arx Ladenburg, contra improvisos ejusmodi insultus, in eam destinanatos, non præparata, gravissimis machinationibus extorta, atque castrum Falckenburg eadem lege ad deditionem postularetur, sua Serenitas Electoralis autem illud dedere optima fide renueret, longe sane vehementiori impetu, quam quisquam media pace expectaverat, dictum Castrum aggressione militari, & tormentorum vi expugnatum, Ejusdemque Serenitatis territoria, oppida, arces, villæ & alia infestata, subditi spoliati omninoque ad incitas redacti. Eodem fere modo fortalitia Homburg, & Bitsch a Regiæ Vestræ Majestatis milite nuper occupata, non obstante, quod Eminentissimis Dominis Electoribus Moguntino & Trevirensi Sequestro a Cæsarea Majestate & Imperio concredita fuerint, sicuti & novissime Castrum Oberstein sub atrocissimis minis ad deditionem postularunt, & vi jam expugnarunt, cum tamen abhinc quingentis annis proprietas Archi-Episcopatui Trevirensi, una cum jure aperturæ, in dicto Castro & oppido competat, & in districtu Metensi non sint; alias etiam ad Mosam, ubi nullius Alsatiæ seu Episcopatuum cessorum prætextus extat, tria ad Eminentissimum Electorem Trevirensem, utpote per-

petuum Adminiſtratorem Brumenſem, a multis retro ſeculis ſpectantia oppida Fumay, Feppin & Revin, indicta plane cauſa, violenter invaſa, eorumque incolæ ad homagium Regiæ Veſtræ Majeſtati præſtandum coacti fuerunt. Verum cum adeo acerbæ executiones, paci Weſtphalicæ (per Neomagienſem nuper denuo confirmatæ) directe contrarientur, inſuper Electores, Principes & Status Imperii ſummopere ſolliciti reddantur, quod dicta Tribunalia in Status Imperii, eorumque territoria qualemcunque ſuperioritatem ſibi arrogare contendant, officii noſtri omnino duximus, ad Regiam Majeſtatem Veſtram totam cauſam decenter referre, atque totius negotii rationem paucis exponere. Conſtat enim pace Neomagii nuper concluſa, ceu lege publica, utrinque conventum fuiſſe, quod pax Monaſterii Weſtphalorum, ſolidiſſimum mutuæ amicitiæ tranquillitatisque publicæ eſſe debeat fundamentum, illaque in omnibus & ſingulis priſtino ſuo vigori reſtituenda ſit; Si itaque pactio iſta ſolennis huic undiquaque inniti debeat fundamento, uti revera innititur, certe quidquam amplius, quam quod ibi expreſſe ſtipulatum reperitur, exigi non poterit. Neque enim qualiscunque alia territoriorum & jurium ceſſio, quam illa, quæ Monaſterii Weſtphalorum facta ac Neomagii confirmata fuit, ullo publico documento probari poteſt, Regiæ etiam Majeſtatis Veſtræ nunquam peritura literarum aliaque Documenta ſatis evincunt, ipſam apud Tractatus Weſtphalicos aliiſque locis, toties atque publice aſſeruiſſe, nihil ſibi magis curæ eſſe, quam ut Statibus Imperii ſua libertas, immedietatis

jura & Dominia inconcussa servarentur, atque restituerentur. Testatur insuper abunde *Pacis Monasteriensis instrumentum* §. *1.* *Quod supremum &c.* 70. præter supra dictos Episcopatus, eorumque districtus nil amplius cessum, neque aliam paciscentium mentem fuisse, quam ut in Regiam Majestatem Vestram translatum supremum dominium omnimodaque jurisdictio, tantum eatenus exerceatur, quatenus illa tunc intra districtus illorum Episcopatuum obtinuit, atque exercita fuit, neque sub illius juris Diæcesani nunquam cessi, aut ullo alio quocunque prætextu, ultra dictos districtus propriumque ipsorum territorium, longe minus in ea feuda, quæ Status Imperii ante motus Germaniæ a dictis Episcopatibus forte olim recognoverunt, extendenda sit. Patet quoque Landgraviatus cessione, neutiquam universam Alsatiam cessam, imo nequidem ulli paciscentium adeo enormem cessionem in mentem venisse. Quemadmodum enim, *ibi scilicet* §. *Tertio Imperator &c.* 73. quid Regiæ Majestati Vestræ in Alsatia cessum fuerit, nominatim designatur, neque oppidum Brisacum, Landgraviatus Superioris & Inferioris Alsatiæ (non tota Alsatia) Sundgovia, præfecturaque Provincialis 10. Civitatum Imperialium in Alsatia sitarum (non vero ipsæ Civitates Imperiales) omnesque pagi, & alia quæcunque jura, quæ a dicta Præfectura (non ab Alsatia vel dictis Civitatibus) dependent, adeoque Alsatiam a Landgraviatu & ejusdem præfectura provinciali maxime semper distinctam fuisse evidenter probatur, ita subsequenti & speciali lege *nempe* §. *Teneatur Rex &c.* 87.

87. notanter conventum atque pactum fuit, quid ab illa Landgraviatus & præfecturæ cesſione exceptum & non cesſum fuerit; Teneri nempe Regiam Majeſtatem Veſtram non ſolum Epiſcopos Argentinenſem & Baſilcenſem cum Civitate Argentinenſi, ſed etiam reliquos per utramque Alſatiam Romano Imperio immediate ſubjectos Ordines, Abbates Murbacenſem & Lüderenſem, Abbatisſam Andlavienſem, Monaſterium in Valle St. Gregorii, Palatinos de Lützenſtein, Comites & Barones de Hanau, Fleckenſtein, Oberſtein, totiusque inferioris Alſatiæ Nobilitatem, item prædictas X. Civitates Imperiales, quæ præfecturam Hagenoenſem agnoſcunt, in ea libertate & poſſeſſione immedietatis ergaImperiumRomanum,qua hactenus gaviſæ ſunt, relinquere, ita ut nullam ulterius in eos regiam ſuperioritatem prætendere poſſit, ſed iis juribus contenta maneat, quæcunque ad Sereniſſimam Domum Auſtriacam ſpectabant, & per Tractatum illum pacificationis, ceſſa fuere. His ita præmisſis nulla ratio ſupereſt, qua totam Alſatiam ceſſam fuiſſe evinci poterit, ad quid enim opus fuiſſet, Reverendiſſimum Dominum Epiſcopum Argentoratenſem, nec non X. Imperiales Civitates Alſatiæ, ac reliquos in illius diſtrictu ſitos Status, poſt pacem Weſtphalicam in priſtinam ſuam libertatem, immedietatem, jura & Regalia plenarie reſtituiſſe, militemque Gallicum ex eorum tempore belli occupatis locis eduxiſſe, ac illa dictis Statibus, propriis ſuis præſidiis cuſtodienda reliquiſſe? ad quid enim opus fuiſſet, de libero Gallicarum Legionum tranſitu, de Civitatis Tabernarum Neutralitate, de

fora-

fortalitii Benfeldiani demolitione & similibus, in favorem Galliæ nominatim stipulari? si utraque Alsatia ei cessa esset; denique quid de supra dictorum statuum immediatorum restitutione adeo sollicite transigere? si talia, quæ nunc geruntur, licerent. Et posito ante unum vel alterum seculum, alia nunnulla, ad illa loca seu jura in Instrumento pacis cessa, (de quo haud constat) pertinuisse, ex eo tamen inferri nequit, ea tempore conclusæ pacis, præprimis alio tum possidente, ad illa adhuc spectasse, cum nihil amplius cessum sit, quam quod dicto tempore, a Serenissima Austriaca Domo possessum fuit, nec sub dependentiarum qualicunque tandem titulo Status Imperii immediati intelliguntur, multo minus transferuntur, cum Status Imperii ab aliis Statibus ita minime dependeant, sed singuli per se subsistant, longe etiam iniquius foret, Status immemoriali & plurium seculorum possessione innixos ad deditionem titulorum suorum contra omnia jura cogere, hoc enim modo totius orbis possessiones & rerum Dominia incerta redderentur. Accedit porro, quod, nec omnia illa territoria & loca, quæ nunc sub titulo dependentiarum Alsatiæ aut Præfecturæ Hagenoensis a Serenissimo Domino Electore Palatino, itemque a sua Serenitate Electorali & Reverendissimo Episcopo Spirensi, sub prætextu Weissenburgensium dependentiarum, & ita dicti Mundat, prætenduntur, & minis & armis occupata sunt, sed nec ipsa quidem Præpositura Weissenburgensis in Alsatia sita, nec pro ejusdem parte unquam habita fuerit, idque inter alia ex ipso supra citato §. *Te-*

*neatur Rex* &c. 87. evidentissime probatur, ubi pleraque utriusque Alsatiæ membra, tanquam Status Imperii a cesso Landgraviatus districtu, nominatim excipiuntur, Palatinatus & Weissenburgensis Præposituræ territoria autem tanquam non ad Alsatiam spectantia, prorsus omittantur, & Instrumenti pacis textus, longe aliud tam de Palatinatus, quam Episcopatus Spirensis & dictæ Præposituræ Weissenburgensis territoriis ac juribus restituendis transactum fuisse, notorie testatur, Palatinatum enim quod concernit, lege publica in §. *Deinde ut inferior* &c. 14. conventum est, quod ille totus cum omnibus & singulis Ecclesiasticis & secularibus bonis, juribus & appertinentiis, quibus ante motus Bohemicos, Electores, Principesque Palatini gavisi sunt, plenarie restituendus sit, quod etiam de reliquis Dominis Comitibus Palatinis Rheni, *pace Osnabrugensi art. IV.* §. *20. & 22.* §. *15 Princeps* &c. nominatim stipulatum reperitur, dictos scilicet Comites Palatinos, in omnes ditiones, dignitates & jura, ac in specie Dominum Leopoldum Ludovicum in Comitatum Veldentz ad Mosellam, tam in Ecclesiasticis quam Secularibus, contra omnia attentata in eum statum, quo anno 1624. ejusdem Dominus Parens fuit, restituendum esse, neque minus de Comitibus de Nassau, Hanau, Leiningen, Dachsburg, liberaque Imperii Nobilitate, aliisque Imperii Statibus, *supra citata pace Osnabrugensi* §. *Comitibus Nassau Sarapont*, *30. & sequentibus*, expresse statutum fuit. Idem quoque de Episcopatu Spirensi & Præpositura Weissenburgensi in §. *Rex tamen &c.* 77. pactum fuisse ex

ipsis

ipsis conventionis formulis constat, prout enim hæ, præter protectionem, præsidium & transitum in Castrum Philipsburg, omnes alias in Episcopatum Spirensem prætensiones, verbis negative conceptis Regiæ Majestati Vestræ expresse adimunt, ita universalibus affirmativis manifeste disponunt, quod scilicet omnia quidquid omnino antiquitus in totius Episcopatus Spirensis Ecclesiarumque illi incorporatarum districtu (qualis Weissenburgensis, & quidem a nonnullis retro seculis est) Episcopo & Capitulo competebant, & competere poterant, eidem quoque imposterum salva, integra & illæsa permanere debeant, quæ sane salva Westphalica & Neomagiensi pace immutari aut in alium sensum detorqueri nullatenus poterunt, ut autem de hac, & non alia paciscentium intentione posteritati tanto melius constare posset, illa Imperii omniumque Statuum consensu, eorumque nomine singulari ac publica declaratione scripto mandata Vestræq; Regiæ Majestati per literas die 28. Septembr. 1648. decenter transmissa fuit, prout præter Instrumentum pacis ad fidem etiam protocollorum, omniumque Actorum publicorum provocamus. Neque enim Regiæ Majestatis Vestræ Ministri huic transactioni unquam contradixerunt, quin potius ultra 30. annos eandem bona fide agnoverunt, nec præter supra dictum jam decisum juramentum & Episcopatuum prætensiones, ad amicabilem compositionem, certosque arbitros, jam pridem remissas, quicquam postularunt: Imo quod magis est, Regia Vestra Majestas non solum in literis responsoriis ad Sacrum Imperium die 18. Septembr. 1665.

datis declaravit, velle se Ministris & Officialibus suis Regiis in Alsatia demandare, ut in Actionibus suis sese taliter exhibeant, ne ex parte Imperii ulla causa conquerendi superesse possit, sed etiam per evacuationem & restitutionem post pacem Westphalicam & Recessum Executionis Norinbergensem abunde testatum fecit, in gravatos modo Status Imperii & immediatos, nil tale, quod jam exigitur, prætendisse. Quod, pace insuper Neomagiensi §. *juxta pacem 27.* non modo repetitum, sed etiam ibi conventum fuit, juxta sæpe dictam pacem Monasteriensem in omnibus confirmatam omnia loca reciproce restituenda, eaque bona fide evacuanda, atque hunc in finem Commissarios eodem tempore, quo tractatus utrinq; ratihabebuntur, nominandos esse, quod tamen ex parte Regiæ Vestræ Majestatis executione hactenus caruit. Asserunt quidem nunc demum Tribunalia Regia, quæ Metis & Brisaci, & non modo ratione Imperii Statuum immediatorum prorsus incompetentia sunt, sed & judicis & Actoris partes simul, exclusis cæteris compaciscentibus, sustinere conantur, omnia quæ ante nonnulla retro secula a dictis Episcopatibus, nec non superiori & inferiori Alsatia, Præfectura item Hagenoensi & Præpositura Weissenburgensi dependisse volunt, Regiæ Majestati Vestræ cessa, ideoque vindicanda esse, quoniam vero nuda ista assertio, omni fundamento ac probatione destituitur, ipsæque pacis tabulæ (ubi sæpe dicti Episcopatus cum eorum districtu tantum & Landgraviatus Alsatiæ cum Præfectura Hagenoensi duntaxat,

nihil

nihil vero extra districtus, neque tota Alsatia, cessa deprehenduntur) eandem manifeste impugnant, eique contradicunt, Regiæ Majest. Vestræ Totiusque Europæ judicio relinquimus, utrum Tribunalium ista declaratio locum habere, atque sub tali prætextu, Electorum, Principum ac Statuum, aliorumque Imperii Immediatorum territoria, eorumque jura simul absorberi possint, cui ut assentiamus, ipsa sane fides publica, quam Patriæ & Posteritati debemus, ipsaq; Actorum publicorum ratio prohibet. Præterea & querelam moventDomini Comites Palatini Bipontini & Veldentiæ, nec non Comites a Nassau, Hanau & Rheingravii, se a Domino Episcopo Metensi contra instrumentum Pacis Westphalicæ expressam dispositionem in Ecclesiasticis passim turbari. Conqueruntur itidem summopere Serenissimus Dominus Marchio Badensis, Domini Duces Wurtenbergæ, ut Comites Mumpelgardenses, similiter & Dominus Princeps Salmensis, pluresque alii, quod ipsorum Territoria una cum dependentiis a Regiæ Vestræ Majestatis milite contra manifestum tenorem Pacis Westphalico-Osnabrugensis detineantur, ipsique pluribus ditionibus Incompetenter exuantur, quarum restitutionem, nec non ut in provinciarum suarum & immedietatis possessione tranquille relinquantur, *juxta præfatum Instrum. Pacis Westph. §. Principes quoque Würtenb. item §. Rheingravii &c. 35.* instantissime desiderant. Has itaque sæpe dictorum Statuum Imperialium adeo graves querelas pro cæteris, quæ aliunde ex variis imperii Regionibus magno numero audiuntur, tanquam totius Sacri Romani

Imperii causam paulo prolixius exponere necessarium duximus, quo sane libentius supersedissemus, nisi tranquillitatis ac pacis publicæ necessitas, ipsaque causæ justitia, id quam maxime postulasset. Verum cum de Regiæ Vestræ Majestatis Justitia & æquanimitate optima quæque speremus, vixque credibile sit ipsam tot tantaque Ministrorum ac Officialium suorum paci contraria facta approbaturam ulteriusque permissuram esse; Eandem hisce decenter & instantissime rogamus, ut controversias ratione feudorum, quæ olim ab Episcopatibus cessis dependebant, nec non Civitatum Imperialium, quæ præfecturam Hagenoensem agnoscunt, ad amicabilem compositionem arbitriumque hisce in Comitiis jam dudum constitutum (remota omni armorum vi) denuo remittere, cæteros vero Imperii Electores, Principes ac Status, ubicunque sitos, parta sua libertate ac Immedietatis juribus imposterum quiete uti fruique permittere, nec non gravatos vel ditionibus suis dejectos, tam in Ecclesiasticis, quam Politicis cæterisque eorum juribus restituere, omnesque Paci haud convenientes hostilitatis actus Officialibus suis tam civilibus quam militaribus serio inhibere atque hoc ipso comprobare, quod juxta proprium creberrimæ declarationis suæ sensum, Sacri Romani Imperii pacem inconcussam servare, simul ac justis his nostris desideriis locum dare velit. Quæ omnia ut tranquillitati publicæ, nec non Instrumento Pacis & Regiæ Majestatis Vestræ sæpius repetitis sincerationibus & fidei pactorum, quam maxime conveniunt, ita & illorum sedula observatio

in

in immortale Regiæ Majeſt. Veſtræ decus & gloriam cedet, cui omnia fauſta ac ſalutaria apprecamur, Eique nos impenſe commendamus. Ratisbonæ ex Comitiis die $\frac{17}{27}$. Julii 1680.

Regiæ Majeſtatis Veſtræ
Chriſtianiſſimæ

*Humillimi*

Sac. Rom. Imp. Electorum, Principum & Statuum Conſiliarii & Legati ibidem congregati.

*Inſcriptio.*

Sereniſſimo ac Potentiſſimo Domino, Domino Ludovico XIV. Galliarum & Navarræ Regi, Domino Noſtro Clementiſſimo.

## DCLXX.

*Literæ PROCERUM SACRI ROMANI IMPERII, ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem, quibus Conſtatus quosdam Imperii contra expreſſas Pacis Neomagenſis Leges a Gallicis Officialibus vehementer turbari, graviter conqueruntur, ac ut ipſe, receptus dictæ Pacis vindex, autoritate ſua memoratis Gallorum anomaliis obicem ponat, impenſe rogant, 1680.*

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex, Domine Clementisſime.

PAcem, quam Regia Veſtra Majeſtas Chriſtiano orbi univerſalem & nunquam interrumpendam Neomagi Geldrorum, mediatione ſua interpoſita nuper reſtituit, Sac. Cæſ. Majeſtas & Imperium tam gra-

grato agnoſcunt animo, ut, quamvis durisſimis accepta conditionibus, nihil quidquam tamen hactenus omiſerint, quo in omnibus ſuis articulis & clauſulis, bona fide, cuſtodiretur, & executioni mandaretur, eoque modo, Reg. Majeſtatis Veſtræ pro reſtauranda publica quiete, glorioſe impenſa ſtudia, conſilia & officia immortalitati conſervarentur, ſub ſpe de Chriſtianiſſimo Rege firma, certò ſcilicet fore, ut Regia Sua Majeſtas eodem modo procedat. Verum non dubitamus, quin Regiæ Veſtræ Majeſtati aliunde jam ſatis conſtet, quam Gallici officiales Regii tam civiles, quam militares, contra dictam Pacem Neomagenſem (quæ transactionem Weſtphalicam confirmat,) in Electores, Principes & Status Imperii, eorumque territoria hoſtiliter ac injuſte huc usque egerint, ita, ut præter ſpecioſum illud Pacis nomen, nihil ſupereſſe videatur. Hinc cum gravati in hisce Comitiis pro remedio inſtarent, muneris noſtri eſſe duximus, Chriſtianiſſimo Regi rem omnem per adjunctas in copia literas decenter exponere. Quamvis autem de Regis Chriſtianiſſimi æquitate & juſtitia vix aliter ſperare liceat, quam quod Regia Sua Majeſtas rationibus & deſideriis noſtris locum datura ſit, neceſſarium tamen exiſtimavimus Reg. Veſtram Majeſtatem, cujus auctoritate & Guarantia ſæpe dicta Pax Neomagenſis nititur, Electorum, Principum & Statuum Imperii nomine de iis, quæ inſolito & hoſtili modo ſic aguntur, tanquam Mediatorem utrinque receptum, hisce certiorem reddere, rogareque, ut pro Regio ſuo zelo, quem pro incremento publicæ tranquillitatis glo-

gloriose semper impendit, ea quæ in detrimentum publicæ quietis prædicto modo gesta sunt, Christianissimo Regi repræsentare, ejusque animum, officiorum suorum interpositione eo flectere velit, quo facta paci contraria & violentiæ sistantur, quæ innovata sunt, in pristinum statum restituantur & majora mala præcaveantur, moræ autem controversiæ vel amicabili compositione, vel coram jam dudum constituto arbitrio, vel alia competenti juris via, terminentur. Quæ sicuti Justitiæ & fidei Pactorum publicorum omnino conveniunt, ita quoque hac ratione Regia Vestra Majestas facit rem Deo & toti Reipublicæ Christianæ gratissimam, atque sibi, cujus multum interest, ut pactis & conventis firmiter stetur, gloriosam, quam Electores, Principes & Status Imperii exhibitæ singularis benevolentiæ loco reponent, & officiis suis vicissim demereri studebunt; De cætero Regiam Majestatem Vestram divinæ protectioni commendamus, eidemque omnem regiminis felicitatem comprecamur. Ratisbonæ ex Comitiis die 27. Julii 1680.

Regiæ Majestatis Vestræ

*Humillimi*

Sacri Romani Imperii Electorum,
Principum & Statuum Consiliarii
& Legati ibidem Congregati.

*Inscriptio.*

Serenissimo ac Potentissimo Domino, Domino Carolo II. Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Regi &c. Domino nostro Clementissimo.

DCLXXI.

DCLXXI.

*Responsoria CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad præinsertas STATUUM SAC. ROM. IMPERII literas, quibus se ad componendas Romanum Imperium & Galliam inter existentes controversias omni tempore promptum paratumque, esse profitetur, 1680.*

CAROLUS II. Dei gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Rex, Fidei Defensor &c. Eminentissimis, Serenissimis, Reverendissimis, Illustrissimis Dominis Electoribus, Principibus, Statibusque Sacri Romani Imperii, Eorumque Legatis, Ablegatis & Deputatis in Comitiis Ratisbonensibus jam congregatis, respective Consanguineis & Amicis nostris charissimis, salutem!

*Eminentissimi, Serenissimi, Reverendissimi, Illustrissimi Domini Electores, Principes, Statusque Sacri Romani Imperii, Eorumque Legati, Ablegati & Deputati respective Consanguinei & Amici nostri charissimi.*

GRatissimæ Nobis fuere Literæ vestræ in Comitiis vestris Ratisbonæ habitis 27. die Julii proxime præteriti datæ, quibus nos certiores facitis Sacr. Romanum Imperium (suffragiis vestris rite repræsentatum) officia nostra Mediatoria recordatione tam solenni recolenda censuisse, nobisq; adeo amice gratulandum duxisse, quod ex Pacificatione Noviomagensi tranquillitas publica (quam unice in votis & tunc habebamus, & semper habebimus) per hasce Europæ partes restaurata sit; sollicitudi-

ne

ne vero justa pariter ac gravi commovemur, eo quod circa Tractatum, Imperium inter & Galliam Noviomagi nuper conclusum, difficultates simul & controversiæ complures recens obortæ sint, ac indies oboriantur, quæ quidem eo acerbius animum nostrum afficiunt, quod a via facti nonnullis in locis vix ac ne vix quidem temperatum sit, quodque satis perspectum habeamus, a tractatus istius legibus (quibus Pacificatio Westphalica renovata & confirmata est) haudquaquam recedi posse, quin eadem opera possessionum jura, limitesque sanctissimo intuitu per pacta Westphalica positos ac sancitos conturbari necesse sit, & quod inde sine dubio sequetur, lites contentionesque per Sacrum Romanum Imperium fieri immortales. Cum vero rebus in hoc cardine versantibus vobis opportunum visum sit, officia nostra totius Sacri Romani Imperii nomine requirere, promto quidem animo vestris in hac parte votis annuimus, omnemque operam adhibebimus, ne desideriis adeo justis & solennibus vel minimum deesse videatur; Ea quippe nobis & Regiis Antecessoribus nostris cum Sacro Romano Imperio semper intercessit amicitia, ut Electorum, Principum ac Statuum plerisque necessitudine aliqua peculiari propius accedamus, aliis quidem sanguinis conjunctione, aliis affinitate & fœderibus antiquis cum Regia nostra domo initis, aliis amicitiæ intimioris religione, omnibus vero communi illo vinculo, quo fit, ut omnium pariter ac singulorum intersit, ne pax generalis jam restaurata novis discordiis dilabatur, nedum ex violatione pactorum Noviomagensium,

DCLXXI.

*Responsoria CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad præinsertas STATUUM SAC. ROM. IMPERII literas, quibus se ad componendas Romanum Imperium & Galliam inter existentes controversias omni tempore promptum paratumque, esse profitetur, 1680.*

CAROLUS II. Dei gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Rex, Fidei Defensor &c. Eminentissimis, Serenissimis, Reverendissimis, Illustrissimis Dominis Electoribus, Principibus, Statibusque Sacri Romani Imperii, Eorumque Legatis, Ablegatis & Deputatis in Comitiis Ratisbonensibus jam congregatis, respective Consanguineis & Amicis nostris charissimis, salutem!

*Eminentissimi, Serenissimi, Reverendissimi, Illustrissimi Domini Electores, Principes, Statusque Sacri Romani Imperii, Eorumque Legati, Ablegati & Deputati respective Consanguinei & Amici nostri charissimi,*

GRatissimæ Nobis fuere Literæ vestræ in Comitiis vestris Ratisbonæ habitis 27. die Julii proxime præteriti datæ, quibus nos certiores facitis Sacr. Romanum Imperium (suffragiis vestris rite repræsentatum) officia nostra Mediatoria recordatione tam solenni recolenda censuisse, nobisq; adeo amice gratulandum duxisse, quod ex Pacificatione Noviomagensi tranquillitas publica (quam unice in votis & tunc habebamus, & semper habebimus) per hasce Europæ partes restaurata sit; sollicitudi-

ne

ne vero justa pariter ac gravi commovemur, eo quod circa Tractatum, Imperium inter & Galliam Noviomagi nuper conclusum, difficultates simul & controversiæ complures recens obortæ sint, ac indies oboriantur, quæ quidem eo acerbius animum nostrum afficiunt, quod a via facti nonnullis in locis vix ac ne vix quidem temperatum sit, quodque satis perspectum habeamus, a tractatus istius legibus (quibus Pacificatio Westphalica renovata & confirmata est) haudquaquam recedi posse, quin eadem opera possessionum jura, limitesque sanctissimo intuitu per pacta Westphalica positos ac sancitos conturbari necesse sit, & quod inde sine dubio sequetur, lites contentionesque per Sacrum Romanum Imperium fieri immortales. Cum vero rebus in hoc cardine versantibus vobis opportunum visum sit, officia nostra totius Sacri Romani Imperii nomine requirere, promto quidem animo vestris in hac parte votis annuimus, omnemque operam adhibebimus, ne desideriis adeo justis & solennibus vel minimum deesse videatur; Ea quippe nobis & Regiis Antecessoribus nostris cum Sacro Romano Imperio semper intercessit amicitia, ut Electorum, Principum ac Statuum plerisque necessitudine aliqua peculiari propius accedamus, aliis quidem sanguinis conjunctione, aliis affinitate & fœderibus antiquis cum Regia nostra domo initis, aliis amicitiæ intimioris religione, omnibus vero communi illo vinculo, quo fit, ut omnium pariter ac singulorum intersit, ne pax generalis jam restaurata novis discordiis dilabatur, nedum ex violatione pactorum Noviomagensium,

um, quibus nupera bella & disſidia compoſita, conventaque Weſtphalica renovata ſunt, tranquillitas publica interturbetur; Officia autem noſtra vobis hac in parte deberi libenter agnoſcimus, imo etiam & guarantiam Pacis Imperium inter & Galliam reſtitutæ, ſi quando ad eam præſtandam rite & decenter rogati fuerimus; Quippe qui eadem religione eodemque zelo, quibus ad partes conciliandas uſi ſumus, dum adhuc Mediatoris vices gereremus, pacem jam coalitam conſervare & manutenere usque ſtudebimus. Quod ad interceſſiones noſtras apud bonum fratrem noſtrum Regem Chriſtianisſimum attinet, eas quidem in Principis Electoris Palatini, Conſanguinei noſtri præcharisſimi (dum in vivis eſſet) gratiam circa gravamina quædam, de quibus ipſe querelas apud nos depoſuerat, haud ita pridem inſtantia, qua par erat, interpoſuimus, idem etiam facturi, prout res poſtulaverit, in gratiam aliorum Electorum, Principum ac Statuum, quorum gravamina in narratione ſpeciali, literis veſtris ad nos datis adjuncta exhibentur. Ut vero officia noſtra certiori juxta ac luculentiori particularium caſuum cognitioni innitantur, quam quæ ex relationibus & ſcriptis minus accuratis hauriatur, Virum aliquem expertum & idoneum ad nonnullos Electores & Principes ablegare ſtatuimus, ad illos præſertim, quos poſtulationibus & contentionibus ob Galliarum confinia haut ſatis forſitan diſtincta propius exponi contingit, Ejusdem Miniſtri noſtri opera & diligentia de origine & ſtatu controverſiarum, quibus hodie fervet illa Germaniæ pars, quæ Rheno adjacet,

cet, clarius nobis constabit, qui etiam modos & rationes iis componendis maxime accommodas, coram perspiciet, unde nobis occasio dabitur (ut spes est) officia nostra cum majori efficacia pariter ac successu interponendi. Relationem autem gravaminum ad nos una cum literis vestris delatam Ablegato Nostro in Aula Gallica residenti statim transmitti curavimus, serio eidem mandantes, ut nomen & officia nostra non solum pro omnibus universim, sed etiam pro singulis cujusque causæ meritis interponeret. De cætero apud nos certo statuimus, Sacro Romano Imperio in hac re paratissimis officiis adesse, utpote, qui Mediatoris ab omnibus recepti vices tot annos sustinuimus, quique nos Garantiam nostram præstare eo magis teneri existimamus, quod in pactis Noviomagensibus nostræ viciniæ, amicitiæ & erga pacem generalem studii primarius respectus habebatur, dum stipulatum est, quod omnes Reges, Principes & Respublicæ super executione & observantia tam omnium quam singulorum, quæ in tractatu Cæsareo-Gallico continentur, partibus paciscentibus Guarantiam præstare possent. Etenim officii nostri esse censemus erga Deum Optimum Maximum, erga Principes vicinos, atque etiam erga subditos nostros, pacem Imperium inter & Galliam, quantum in nobis est, tueri & illibatam servare, cum in hanc pacem, tanquam in basin suam, pacificatio Westphalica juxta ac pacatus, quo jam fruitur Europa, status incumbat & innitatur, quæ si labefactetur, vicinorum tranquillitatem novo bello quassari vel in maximum discri-

men adduci necesse est. De cætero Deum Opt. Max. ex animo precamur, ut consiliis & conatibus vestris adesse velit, ad tuendam Serenissimi ac Potentissimi Imperatoris ac Sacri Romani Imperii salutem & totius Christiani orbis tranquillitatem. Dabantur in Palatio nostro de Wittehall 18. die mensis Octobris 1680. Regnique nostri XXXII.

*Vester respective Bonus Consanguineus, Amicus,*

CAROLUS REX.

L. Jenkins.

DCLXXII.

*Litera JOHANNIS GEORGII III. Electoratus Saxonici Principis hæreditarii, ad LUDOVICUM XIV. Galliarum Regem, quibus se ad exhibenda ipsi quævis officiorum studia semper fore paratissimum pollicetur, 1680.*

P. P.

Quod Regia Vestra Majestas Nostri memoriam cum summa benevolentia retineat, quod firma valetudine rebusque secundissimis frui Nos exoptet, quod denique itineris in Flandriam suscepti & constantis in Romani Imperii quiete tuenda studii certiores Nos faciat, id tam ex literis Regiæ Majestatis Vestræ Nobis per Ejusdem in aula Nostra Electorali Ministrum redditis, quam ex ulteriore ipsius expositione satis superque cognovimus. Apparet subinde singularis Regiæ Majestatis Vestræ erga Nos propensionis argumentum luculentissimum, nec minus, quod neque pacem neque ullam

ullam aliam proſperitatem Germaniæ invidere, ſed potius ejusdem felicitatem diuturnam eſſe velit, animus plane regius. Tanta vero hæc Regiæ Majeſtatis Veſtræ in conſervandam Imperio Romano, orbique univerſo Chriſtiano ſecuritatem ac ſalutem publicam pietas, ut nominis ſui gloriam poſteritati nunquam non faciet ſanctam ac devenerandam; Ita de florentiſſimo Regiæ Majeſtatis Veſtræ ſtatu, quo læta ſemper atque exoptata nuncia Nobis apportentur, ac Ejusdem inſtituta profectio proſpere feliciterque ſuccedat ſerio cupimus. Quod reliquum eſt ad ſupra nominati Regiæ Majeſtatis Veſtræ apud Nos ſubſiſtentis Miniſtri de eximio erga Regiam Majeſtatem Veſtram honoris cultu, deque immota ſinceræ amicitiæ Noſtræ firmitate uberiorem relationem Nos remittimus, cui ad quævis officiorum ſtudia Majorum exemplo, non tam promptos data occaſione Nos exhibebimus, quam Regiæ Majeſtatis Veſtræ favore particulari præclaris documentis ſæpius Nobis probato, Nos ad id devinctos profitemur. Dabantur Freibergæ in arce Noſtra Freudenſtein die 28. Julii Anno 1680.

## DCLXXIII.

*Literæ JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem, quibus ipſi JOHANNEM GEORGIUM II. Parentem ſuum, glorioſiſſimæ memoriæ vita functum eſſe nuntiat, 1680.*

P. P.

Non sine ingenti animi mœrore, Regiæ Vestræ Majestati significare inviti cogimur, qua ratione divinum atque omnia moderans Numen, Serenissimum ac Potentissimum Principem, Dominum Johannem Georgium secundum, Saxoniæ (tot. tit.) Dominum & Parentem Nostrum desideratissimum licet gravem ætate gloriæque plenum, Nobis tamen admodum sensibili vulnere, pro divina sua ac imperscrutabili voluntate, ad diem 22. exeuntis Mensis Augusti, in Arce Nostra Freudenstein, Freybergæ, vera constantique in Christum servatorem Nostrum communem fide excellentem, ex hoc fragilitatis humanæ statu, ad æternam beatitudinem placida morte evocarit. Cujus beatissima fata animone feramus æquiori ac enatum inde Domui Nostræ Electorali luctum, juxta ignoramus. De eo vero certo persuasi sumus, in tanti Principis excessu Sacri Romani Imperii columnam insignem, tum Regiæ Vestræ Majestati Amicum singularem Nobis autem Parentem optime meritum subtractum esse, cujus Dilectioni ob eximia in Nos pariter & statum publicum collata beneficia, longiorem vitam omnino exoptassemus. Cum vero Deo optimo Maximo aliter visum sit, Nobis quoque incumbit in divina Ipsius voluntate Christiana animi tranquillitate patienter acquiescere, & sicuti nulli dubitamus, Regiam Vestram Majestatem pro ea, qua in Dominum Parentem Nostrum, dum viveret, ferebatur animi propensione, Suæ Serenitatis Dilectionisve obitum ægre percepturam esse; ita eandem

dem officiose & peramanter rogamus, ut affectum istum, quo Dominum Parentem Nostrum honoratissimum prosecuta est hactenus, in Nos quoque derivare imposterum haud gravetur. Dabimus operam sedulo, ne quid in Nobis unquam desiderari possit, ad Ejus quod conservationem, tranquillitatisque publicæ incrementum pertinere posse videbitur. Cum quo Regiæ Vestræ Majestati prosperos rerum successus, omniaque felicia incrementa ex animo adprecamur. Dabantur Gorlicii 31. Augusti (10. Septembris) 1680.

*Nota.* Literæ ejusdem argumenti ad Rom. Imperatorem, Hispaniæ, Galliæ, Poloniæ, Daniæ Sveciæque Reges nec non ad alios quosdam Europæ Proceres scriptæ fuerunt.

DCLXXIV.

*Responsoria CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad proxime præcedentes JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris literas, 1680.*

P. P.

PEr literas Celsitudinis Vestræ Electoralis Gorlicii die 31. Augusti (10. Septembris) scriptas, Nobisque haud ita pridem allatas intelleximus, Serenissimum Principem, Dominum Johannem Georgium II. Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Ducem, Celsitudinis Vestræ Electoralis Patrem 22. die Ejusdem Mensis Augusti e vivis excessisse, unde dolorem de mortuo sensimus parem affectui, quo viventem semper prosecuti sumus. Etenim necessitudo, quæ nobis cum illo intercessit,

 ut

ut diuturna fuit, ita multis etiam reciproce testimoniis illustrata: quo jacturam hanc altius in animum Nostrum penetrasse credendum est: sed hoc inde solatium & pro Nobis hauriemus, & Celsitudini Vestræ proponemus, defunctum Principem per tot annos, quibus in summo rerum fastigio eminuit, inter præcipua sacri Rom. Imperii columina merito habitum fuisse, reliquisque primariis Ejusdem Principibus ad Unionem inter se conservandam & exemplo fuisse & adjumento. Neque Divini Numinis clementia Illi defuit, ad eadem officia etiam post mortem suam perpetuanda, cum hæredem reliquerit, qui non modo illius vicem ac virtutem suppleat, sed, ut ampla sperandi materia est, etiam superet. Nos quod attinet, amicitiam, quam cum Patre coluimus inconcussam, cum Filio etiam non tam redintegrare quam augere, auctamque ad Posteros transmittere studebimus. Interea, ut Deus optimus maximus Celsitudinem Vestram Electoralem sustineat sospitetque, ex animo precamur. Dabantur in Palatio Nostro de Whitehall, die 26. Novembris, Anno Domini 1680. Regnique Nostri trigesimo secundo.

## DCLXXV.

*Litera FRIDERICI WILHELMI, Electoris Brandenburgici, ad CAROLUM II. Hispaniarum Regem, quibus recusatam ab ipso debitæ justissimo titulo pecuniæ solutionem, necessitatem sibi violenta tamdiu arripiendi imposuisse remedia, donec postulatis suis plenarie satisfactum fuerit, 1680.*

P. P.

P. P.

QUandoquidem ea, quæ nuper in mari prope Ostendam, inter Regiæ Majestatis Vestræ & Nostras naves acciderunt, cum sinistra interpretatione ad Regiam Majestatem Vestram deferri queant, non possumus, quin illa, quæ per integrum abhinc quinquennium Regiæ Majestati Vestræ tum per Internuncios Nostros Madritum & Bruxellas missos, tum per crebras literas ad eandem & Gubernatores Belgii exaratas repræsentari curavimus, eidem in memoriam vocemus, ut vel ipsamet inde gravissimas juxta ac justissimas, quæ rem eo deduxerunt, causas perspicere possit. Novit Regia Majestas Vestra, quæ eandem & Nos inter sancte pacta & conventa sint, & quæ nos ex nostra parte non minori religione ex asse, & ultra obligationem nostram, cum maximo nostro, nostrorumque detrimento adimplevimus, a quorum repetitione consulto abstinemus, cum non tantum orbi hæc, ut nihil magis nota sint, sed & cum ipsa Regia Majestas Vestra in omnibus suis literis ac responsis nobis nostrisque datis testata sit, integre sibi a nobis satisfactum esse, nec quicquam ulterius desiderari. At nescimus, qui factum sit, ut ex adverso nihil eorum, quæ pactorum tenor ac fides manifesta requirunt, dispositione, Nobis sit præstitum, nam & pecunia ista subsidiaria in fœdere promissa, adeo non est soluta, ut adhuc duæ fere milliones auri solvendæ restent, & in pace, quam Regia Majestas Vestra cum communi tum temporis hoste pepigit, adeo nostri & eorum, quæ pro

communi causa adversus duos potentissimos Reges summa cum fide, nec minori nostro damno gessimus, non fuit habita ratio, quin potius ex ista ipsa pacificatione læsos nos, ac ab omni auxilio destitutos, imo & ad restituenda ea, quæ Deus & justa nobis tribuerant causa, obstrictos, non sine stupore universus terrarum conspexerit orbis. Frustra tum fidem pactorum, qua nihil inter mortales sanctius esse debet, imploravimus, & ita visum erat Regiæ Majestati Vestræ & aliis fœderatis nostris, pro quibus toties vitam, sanguinem, vires, bona nostra, nostrorumq; prodegeramus, ut nos victimæ instar, pro redimenda salute offerrent. Quam acerbe hic nos acciderit casus, Regiæ Majestati Vestræ judicandum relinquimus. Non tamen ultra querelas hactenus sumus progressi, nec aliud quid fecimus, quam quod Naufragi solent, qui solutis tabulis, cum navim non possint, aliquam saltem mercium partem sævienti eripere mari laborant. Ita & nos, cum lucri periculum fecimus, de damno saltem vitando certamus, nec ulterius quid desideramus, quam ut pecunia nobis debita solvatur, & æqua damni perpessi fiat æstimatio. Quo quidem fine sive clara spectetur fœderis dispositio, sive nuda justitia, nihil potest esse æquius: in ipso autem exigendi modo, quam lente ac caute progressi simus, nemini melius, quam Regiæ Majestati Vestræ ac Ministris ipsius notum esse potest. Testamur Regiæ Majestatis Vestræ scientiam, quam frequenter per quinque annos & quod excurrit, aures Regiæ Majestatis Vestræ per Ablegatum nostrum hac de re fatigaverimus, & cum nihil impetraremus,

quam

quam ſincere eidem declarari fecerimus, cogi Nos, per illum querelarum noſtrarum contemptum, quamvis invitos ac reluctantes ad diſpicienda alia media, quibus juſtiſſimis noſtris deſideriis ſatisfiat; Idem a Gubernatoribus Belgii, ad quos ſæpe ex Hiſpania, quemadmodum ex Belgio in Hiſpaniam, Pilæ verſatilis inſtar remisſi ſumus, repræſentari curavimus, & jam paucis abhinc diebus per Miniſtrum Noſtrum L. Baronem a Spaen, Bruxellas miſſum, ſed fruſtra, nec aliud quid tum Miniſtri Noſtri, tum literæ ex Hiſpania & Belgio reportarunt, quam inutilia verba, ex quibus ſatis conſtaret, nihil nobis præſtitum iri, nec quicquam ſpei reliquum. At cum damnum illud, quod per ultimum hoc bellum, & ob auxilium Regiæ Majeſtati Veſtræ præſtitum perpeſſi ſumus, adhuc in viſceribus noſtris, noſtrorumque hæreat ſubditorum, non potuimus aliter, quam ut de reſarciendo illo omni cogitaremus ratione. Et cum Regia Majeſtas Veſtra in his terris ad nullum vocari poſſit tribunal, fecimus id, quod illo in caſu etiam privatis, res ſuas vindicantibus, licet, qui nimirum bona debitoris arripere, ac eo usque detinere poſſunt, donec ſibi ſatisfiat, ita & nos navibus injunximus noſtris, ut Hiſpanicas naves ac merces, citra hoſtilitatis actum, niſi ad quem per vim prius illatam cogantur, eo usque detineant, donec & Nobis æqua ſit ſatisfactum ratione. Tantum vero abeſt, ut inde Regia Majeſtas Veſtra ſe læſam conqueri poſſit, ut potius ipſa cum omnibus, rem ſine affectu æſtimantibus, remedium, quod adhibemus, pro amico & juſtitiæ publicæ convenienti ſit agnitura, nam id ſaltem, quod no-

ſtrum eſt & ab alio contra fas detinetur, proſequimur, & civili modo vindicamus. De reliquo decretum nobis eſt, conſtantem cum Regia Majeſtate Veſtra colere amicitiam & vicinitatis jura inviolata ſervare. Quæ omnia, ſi Regia Majeſtas Veſtra pro ea, qua pollet, æquanimitate ac prudentia expendat, ne quicquam dubitamus, quin & juſtitiam cauſæ noſtræ luculenter perſpiciat, ut juſtiſſimis noſtris deſideriis ea, qua par eſt, ratione ſatisfiat. Quod ſi fiet, curabimus, ut & naves & merces detentæ reſtituantur, & omnia in eum reponantur ſtatum, qui amicis & vicinis Principibus convenit. Qua ſpe freti Deum veneramur, ut Regiam Majeſtatem Veſtram quam diutiſſime ſervet incolumem. Dabantur ex aree Noſtra Coloniæ ad Spream, die 22. Septembr. Anno 1680.

## DCLXXVI.

*Literæ* PLENIPOTENTIARIORUM CÆSAREORUM AD TRACTATUS NEOMAGENSES OLIM ABLEGATORUM, *ad* LEPOLDUM, *Rom Imperatorem, quibus concinnam tractandi ibidem ſeriem pertexentes, nihil in ipſis Pacis Tabulis Galliæ conceſſum eſſe aſſerunt, quo vel minimus juſtitiæ color conſtitutis nuper Briſaci & Metis Reunionis Tribunalibus, multominus latis ibidem ſententiis accerſi queat, 1681.*

### Auguſtisſime Cæſar, Rex & Domine omnium Clementisſime.

POſtquam Sacræ Cæſareæ Majeſtati Veſtræ placuit, literas reſponſorias Chriſtianisſimi Franciæ

ciæ Regis, Versaliis 10. Octobris nuperi ad Comitia Imperii Ratisbonam datas, eo Nobis fine communicare, ut pro majore Electorum, Principum & Statuum Imperii informatione ea elucidaremus, quæ in illis acta Noviomagi Nostrumque potissimum factum arguunt, gratulamur imprimis Nobis de ea libertate & gloria, quæ Sacræ Cæsareæ Majestatis Vestræ Ministris præcipue semper relicta est, ut simul obsequi & veritatem asserere possimus. Responsoriarum Christianissimi Regis fere summa est, sibi per pacem Westphalicam omnia cessa esse, quæ per hactenus institutas reuniones ab Imperio occupata sint; Et tametsi in Tractatu Neomagensi a Nobis prætextu placiti ante hac arbitrii, præcipua quædam eorum capita in controversiam revocata & hinc inde diu ventilata fuerint, tandem tamen tum pro justitia rei, tum ob instantiam Ministrorum Principum Imperii, quos majoris ex bello mali pericula propius tetigerint, illis omnibus a Nobis renuntiatum fuisse, eoque postquam ea potissimum renunciatione parta pax, & pacis legibus a Gallia plene satisfactum sit, minus congruum fore bonæ fidei, qua omnia Neomagi acta ab Imperio approbata sint, si illis istorum querelis locus auresque dentur, quibus animus sit, sepultas per pacem controversias, non sine illus convulsione, resuscitandi; Cæterum si Principes aliqui, Statusve Imperii credant sibi alia adempta esse, quam quæ ex Pace Westphalica & legitima actione a Gallia semper vindicata fuerint, non denegandam revisionem eorum, quæ a Regiis Commissariis pronuntiata sint.

ſint. Quæ omnia cum erroneis plane præſuppoſitis, principiisque nitantur, non licet Nobis præſumere aliud de Chriſtianiſſimo Rege, quam quod iisdem gloriam nominis ſui & publicæ fidei ſanctimoniam tranquillitatemque Chriſtiani Orbis certe commiſſurus non eſſet, ſi de fragilitate eorum omnium & rei ipſius veritate plene eſſet informatus; Nam Primo: quod ad pacem Monaſterienſem attinet, uti in ejusdem Inſtrumento §. 9. *Quod ſupremum Dominium* &c. usque ad §. *Teneatur Rex Chriſtianisſimus* &c. quid Galliæ ea tandem ceſſum ſit, ſpeciatim clareque expreſſum eſt; Ita nemini dubium eſſe poteſt, ejusmodi cesſionem ad alia non expreſſa nullo poſſe jure extendi, tantum vero abeſt, ut ea ceſſio aut Vaſallos trium Epiſcopatuum Metenſis, Tullenſis & Verodunenſis extra eorum diſtrictus Imperio immediate ſubjectos, aut univerſam Alſatiam complexa ſit, ut ea potius ad Epiſcopatus eorumque diſtrictus expreſſe limitata, imo & in prædicto Pacis Inſtrumento, non ſolum eorum Vaſallorum plerique, ſuffragante ipſamet Gallia, in eum, quo ante motus Bellicos gaviſi fuerant, ſtatum, variis articulis plenisſime reſtituti inveniantur, verum etiam extra Serenisſimæ Domus Auſtriacæ in Alſatia ditiones, juraque ceſſa, reliqui omnes per utramque Alſatiam Romano Imperio ſubjecti Status §. *Teneatur Rex Chriſtianisſimus* &c. a cesſione clarisſime & nominatim excepti ſint, cum ea expreſſa lege, ut in libertate atque poſſesſione immedietatis erga Imperium Romanum, qua hactenus gaudebant, a Gallia relinquerentur, utpote quæ nullam in eos ulte-

ulterius Regiam ſuperioritatem prætendere, ſed iis plane juribus contenta eſſe debeat, quæ ad Domum Auſtriacam ſpectaverant, & Galliæ cedebantur. Hæc a ceſſis tam expreſſa limitatio nimis certe clara eſt, quam ut locus aut color Galliæ posſit eſſe reliquus, eos ipſos Imperio Romano immediate ſubjectos Status, quos in ſua erga Imperium immedietate libertateque relinquere, neque ullam unquam in eos regiam poteſtatem prætendere, ita ſpeciatim pacta eſt, nunc demum ab Imperio avellendi. Cur enim ab Imperatore & Imperio iis ipſis de conſervatione libertatis & immedietatis erga Imperium tam ſollicite cautum fuiſſet, ſi eodem tractatu ab Imperio in Gallorum jus & poteſtatem transmittebantur, cur eorum multis a Gallia, vigore ipſiusmet pacis, urbes, arces & munimenta, quæ nunc invadit, reſtituta & hactenus relicta fuiſſent, ſi hæc omnia ea ipſa pace in Galliam translata erant? Cur denique Gallia fortalitii Benfeldiani demolitionem, Civitatis Tabernarum Neutralitatem, militi ſuo liberum tranſitum, aliaque ejusmodi tot cautelis ſtipulata fuiſſet, ſi univerſa Alſatia Galliæ ceſſerat? Nec quicquam contrariatur diſpoſitioni prædicti §. *Teneatur Rex Chriſtianisſimus* &c. ſubjuncta eidem ſub finem clauſula; *ita tamen quippe cum ſupremi* §. *Primo quod Supremum Dominium & ſequenti* Landgraviatus Alſatiæ & Sundgovia, una cum Præfectura Hagenoënſi, ut illa Sereniſſima Domus Auſtriaca posſederat, ab Imperatore, ab Imperio, & Domo Auſtriaca Galliæ ceſſa erant, cum ea tamen differentia, ut quæ Domus Auſtriaca ab Imperatore & Imperio

perio Jure Vaſallagii & ſubjectionis recognoverat, ea cum omni ſupremo & directo Dominio in Galliam transmitterentur. Non inutiliter ſane paragrapho: *Teneatur Rex Chriſtianisſimus* &c. quo Gallia iis plane juribus jubetur contenta eſſe, quæ ad Domum Auſtriacam ſpectaverant, prætacta clauſula ſubjuncta eſt, ne ſcilicet quicquam ea declaratione intelligetur detractum de eo ſupremi Dominii jure, quod Imperatori & Imperio in Auſtriacas ditiones Galliæ ceſſas, non Domui Auſtriacæ competierat, & in Galliam ſuperiori paragrapho translatum erat. Ceſſa ab Auſtriaca Domo ſpoſpondit Rex Chriſtianisſimus tribus millionibus librarum Turonenſium quali quali modo compenſare, ſimul & æris alieni Cameræ Enſisheimenſis duas tertias in ſe recipere, quorum omnium aliqua ſaltem ratio, quoad reliquos Alſatiæ & eos etiam Imperii Status, qui feuda a tribus cesſis Epiſcopatibus cognoſcunt, habita foret, ſi eorum ſimul ditiones cum Landgraviatu Alſatiæ & prædictis tribus Epiſcopatibus ceſſæ fuiſſent. Neque enim hi omnes, præſertim ſine ulla compenſatione aut mentione ſui, in adeo prodigalem ſui alienationem conſenſiſſe, neque paciſcentes fortunam & conditionem tot immediatorum Imperii Statuum jactasſe cenſendi ſunt. Accedit inprimis, quod & ſacræ Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ & Imperii ad Tractatus Weſtphalicos Legati & Deputati tam ſæpe coram Mediatoribus & tam Galliæ quam Sueciæ Legatis, tum hi totius Imperii nomine, ad tollendam omnem ambiguitatem $\frac{19}{29}$ Septembr. Anno 1648. adeoque ante ſubſcriptam pacem datis ad Regem

Chri-

Christianissimum literis & immutabili (ut illam vocant) Declaratione solennissime protestati sint, neque Legationem Cæsaream neque se per cessionem Landgraviatus Alsatiæ una cum Sundgovia & Præfectura Hagenoënsi, tum trium Episcopatuum, eorumque districtuum plus juris in Galliam transferre posse & velle, quam quod Serenissimæ Domui in Alsatia hactenus competierat, & olim Episcopi in prædictis Episcopatibus possederant; Nec enim Constatibus suis a se ea præripi posse, quæ ipsis nec accepta ferant, nec precario, sed suo jure teneant. Hoc sensu conclusa pax, neque aliter a paciscentibus intellecta est, cum ex ipso Norimbergensi Recessu Pacis Monasteriensis executivo clare constet, a Gallia vigore executionis dictæ Pacis, plures in Alsatia locos, imo ex ipsis decem Alsaticis Civitatibus unitis duas, Hagenau & Landau, aliaque, quæ nunc de facto occupat, in specie. Germersheimb, Alzeys, Dachstein, Mompelgard &c. Imperio restituta esse; Frivolum nimis est, quod a Ministris quibusdam Gallicis contra hæc nuper intelleximus adduci, arsisse scilicet civilibus dissidiis Galliam eo potissimum tempore, quo de executione Pacis Westphalicæ Norimbergæ conventum sit; Major certe debet esse Religio pactorum, quam ut accersitis ejusmodi ratiunculis labefactari possit; Recessus Norinbergensis ratihabitus est a sua Regia Christianissima Majestate non minus, ac ipsa Pax Monasteriensis, & uti Gallia nollet sibi partas per hanc acquisitiones ex eo capite controverti, quod Imperium tempore tractatæ conclusæque Pacis Westphalicæ, internis discordiis in partes scissum fue-

fuerit, ita certe inane est; quod eludendo Recessu Norinbergensi Pacis Westphalicæ executivo, civilia Galliæ bella prætexantur. Et sane Gallia nulla eorum, quæ nunc noviter invadit & occupat, ex Pace Westphalica hactenus prætendit, ut cum iisdem Imperii Statibus, quos nunc ad subjectionem & homagium cogit, tanquam cum immediatis Imperii 30. jam & ultra post conclusam Pacem Monasteriensem annis tractarit, ii denique interrupta nunquam possessione ad comitia Imperii vocati & in illis præsente, nec contradicente Plenipotentiario Galliæ, Jure suffragii & sessionis semper gavisi sint, ad Collectas Imperii contribuerint; in contentiosis nulla, quam Dicasteria Imperii agnoverint, & cum An. 1661. tot post pacem Westphalicam annis, unitis decem Civitatibus Alsatiæ neq; tunc quidem de statu immedietatis, sed de sola forma Juramenti ratione præfecturæ Hagenoensis præstandi, deinde anno sequenti in Curia Metensi Vasallis supra dictorum trium Episcopatuum Imperio immediate subjectis controversia moveretur, ea non tantum intervenientibus Imperatore & Imperio ad Arbitros utrinque ex ipsomet Imperio electos remissa, & ab his partim decisa sit, sed & sua Regia Majestas Christianissima per Plenipotentiarium suum Gravellium in plenis Imperii Comitiis Ratisbonæ $\frac{4}{14}$. Septemb. 1667. statim in ipso limine arbitrii expresse declaraverit, non eam esse Regiæ Majestatis suæ intentionem, ut juramentum fidelitatis, quod vigore sibi cessæ Præfecturæ Hagenoensis a prædictis Civitatibus exigat, ita explicetur, ut etiam ad immedietatem, quæ in Tractatu Monasteriensi Civitatibus expres-

expresse reservata sit, extendatur. Et quòd cæterum ipse Gravellius rei evidentia convictus, sub cessione Landgraviatus Alsatiæ nullas alias ditiones, quam quæ Domus Austriacæ fuerant, comprehensas censeri posse, ingenue agnoverit, ex ejusdem ratiocinatione 25. Augusti Anno 1661. Regi suo transmissa & inter alios ipsius commentarios nuper Treviris reperta palam est. Omnium autem miserabilius hoc est, quod etiam illi Imperii Status, qui non tantum consentientibus, sed plerique suffragantibus imprimis Gallis adeo nominatim & expresse per pacem Westphalicam in suas ditiones & jura territorialia, quibus ante bellum gavisi erant, restituti sunt, illis omnibus & usque adeo iis etiam, quæ neque feuda Episcopatuum neque in Alsatia sita sunt, nunc ab iisdem Gallis obtentu Pacis exuantur. Exemplo sint Serenissimus Elector Palatinus, Episcopus Spirensis una cum incorporata eidem ab aliquot seculis Præfectura Weissenburgensi, incorporata Electoratui Trevirensi Abbatia Prumensi, Domini Comites Palatini, Bipontinus & Veldentiæ, Marchiones Badenses, Dux Würtenbergiæ Mompelgardensis, Princeps Salmensis, cæterique Rheingravii, Comites de Nassau, Hanau, Leiningen, Dachsburg & plures alii, quos omnes pax Westphalica in eum, quo ante bellum gavisi fuerunt, statum, expressis paragraphis, suffragante tunc inprimis Gallia, plenissime restituit, & illos ipsos eadem Gallia ejusdem obtentu pacis, iis nunc omnibus destituit; Quæ prolixius, quam instituti Nostri videri posset, a Nobis ea de causa potissimum repetita & deducta sunt, quod cum ex Tabulis Neoma-

gensis Pacis constet, Monasteriensem iisdem non secus ac si verbotenus inserta esset, sola Friburgi cum Philippsburgo commutatione excepta, in omnibus & singulis præcipue confirmatam esse, demonstratumque sit, tantum abesse, quod Pace Monasteriensi Galliæ quicquam eorum, quæ nunc noviter invadit, ab Imperio cessum sit, ut pleraque a cessis nominatim excepta, multa Dominis, quibus ea nunc eripit, vigore istiusmet Pacis, Gallia tunc inprimis annitente, restituta, multa ab ipsamet Gallia vigore Executionis ejusdem Pacis reddita, omnia usque ad postremos motus, sarta tecta Imperio conservata sint, consequens porro & omnino evidens sit, iis nunc demum ab Imperio avellendis inane prorsus a Tractatu Neomagensi patrocinium prætextumque accersi; Nam quemadmodum a Legatione Gallica Neomagi testantibus Actis in ejusdem propositionibus 3. Martii Anno 1677. & respective 15. Aprilis 1678. per Mediatores Nobis communicatis pro omni conditione restabiliendæ cum Imperio Pacis restitutio sine ulla alia ejusdem declaratione aut immutatione, quam quod Friburgi aut Philippsburgi optio relinqueretur, postulata, neque alia articulis Pacis ab eadem 24. Novembr. Anno 1678. propositis inserta, ita porro neque sub alia pax inita conclusaque est; Non negamus plures a Nobis non minus, quam in Legatione Gallica in Projectis hinc inde respective 24. Novembr. & 6. Decembr. An. 1678. Mediatoribus exhibitis, Articulos propositos esse, quam instrumento Pacis postea inserti sint, neutri autem partium adeo in mentem venit, eam omissionem re-

nunciationis instar esse, ut Gallia articulo 3. prædicti projecti sui sustineat adhuc, & additionalium aliquot, quos 15. Decemb. Anno 1678. exhibuit, licet eorum nullus instrumento Pacis postea insertus inveniatur, propria tamen autoritate & vi executa sit. Et certe multa tractantur, quæ non perficiuntur, ideoque & inter gentes constat, & expresse per mediatores inter Nos & Legationem Gallicam, testante Protocollo, convenit, ut ea, quæ ante transactionem inter transigentes dicerentur, pro non dictis, acta pro non actis haberentur. Inserueramus Projecto Nostro inter alios articulum de controversiis ad placitum antehac Arbitrium remittendis, utpote & rationi & repetitis a Christianissimo Rege tam in aula Sacræ Cæsareæ Majestatis Vestræ, quam in publicis Imperii Comitiis Ratisbonæ per unum ex Electoribus Imperii contestationibus conformem, neq; aliter aut antea eum omisimus quam Legatio Gallica, quæ hactenus affirmaverat, se de tali arbitrio nec informatam nec instructam esse, per mediationem Anglicam 30. Decemb. An. 1678. expresse declarasset, a Rege suo nihil novi aut aliud juris in eos Status & loca, quæ in articulo hoc octavo projecti Nostri expressa sint, prætendi, quam quod ipsi Pace Monasteriensi acquisitum sit, adeoque cum hæc Pacis Neomagensis fundamentum factura præsupponeretur, articulum hunc omitti posse; nulli certe vel per somnium in mentem venit, ea omissione articuli projecto Nostro de renovando arbitrio inserti, vel ipsi arbitrio & juri per illud Partibus quæsito renunciati, multo minus tot

tantosque immediatos Imperii Status, territoria & jura Pace Westphalica & hactenus semper sarta tecta, Imperio tam sollicite conservata, uno ictu in Galliam transferri. Nobis sane nec ea mens & potestas fuit, neque vero ita alieni sumus prodigi & nostri obliti, ut, quæ a Legatione Gallica, sicuti ex prædictis & actis patet, ne quidem unquam petita sint, ea sine mandato Cæsareæ Majestatis Vestræ, sine præscitu Imperii, sine consensu interessatorum Statuum sponte jactaverimus. Non neglexisset sane Legatio Gallica tantæ renunciationis (si supra dicti vel alterius articuli omissio renunciationis loco habita, aut accepta fuisset) aliquod saltem vestigium in ipso Pacis Instrumento relinquere, cum eidem longe minorem rerum, imo & verborum enucleatissima expressio curæ fuerit. Enimvero inutile foret, de certa pactionis formula tam diu & operose tractasse, si ea posthabita ad prima utrinque projecta & varia inter tractandum ultro citroque aut proposita aut omissa, plerumque incerta, recurrendum esset. Et sane non ea, sed ipsæ Pacis Tabulæ in Serenissima Cæsarea Majestate Vestra & Imperio, uti & a Rege Christianissimo exemplaribus ratificationis hinc inde insertæ, ratihabitæ sunt, & posteritati, quæ omnia alia ignorat, fidem & regulam faciunt. Jam vero cum articulo secundo Instrumenti Pacis Neomagensis simpliciter Pax Monasteriensis in omnibus & singulis confirmata sit, nisi quatenus eidem per Instrumentum Pacis Neomagensis expresse (quod bene notandum) derogatum est, ejusmodi autem derogatio aut mutatio qualiscunque quoad ea, de quibus quæstio est, in

in toto Pacis Neomagensis Instrumento expressa adeo non inveniatur, ut potius *Artic. 27. ejusdem* claris iterum verbis simpliciter repetatur (juxta Pacem Westphalicam articulo secundo in omnibus confirmatam reciproce omnia restituenda & evacuanda esse bona fide) nimis certe clarum est, de nulla alia resistentia, renunciatione, aut cessione qualicunque, præsertim tam enormi, cogitatum fuisse, sed ne ambigendi locus posset esse reliquus, Nos expresis Verbis coram Legatione Galliæ, & ad Acta mediatorum in scriptis, biduo ante subscriptam pacem solennissime protestati sumus per præfatam omissionem articuli, projecto nostro de renovando arbitrio inserti, nihil omnino Imperii Juribus derogari, sed ea potius, uti in Pace Monasteriensi, unica Neomagensis basi fundata sint, inviolata servari. Quæ ipsa protestatio, sub qua conclusa & subscripta pax est, postquam in declaratione Imperii, qua Sacra Cæsarea Majestas Vestra 23. Martii An. 1679. ab Imperii Ordinibus ad pacem suo & Imperii nomine ratam habendam, implorata fuit, non tantum expressis verbis repetita sit, verum etiam secuta Cæsareæ Majestatis Vestræ ratihabitio ad eam se porro referat, hæc autem, una cum illa, Legationi Gallicæ a Nobis 19. Aprilis Anno 1679. extradita, & cum exemplari ratificationis Regiæ Majestatis Christianissimæ commutata sit, non facile apparet, quo tandem fundamento istius vel alterius articuli omissio renunciationis vel præjudicialis desistentiæ instar haberi possit. Accedit, quod designatio a Gallia restituendorum 12. Junii Anno 1679. a Nobis Legationi Gallicæ exhibita clare demonstret, quam

nulla intentio fuerit, illa Galliæ per pacem cedendi, quorum ab ea restitutio vigore Pacis, expresse per Nos statim postulata fuit, etiamsi Recessui executionis ea omnia speciatim inserta non fiat, eo quod Legatio Gallica negaret, se de singulis particulariter informatam esse, nihilominus expresse convenit, restituenda esse Imperio a Gallia generaliter omnia, quæ eidem pace Monasteriensi, aut Neomagiensi non competunt, facta tamen prius coram utraque mediatione expressa reservatione, Nos in prædicta designatione specifica restituendorum adeo non desistere, ut eidem castrum Waselnheim ad Civitatem Argentinensem spectans, addi peteremus; Tantum abest, ut hisce a Legatione Gallica contradictum sit, ut in allegato Recessu executionis Artic. I. inter ea Imperii loca, ex quibus Sacræ Cæsareæ Majestatis Vestræ copias educi stipulata est, duas ex ipsis unitis Civitatibus Imperialibus Alsaticis Landavium & Cronweissenburgium expresse recensuerit, adeoque Imperii illas esse agnoverit. Imo & Episcopum Argentoratensem, in cujus ditionem nunc non minus, quam in alias Alsatiæ superioritatem sibi Gallia arrogat, non tanquam subditum, verum uti amicum & fœderatum, cui, tanquam immediato Imperii Principi, una cum sessione & voto in Imperio, etiam jus fœderum competat 23. Augusti 1677. per utramque mediationem declaravit, eoque, ut ejus minister ad Tractatus Pacis inter fœderatos Galliæ admitteretur, instantissime urserit, pactumque tandem sit in *ipsa Pace Articulo 23.* ut prædictus Episcopus Argentoratensis simul cum fratre, & ex Fratre Ne-

pote

pote in priſtinum ſtatum, jura, ſeſſiones, votum, bona feudalia & ſubfeudalia & alia, quibus ante deſtitutionem gaviſi fuerant, non obſtantibus, ſed caſſatis quibuscunq; in contrarium actis, pactis & decretis, plenisſime reſtituerentur. Eoque Judicia Regia hiſce cæterisque omnibus Coronæ Galliæ, quæ occupare decreverat, ſpecie Juris adſcribendis, reſpective Metis & Briſaci adornata, ſatius tamen duxerunt, prætenſum ſententiarum ſuarum fundamentum in pace Weſtphalica, quam Neomagenſi, aut afficta Nobis renunciatione collocare, tametſi illa non magis, quam hac ſuſtinendum. Cæterum quod in literis Chriſtianisſimi Regis additur, Nos ad eam renunciationem inſtantiis Miniſtrorum, Principum Imperii, quos pericula belli propius urſerint, præcipue permotos eſſe, non majori certe fundamento nititur, quam ipſa renunciatio; Neq; enim ullus Principum aut eorundem Miniſtrorum, utut Pacem efflagitarint,, ſub nomine aut velo Pacis, bellum præ quovis alio exitioſum Imperio cupiebat, neque Nos, quantumvis cupiiſſent, ignorabamus, ullam Nobis præter mandata Sacræ Cæſareæ Majeſtates Veſtræ in utilitatem univerſi Imperii directa, aliam in Tractatu normam aut regulam propoſitam eſſe. Non eſt, quod Nos urgeamus, quod in fine literarum Chriſtianisſimi Regis de concedenda reviſione ſubjungitur. Certo in aprico eſt, neque Imperium neque immediatos ejusdem Status & Nobilitatem in eorum magis, quos ad ejusdem reviſionem Rex Chriſtianiſſimus deputa-

 turus

turus esset, ac in Cameræ Metensis aut Brisacensis Jurisdictionem consentire, vel ab illis favorabiliorem, quam ab his pronunciationem sibi polliceri posse; Utrisque enim causa Domini pro omni ratione decidendi futura esset. Denique pro fundamento, post tot tamque graves ab Ordinibus immediatis Imperii Regi Christianissimo enucleate propositas Contraventiones Pacis ex parte Galliæ commissas in literis Suæ Regiæ Majestati omnes Pacis leges optima fide ex parte Galliæ adimpletas esse affirmari possit, non magis certe apparet, quam quo nitatur illud, cujus Nos in iis arguimur, cum contrarium prædictis & Commentariis relationum Nostrarum Neomago missis, præcipue vero ex Tabulis pacis ipsaque rei & actorum evidentia clarum sit, nos contenti satisfecisse Sacræ Cæsareæ Vestræ Majestatis Mandato, cætera Electoribus, Principibus & Statibus Imperii pro gravitate rei diluenda merito relinquimus, & proinde, quod reliquum est, Cæsareæ gratiæ Nos submississima devotione & cultu æternum commendamus.

Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis
Vestræ

***Dat. 29. Jan. 1681.***

*Devotissimi & obedientissimi*
*Capellanus & servi,*

Johannes, Episcopus Gurcensis.
Ulricus Comes Kinski.
Theodorus Athletes Henricus Strattmann.

DCLXXVII.

DCLXXVII.

*Literæ STATUUM SACRI ROMANI IMPERII, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, quibus Tribunalium Brisaci & Metis constitutorum Judices manifestæ iniquitatis accusant, gravatosque intra Alsatiam Imperii Status pristinæ libertati restitui, & si quæ de jure moveri possent controversiæ, eas ad arbitrium Principum quorundam, præjudiciorum labe minime infectorum, remitti petunt, 1681.*

## Serenissime & Potentissime Rex Christianissime, Domine Clementissime.

Literas responsorias Regiæ Majestatis Vestræ ex Arce Versaliensi decima nuperi Octobris datas, ea, qua par est, veneratione accepimus, & ex illis intelleximus, esse, qui Regiam Majestatem Vestram ea sinistra opinione imbuant, quod omnia, quæ in Imperio per Regiæ Majestatis Vestræ Officiales de facto & vi militari occupantur, ab Imperio in Pace Westphalica Coronæ Galliæ clare cessa, & eidem in tractatu Pacis Neomagensis, postquam a Cæsareis Legatis præcipua eorum capita in controversiam revocata fuissent, tandem tamen aut renunciata aut relicta sint. Utrumque certe ita erroneum est, ut æquanimitas & justitia Regiæ Majestatis Vestræ Nobis omnino polliceatur non concredituram se iis gloriam nominis sui, sanctimoniam publicæ fidei, & tranquillitatem Christiani Orbis, si de rei ipsius veritate plene esset informata. Nam quantum imprimis pacem Westphalicam attinet, si placuisset Regiæ Majestati Vestræ

ad ea reflectere, quæ literis Nostris 27. Julii nuperi prolixius deduximus, cognovisset certe tantum abesse, ut quicquam eorum Coronæ Galliæ, quæ nunc noviter in Imperio occupat, pace Westphalica cessum sit, ut pleraque in ipsiusmet pacis Instrumento ab iis, quæ Galliæ ibidem causa leguntur, clare potius & nominatim excepta, multa Dominis, quibus ea nunc eripiuntur, virtute istius Pacis, Regia Vestra Majestate tunc imprimis annuente, restituta, multa vigore Recessus Norinbergensis Pacis Westphalicæ executivi Imperio reddita, omnia usque ad postremos motus, sarta tecta conservata sint, iidemque Status, in quos Regia Majestas Vestra nunc Regiam superioritatem sibi adstruit, triginta & ultra a Pace Westphalica annis, interrupta nunquam possessione, ad Comitia Imperii vocari, in illis præsente nec contradicente Plenipotentiario Regiæ Majestatis Vestræ, suffragii & sessionis, adeoque omnibus immedietatis Juribus semper gavisi sint, ad collectas Imperii contribuerint, in contentiosis nulla quam Imperii Dicasteria agnoverint, imo Regia Majestas Vestra cum illismet, tanquam cum immediatis Imperii Statibus hactenus semper tractaverit, fœdera inierit, in ipso Westphalicæ Pacis instrumento, liberum militis sui per Alsatiam transitum, fortalitii Benfeldani in Alsatia demolitionem, Civitatis Tabernarum Neutralitatem pacta sit, & cum Anno 1651. Regia Majestas Vestra Dominum Comitem de Harcourt primum Præfectum Hagenoënsem constituisset, ipsamet in literis (probante Copia sub num. 10.) testata sit, Landgraviatum Alsatiæ tan-

tum

tum cum Protectione decem Civitatum Imperialium in Alſatia ſitarum ceſſum fuiſſe, imo dictas Civitates paſſim non ſubditas, ſed ut Status Imperii habuerit, ipſiſque conſervationem Immedietatis ſancte promiſerit, cumque Anno 1661. tam longo poſt Pacem Weſtphalicam tempore, prædictis unitis decem Civitatibus Imperialibus Alſatiæ, neque tunc quidem de ſtatu immedietatis, ſed de ſola forma Juramenti, ratione Præfecturæ Hagenoënſis præſtandi, nova quæſtio oriretur, Regia Majeſtas Veſtra, per ſecundum ſuum Præfectum Ducem Mazarini, præſentibus Regiis ſuis Commiſſariis, ſolenni jurejurando (juxta formulam num. 2.) ſtipulata ſit, quod dictas Civitates Imperiales contra omnem injuſtitiam & violentiam defendere, easque in omnibus ſuis immedietatis juribus & Privilegiis erga Imperium Romanum conſervare, neutiquam vero turbare velit, prout ex Reverſalibus juratis ſub num. 3. prolixius patet. Deinde poſtquam Anno ſequenti a Curia Metenſi trium Epiſcopatuum, Metenſis, Tullenſis & Verodunenſis, quondam Vaſallis Imperio immediate ſubjectis, controverſia moveretur, utraque non tantum intervenientibus Sacra Cæſarea Majeſtate & Imperio ad Arbitros ex ipſomet Imperio utrinque electos remiſſa, & partim jam deciſa ſit, ſed & Regia Majeſtas Veſtra per Plenipotentiarium ſuum, Robertum de Gravell, in hisce Comitiis $\frac{13}{23}$. Sept. 1667. in ipſo ſtatim limine Arbitrii, teſtantibus actis ſolenniter conteſtata ſit, non eam eſſe intentionem ſuam, ut juramentum fidelitatis, quod vigore ceſſæ ſibi Præfecturæ Hagenoënſis, a prædictis

ctis Civitatibus exigat, ita explicetur, ut immedietati, quæ in Tractatu Monasteriensi illis expresse reservata sit, ullo modo præjudicet; Eoque nemo certe sine injuria de Regiæ Majestatis Vestræ justitia & æquanimitate præsumere potest, quod nunc eas ipsas Civitates, uti & reliquos Alsatiæ Ordines, a Landgraviatu Alsatiæ, qui Coronæ Galliæ cessus est, distinctissimos, & a cessione in ipso Instrumento Pacis nominatim exceptos, cum pluribus aliis immediatis Imperii Statibus, etiam iis, quos Pax Westphalica & Recessus Norinbergensis ejusdem executivus, in sua territoria & jura tam clare restituit, ejusdem Pacis obtentu sibi vindicare velit. Æque fragile est alterum fundamentum, quod a Tractatu Noviomagensi accersitur; nam, uti ex ejusdem actis constat, a Regia Majestate Vestra, pro omni conditione restabiliendæ cum Imperio Pacis, solam restitutionem Westphalicæ postulatam, ita ex ejusdem Pacis instrumento evidens est, sola Friburgi cum Philippsburgo commutatione excepta, in reliquis Pacem Westphalicam pure confirmatam esse. Non ignoramus tam a Cæsarea, quam Regiæ Vestræ Majestatis Legatione articulos hinc inde plures propositos esse, quam Instrumento pacis postea inserti sint, quo prætextu Regia Majestas Vestra quam maxime inniti, & tam enormem cessionem exinde etiam evincere velle videtur, sed ea omissio adeo neutri partium renunciationis instar visa est, ut Regia Vestra Majestas eorum aliquos ab ejusdem Legatis propositos, licet ex tabulis pacis omissi sint, effective tamen executioni demandaverit, ut taceamus,

mus, quod Legatio Cæsarea *Articulum 8. Projecti sui* de controversiis ibi nominatis, ad placitum antehac arbitrium remittendis, non ante nec aliter omiserit, quam postquam Legati Regiæ Majestatis Vestræ, qui hactenus contestati fuerant, se de eo arbitrio nec informatos nec instructos esse, tandem per mediationem Anglicam 30. Dec. (vigore extractus Protocolli sub num. 4.) expresse declarassent a Regia Majestate Vestra nihil novi aut aliud juris in status & loca, in prædicto Articulo nominata, prætendi, quam quod eidem pace Westphalica acquisitum, quæ cum pacis Neomagensis fundamentum sit, præsupponeretur, articulum omitti posse. Et ne locus esset ex ista omissione renunciationem, aut qualemcunque desistentiam arguendi, Legatio Cæsarea ante subscriptam Pacem coram Mediatione & ipsismet Regiæ Majestatis Vestræ Legatis, verbis & scriptis ex superabundanti interposita protestatione, expresse cavit, statimque post pacem hinc inde ratihabitam, inter alia etiam ea ipsa loca articulo prædicto nominata a Legatis Regiæ Majestatis Vestræ nomine Imperii inter restituenda & evacuanda repetiit, prout ex actis clarum est, & adjacens hic dictorum Legatorum Cæsareorum relatio facti, sub num. 5. uberius habet, ita, ut non appareat, quo tandem fundamento ex prædicti articuli omissione tam enormis tot tantorumque Statuum cessio inferatur; Nullum certe illius in Instrumento Pacis vestigium est, & cum ex omni jure constet ea, quæ ante transactionem & re adhuc integra inter transigentes dicuntur & aguntur,

tur, pro non dictis, acta pro non actis haberi, eaque non ex illis aut antecedentium congressuum disceptationibus; sed ex solo tenore Instrumenti secutæ pacis, quid ea tandem transactum sit, doceri oportere, ad illud unum recurrendum est, neque enim quidquam aliud a Sacra Cæsarea Majestate & Imperio aut a Regia Majestate Vestra ratihabitum fuit, quam ipsæ pacis tabulæ, uti exemplaribus ratificationis hinc inde verbotenus, insertæ sunt, & consequenter eæ solæ paciscentes obligant. Jam vero cum in tabulis Pacis Neomagensis in omnibus & singulis pax Westphalica pure confirmata sit, nisi, quatenus eidem per Neomagensem expresse derogatum est, tota res eo redit, ut alterutrum doceri debeat, aut factam esse in Pace Westphalica cessionem, quæ prætenditur, aut quoad eam cessionem per Pacem Neomagensem Westphalicæ expresse derogatum esse; Cum autem ex literis Nostris 27. Jul. nuperi ad Regiam Vestram Majestatem datis (quarum contenta in omnibus hic repetuntur) & hisce supra clare ostensum sit, quam nihil eorum Pace Westphalica Coronæ Galliæ ab Imperio sit cessum, neque in toto Instrumento pacis Neomagensis ullum ejusmodi cessionis vestigium, aut mentio, multo minus paci Westphalicæ, quoad hæc quicquam expresse derogatum inveniatur, ut potius *articulo 27. ejusdem* claris iterum verbis repetatur, simpliciter, juxta Pacem Westphalicam in omnibus & singulis articulo 2. confirmatam, reciproce omnia bona fide restituenda & evacuanda, imo & Dominus Episcopus Argentinensis, unus ex Ordi-

nibus

nibus immediatis Imperii in Alsatia in ipso Tractatu Neomagensi a Regia Majestate Vestra inter amicos & fœderatos habitus, & eadem imprimis urgente in pristinum statum, Jura sessionis, vota & alia quæcunque, quibus ante destitutionem gavisus fuerat, restitutus sit, consequens porro est, reliquos in instrumento Pacis Westphalicæ sub eadem dispositione verbis & re comprehensos, eadem quoque restitutione, immedietate & Juribus uti & frui debere, adeoque Regiam Majestatem Vestram de ejusmodi prætensa cessione aut desistentia, utpote quæ neutra pace, adeoque plane nullo fundamento nititur, nimis sinistre sane informatam esse. Id autem minus capimus, quod dictæ cessioni aut desistentiæ adstruendæ, in præfatis Regiæ Majestatis Vestræ literis Sacræ Cæsareæ Majestatis & Imperii ratificatio allegatur, cum in Senatus Consulto Statuum Imperii Regiæ Majestatis Vestræ Legatis, una cum exemplari ratificationis Cæsareæ, quæ ad illud se expresse etiam refert, extradito, interposita a Legatione Cæsarea prædicta Protestatio & reservatio clarissime repetita sit: Non immerito certe laus & gloria est, qua Regia Majestas Vestra in suismet literis Imperatori & Imperio adscribit, religionem in observanda, uti ea ratihabita est, pace, neque enim quisquam hactenus extitit, qui ab illis vel in ea observanda bonam fidem, vel in exequenda promptitudinem desiderarit, cui si eadem bona fide & promptitudine a Regiæ Majestatis Vestræ Ministris responderetur, non foret hisce tum ante hac deductis, tum novis & quotidie in Imperio ingravescentibus querimo-

rimoniis locus. Cæterum, quod Regia Majestas Vestra in suis literis revisionem denique eorum offerat, quæ a Commissariis suis contra gravatos Imperii Status pronunciata & armata manu occupata sunt, non ita accipimus, quod Regiæ Majestatis Vestræ mens aut intentio esse possit, Ordines Imperii ad sua Tribunalia, quorum in illis Jurisdictio notorie incompetens est, iterum evocandi & sumptis Actoris simul & Judicis partibus explicationem Instrumenti Pacis Westphalicæ, exclusis cæteris ipsius consortibus, contra ipsam pacem sibi soli vendicandi, verum eo, quo par est, & congruo Regiæ Majestatis Vestræ sensu, scilicet ut controversiæ (prout inter dissentientes moris est, & Regiæ Majestati Vestræ antehac placuit) ad Arbitrium, gravatis Statibus interim in possessionem Immedietatis, libertatis & Jurium, qua de facto destituti sunt, ante omnia, uti juris est, restitutis, remittantur. Quæ si Regiæ Majestatis Vestræ intentio sit, uti id ab ejusdem justitia & tam sancte & sæpe repetitis contestationibus speramus, Sacra Cæsarea Majestas (ad cujus mentem & intentionem hæc scripta sunt) una cum Imperio & Interessatis ejusdem Statibus admittent oblatam conditionem eo libentius, quo scimus iis nihil esse antiquius & nil magis in votis, quam constantem cum Regia Majestate Vestra Pacis & sinceræ amicitiæ conservationem, quæ cæteroquin, sublatis fundamentis, salva diu stare non potest, nec ab Imperio de facto & tot & tanta ejusdem membra, sine totius corporis convulsione, avelli. Quapropter Regiam Majestatem Vestram iterum iterumque decen-

center & instantissime rogamus, ut pro sua æquanimitate & justitia repetitusque toties contestationibus, remota vi, non solum controversias, quæ coram placito ante hac arbitrio tractatæ sunt, ad illud remittere, sed & gravatos in possessionem immedietatis, libertatis & jurium, qua hactenus, præsenti turbatione excepta, gavisi sunt, ante omnia restituere, ab omni ulteriori violentia, nec non in terris Imperii fortalitiorum extructione, aliisque innovationibus abstinere, & utramque tam Westphalicam, quam Noviomagensem pacem sartam tectam, inviolatamque esse, & si quid in alios Imperii Status & Ordines, supradicto Arbitrio non comprehensos, ulterius prætendi posse videatur, illud omne etiam (prævia tamen semper restitutione turbatorum) pari Juris & Arbitrii viæ intra certum tempus decidendum committere velit, quo nihil certe facere potest Regia Majestas Vestra Deo gratius, nomini suo gloriosius & toti Christiano orbi exoptatius: De cætero Regiam Vestram Majestatem Divinæ protectioni commendamus, Eidemque omnem Regiminis felicitatem ex animo comprecamur. Ratisbonæ ex Comitiis 7. Febr. Anno 1681.

## DCLXXVIII.

*Litera LEOPOLDI Rom. Imperatoris, ad CARDINALEM PIO, Germaniæ Comprotectorem, de lite inter Capitulum Constantiense & Anthonium Sebastianum Reding pendente agentes, 1681.*

Leopoldus.

REverendiſſimam Paternitatem Veſtram haud immemorem eſſe ducimus eorum, de quibus cum alias, ita poſtremis iterum literis noſtris 29. Julii Anni proxime ſuperioris, in cauſa coram Capitulo Conſtantienſi cum Anthonio Sebaſtiano Reding, ſuper canonicatu ejusdem Cathedralis vertente, datis, eandem præmonuimus; nimirum ut, cum novis contra datum Capitulum citationibus ex Curia Romana procedi intelligeremus, Reverendiſſima Paternitas Veſtra (dum rem ulterius per conſilium Noſtrum aliud, quod ex contagionis lue tunc ſe nondum recollegerat, disquireremus) gravioribus jurisdictionum colliſionibus antevertendis, ea interim omnia ſingula cum Sanctitati Suæ, tum aliis locis opportunis efficaciter remonſtrare pergeret, & vero, cum non ſolum dictum Capitulum Conſtantienſe ſimulque aliæ principaliores Germaniæ Eccleſiæ, imo illuſtrium Comitum ac Nobilitatis Germaniæ Collegia, utpote, quorum omnium ſingulorumque primaria hic cauſa vertatur, de dictis evacuationibus ſeu citationibus, quibus cauſa hæc ac punctum præcipue Nobilitatis Germanicæ probandæ, mere ſecularis extra Imperium per appellationem, contra privilegium ſummi Pontificis quondam, Pii Quarti, trahi velit, graviter conqueri non intermittant, ſed & univerſi Status Imperii Catholici (quibus pro querelarum exacerbatione Acatholici quoque Status pro fundationum Eccleſiaſticarum, quas obtinent, puritate, in nobilitatis requiſito conſervanda, proxime acceſſuri videntur) pro

pro antevertendo hoc universali præjudicio incessanter ac sollicite instent, nec vero a nobis ullatenus permittendum esse ducant, ut dicta Nobilitatis probatio ex quocunque capite & prætextu extra fines Imperii ad decisionem trahatur, aut alibi, quam secundum dictam Pii Quarti Bullam in Judicio Metropolitico Moguntino instruatur, decidaturque (prout in appositis hic copiis diserte exprimunt) satis exinde videt Reverendissima Paternitas Vestra non solum, quam pro Imperatorio Nostro munere nobis omnino incumbat, iisdem juribus, libertatibus & privilegiis Imperii conservandis quacunque nos via impendere, verum etiam quid quæstionis & præjudicii exinde (si prædictis Acatholicis quoque possessoribus fundationum Ecclesiasticarum causa accedentibus totum Imperium eidem intercederet) in Curiam Romanam ac sanctam sedem Apostolicam redundare possit, ut sane penitiorem omnino ejus considerationem mereatur, nec vero minus ex aliis etiam hic appositis copiis eorum, quibus Nos (tit.) Elector Moguntinus de causa hac apud judicium suum Metropoliticum in contumaciam non comparentis Redingii peracta informat, perspicuum sit, nonnisi secundum juris ordinem in ea processum fuisse, & vero tantum abesse, ut dictus Reverendissimus Elector a PrædictaBulla Piana recedere aut appellationi contra eandem in curia obtentæ deferre intendat, quin potius cum Roma scribi intelligeret, quasi eidem appellationi deferendo jam in editionem actorum apud Judicium suum Metropoliticum ventilatorum consensisset,

 ultro

ultro de contrario sensu suo per literas patentes (quarum copia hic quoque adjacet) testatus fuerit. Ex quibus omnibus singulisque nedum Reverendissima Paternitas Vestra, sed vel ipsa Sanctitas sua, & quivis alius de Curia illa satis assequitur, quam juris & justitiæ ordini tunc perducto, privilegiisque ac Imperii Constitutionibus consonum, quam conservandæ Jurisdictioni imperiali necessarium, quam item prævertendis Universalibus Imperii querelis sanctæ sedi Apostolicæ consuetum, ac denique collisionibus gravioribus præcavendis opportunum sit futurum, ut appellatione illa cassata Redingius denuo ad judicium illud Metropoliticum, pro purganda contumacia probandaque deinceps nobilitate sua remittatur, id quod ex hac etiam commissione tanto æquius faciliusque fuerit, cum vel ipsi Cantones Helvetici postremo iterum nona Decembris, anni proxime superioris, nomine prætendentis Redingii ad nos recurrerint, causamque ipsius apposita etiam nobilitatis deductione recommendarint, Nos vero eandem deductionem & sæpe dictum judicem Metropoliticum Moguntinum ea cum admonitione remiserimus, ut siquidem ibi comparuerit, contumaciamque purgaverit, Reverendissimus Elector ipsum ad probandam nobilitatem suam omnino sit admissurus. Qua equidem via sicuti collisionibus dissensionibusque ulterioribus quam commodissime prævertatur, ita Reverendissimam Paternitatem Vestram impense requirimus, ut pro suo Comprotectoris Germanici munere juxta ac zelo quam efficacissime agat, seque tum apud ipsam Sancti-

Sanctitatem suam, tum aliis locis opportunis sedulo atque enixe interponat, quo hac potissimum ratione contentioni huic desideratus ac opportunus utrinq; finis imponatur. Id quod inprimis a Reverendissimæ Paternitatis Vestræ dexteritate atq; officiorum apud Sanctitatem suam efficacia omnino expectamus, quam quod reliquum est, propensiore benevolentiæ gratiæque nostræ Cæsareæ effectu complectimur. Viennæ quarta Maji Anno 1681.

## DCLXXIX.

*Literæ GEORGII HAMEL A BRUNICX, Ablegati Generalium Fœderati Belgii Ordinum ad Imperatorem Extraordinarii, ad ORDINES REGNI HUNGARIÆ EVANGELICOS, quibus eos amice hortatur, ut obliterata pristinarum afflictionum & injuriarum memoria, gratiam Cæsaream denuo oblatam cupide amplectantur, 1681.*

**Illustrissimi, Spectabiles ac Magnifici, Generosi & Egregii, Prudentes item ac Circumspecti Universi Inclyti Regni Hungariæ Status & Ordines Evangelici.**

QUantum intersit Reipublicæ Christianæ, quantum Augustissimæ Domui, quantum reliquis Regibus, fere omnibus Principibus, Statibus in Europa, quantum maxime Hungariæ Regno, Patriæ Vestræ Magnatibus, Ecclesiasticis, Comitatibus, Civitatibus ac Regnicolis omnibus & singulis manifestius est, quam quod demonstratione egeat, ni-

hilque magis quam clara lux, face. Hoc itaque cum non ignorent prætitulatæ Dominationes Vestræ, nec non etiam quantum afflictiones & miseriæ Prædicantium Vestrorum ac interruptus cursus liberi exercitii Religionis Evangelicæ Dominis meis clementissimis, mihique eorum Ministro cordi fuerint & sint, quantoque studio ac zelo hac in parte a me laboratum sit apud sacratissimam suam Majestatem, Regem Vestrum Optimum Maximum, a cujus singulari bonitate, justitia & clementia impetratum fuit gratiosum illud Decretum, cujus vi & vigore plurimi afflicti & miseri Prædicantes (quorum afflictiones & miseriæ Vobis cordi erant & quotidianas lachrymas, suspiria precesque apud Deum Omnipotentem & Misericordem & Vestrum Christum Jesum extorquebant, & quorum absentia Vos omnes, sicut oves sine Pastore inimicis Vestris expositi oberrabatis) vinculis, carceribus & triremibus, contra omnium expectationem & fidem liberati absolutique fuerunt, ac simul sæva persecutionis tempestas, ab isto tempore minori rabie sæviit & hactenus quievit. O utinam! ut Pacis restituendæ Prognosticon! Denique cum eædem Vestræ Dominationes probe sciant, Dominos meos clementissimos meque ex eorum mandato non derelinquere Vestram caussam; Sed eam Regum longe optimo, æquo, justo ac clementi, studio eodem ac zelo commendare, nec desituros usque dum vel minima spei supererit scintilla; Patiamini proinde, ut Vos libere alloquar, moneam, suadeam atque æquo animo attendite ad ea, quæ Vobis alloquendo Vos, adhortan-

tando, monendo, ſuadendo, ponderanda tamen a Vobis atque examinanda, relinquo. Pax & quies in Regno Hungariæ Dominis meis clementiſſimis cordi eſt; ſed ſimul plena templorum, bonorumque ablatorum reſtitutio, Deum teſtor, nolite itaque ægre ferre, ſi ſententias Veſtras aliquando incurram, vel impingam. In omnibus negotiis facillime ad optatum finem pervenitur, ubi illa absque odio, ira vel alia aliqua paſſione, quæ judicium turbant, tractantur; modeſtia, æquanimitas, moderatio, ubi in animo imperium obtinent, nullum tam arduum, tamque perplexum eſt negotium, quod tractando, vertendo, explicando, reſumendo relaxandoque non facile expediatur. Deus optimus maximus animo placidos, pacificos, modeſtos, in charitatem inque mitiora proclives, juvat, amat, cauſasque illorum promovet, vertitque ſæpius contra ſpem metumque in melius: hæ virtutes Chriſtianum decent, maxime cum Evangelii magnam faciunt partem Evangelici. Seponant ergo injurias præfatæ Dominationes Veſtræ, quas pertulerunt: Condonent præterita, quæ reparari non poſſunt: remittant offenſas etiam cum tolerabili damno, pacem quantum in Vobis eſt, chariſſimi Religionis conſortes, quærite cum omnibus Regni membris: mitigate gravamina Veſtra ex æquo, ex bono, ex lege Charitatis, ablegate rigorem juris, qui cum æquitatis & charitatis ratione non ſemper ſubſiſtit: Pacem, quietem & concordiam ante omnia reſpicite, quærite, reducite; Propter vos ipſos, uxores, liberos, propter patriam, concives, Regnicolas; propter laborantes Status,

Reges, Principes, fidei in Christiano orbe consortes; propter Dominos meos clementissimos, Vestros apud suam Majestatem supplices intercessores, propter augustissimam Domum, quæ per tot annos, multo sanguine, auro, argentoque Vos & Christianismum contra inimicos defendit; propter Regem Vestrum Bonum, optimum, æquum, justum, clementem, qui subditos suos, Vosque omnes, ut viscera sua amat, qui pacem Vobis dare, gratiam suam dispartiri, misericordiam etiam malemeritis elargiri desiderat. Hujus optimi Regis vota pro pace, quiete & securitate Regni juvate, promovete, hac ratione fidem Vestram, quam semper habuistis præ cæteris & conservastis, constanter Domino Vestro clementissimo contra aliorum fraudes probate: hoc modo confundite inimicos Vestros, qui inscio Rege, Hungariam intoleranda & non excusanda temeritate opprimendi ac obruendi Evangelicam Religionem, ejusque liberum exercitium turbarunt & turbant. Hujus optimi Regis Clementiæ confidite, ab hoc omnia sperate potius, quam ut desperata pace, Vestra culpa fiat, ut præsens diæta, Vestro impulsu, abrumperetur: hæc Clementia Vos appellat, vel ad se vocat, omnia promittit, hæc Diætam convocavit, Palatinum dedit, plura dabit, omnesque non dubito cum gaudio domum dimittet. Hæc considerate, ponderate, examinate, placide, modeste, moderate, æquanimiter, in gratiam ejus, qui Vos ut fratres in Christo Jesu colit, qui Vobis bene & optime vult, precaturque toto animo & corde, ut Deus Optimus Maximus in Christo Jesu, Vobis Eccle-

clesiæ suæ in Hungaria membris benedicat omni benedictione in terris & in cœlis. Dabantur Sempronii, 18. Augusti, Anno 1681.

Dominorum Generalium in Fœderato Belgio ad suam Majestatem Cæsaream Ablegatus Extraordinarius

Georgius Hamel a Brunicx.

*Intitulatio.*

Illustrissimis, Spectabilibus, Generosis & egregiis, Prudentibus ac circumspectis, universis, Inclytis Regni Hungariæ Statibus & Ordinibus Evangelicis &c.

## DCLXXX.

*Responsoria STATUUM REGNI HUNGARIÆ EVANGELICORUM, ad præinsertas GEORGII HAMEL A BRUNICX, Ablegati Generalium Fœderati Belgii Ordinum in Aulam Cæsaream Extraordinarii literas, 1681.*

Excellentissime Domine, Nobis Observandissime, Colendissime.

Acceptatis, eo quo decuit honore, nuper literis Excell. Vestræ ad Nos directis, tum commendato in iis benigno affectu Dominorum Principalium suorum, Præpotentum in Fœderato Belgio Generalium Ordinum, benevoleque ejusdemmet Vestræ Excellentiæ favore causam Nostram coram sacratissima Cæsarea Regiaque Majestate

Domino, Domino Noſtro Clementisſimo promovendi, tum etiam zeloſam adhortationem ad injurias ſeponendas, præterita condonanda, pacem quærendam, gravamina mitiganda, quietemque & concordiam reſpiciendam & reducendam, aliaque ibidem fuſius expreſſa ex iisdem uberius intelleximus. Quod Præpotentum Generalium Ordinum Fœderati Belgii in calamitate miſerorum Eccleſiarum Noſtrarum Miniſtrorum, ac ſcholarum Rectorum Chriſtianam compasſionem ac eliberationem a triremibus attinet, pro eadem apud Sacratisſimam ſuam Majeſtatem Dominum, Dominum Noſtrum Clementiſſimum, efficaci interpoſitione demiſſas agimus gratias, perpetua gratæ mentis recordatione ad poſteros quoque transmiſſuri. Cæterum, Excellentiſſime Domine, ſummas, ſummeque injurioſas, quas evolutis temporibus paſſi fuimus, patimurque adhuc, innocentiſſimæ Noſtræ Religionis Evangelicæ turbationes, & eatenus compluriùm turbatorum ſibi arrogatam & hucusque continuatam univerſalem fere miſeros Evangelicos in hac patria proſequendi licentiam, qua videlicet mediante, paucisſimis exceptis, omnia templa, Parochiæ, Gymnaſia, Scholæ, Xenodochia proventusque eo pertinentes (in quorum pacifico uſu ab ipſis inſtitutæ Reformationis Evangelicæ temporibus, dum Prædeceſſores Noſtri tam ſeculares quam plures etiam Eccleſiaſticæ Perſonæ, per prædicationem verbi divini Religionem Evangelicam ſponte & libere amplexi fuiſſent, ac templa & reliqua enumerata præ manibus ipſorum, tanquam legitimorum poſſeſſorum & hæredum remanſiſ-

ſent,

ſent, conſequenterque legaliter & diplomatice numeró Nos potiores Evangelici incolæ hujus Regni perſtiteramus) via facti occupata ſunt, nonnullis ejusmodi occupatorum templorum funditus everſis, ac eorum materialibus in ſtabula & profanos uſus converſis; quaque mediante Miniſtri Evangelici & Scholarum Rectores ſub variis prætextibus omnibus facultatibus emuncti, e parochiis pulſi, capti, ac plurima cruciatuum genera ſubire coacti: Nobiles item ad imcompetens forum citati, arreſtati, bonis privati, miſeraque plebs variis damnificationibus & miſeriis afflicta & oppreſſa eſt: Hujusmodi injurias, cæteraque adverſus Evangelicam Religionem Noſtram & ejus in hoc Regno aſſeclas commiſſa contra tenorem ſacrorum Regiorum Diplomatum, contraque publicas iteratas Regni conſtitutiones ac deſuper initas pacificationes audaciſſime patrata, Suæ Sacratisſimæ Majeſtati ceu Domino & legitimo Regi Noſtro in præexhibitis Memorialibus Noſtris, uberius quidem, ſed tantum generaliter, maxima animorum Noſtrorum demisſione, uti jam præſentavimus; atque juſtam hanc publicam publicarum injuriarum & oppresſionum Noſtrarum cauſam, coram Sua Majeſtate Sacratisſima, tanquam ſupremo in terris orbis Chriſtiani juſtitiario Noſtroque Clementisſimo Rege ac æquisſimo judice humillime expoſuimus, ſecundum prælibati benigni ſui Diplomatis continentias complanandam & determinandam; ſic nequaquam volumus, nec unquam in animum induximus, hæc ipſa Religionis Noſtræ, ejusque Conſortibus illata adverſa per Nos ipſos,

aut

aut quoscunque alios aliter ulcisci: Verum ad augustissimos Suæ Majestatis Sacratissimæ pedes supplices Nos devolvendo, & eandem per viscera misericordiæ Divinæ demisse orando, quatenus ex autoritate Regia, in quam spem Nostram totam unice post Deum conjecimus, illamque pro inexpugnabili Refugii Nostri asylo habemus, Gravamina Nostra prævio modo, cum satisfactione injuriatorum, benignissime complanari, ac contravenientibus punitis, Nos in integrum restitui facere, atque in firmam & stabilem securitatem, stante adhuc præsente diæta, collocare dignetur. Atque ista via recta per toties memorata Diplomata Regia, veluti fundamentales Regni hujus leges, Nobis præmonstrata, quærimus omnino, Excellentissime Domine, pacem, desideramusque quietem reduci & communem concordiam; Nobis siquidem nihil unquam desiderabilius est & fuit, quam habere & posse semper colere pacem in afflictissima, totque adversitatibus vexata, & jam in extremo fere discrimine fluctuante hac patria. Ab hac autem via ad alium quempiam tractatum, cum parte a qua taliter offensi sumus, in eundem deflectere, videtur Nobis nec tutum, nec conducibile, nec demum stabile, prouti id Nobis experientia manifestum reddidit: namque deflexione tali ab hac regia via, non possumus infelici quorundam Prædecessorum Nostrorum exemplo edocti (quod ipsum nunc nos terret maximopere) aliquam Nobis polliceri spei Nostræ adimpletionem: Cum etiam in publicis Regni Comitiis Anni 1647. vigore sacri Diplomatis Regii 400. plus minus templa Evangelicis in

hoc

hoc Regno fuissent restituenda, ejusque temporis prædecessores Nostri ad similem tractatum condescendendo, dum postea sero animadvertentes eatenus inconsiderate se fecisse, abindeque resilire voluissent, recedere non permissi, verum eo res devenit, ut ex occupatis tot templis Evangelicorum 90. solum sint restitui promissa, nec ea tunc statim restituta & assignata, imo jam nunc etiam eadem cum aliis ferme omnibus ab Evangelicis rursum reoccupata existunt. Vult præterea contradictione sua obviare Clerus, quo minus talis accordæ tractatus nobiscum institui queat, qui citius etiam eatenus suam contradictionem admaturavit, quam Nobis Evangelicis tractandum esse, intimatum fuisset. Et sicuti idem ab initio semper prætensas suas contradictiones, contra Nos, jusque etiam Nostrum Diplomaticum obvertit, ita & nunc obverteret. Ac proinde Noster cum offensoribus Nostris eo modo ineundus tractatus, conclusorumq; & accordatorum stabilitas & securitas nequaquam speranda foret. Præmissas rationes præponderat etiam id, quod quia secum ferret amicabilis compositionis matura, debere in similibus tractatibus a summo jure recedere, Nostrum vero Jus sint, ipsa toties memorata sacra diplomata Sacratissimorum olim Principum & Regum, moderníque pientissimi Regis ac Dominorum Nostrorum Diplomata Regia, absit a Nobis ab his, vel latum unguem recedere & per præjudiciosum aliquem tractatum iisdem quicquam cum summa conscientiarum Nostrarum læsione detrahere, cum perpetua nominum Nostrorum, ob rem non dextre ge-

stam

ſtam infamia, ſucceſſorumq; Noſtrorum proſtitutæ libertatis macula. Habentes itaque etiam coram Tribunali Divino per Nos in futuro ſeculo reddendarum rationum curam, præmiſſæ juſtæ, dilectæ & legitimæ ſemitæ, velimus, nolimus, eſt Nobis inſiſtendum neceſſario. In qua nullius penitus pervicaciæ delectatione exſtimulati, ſed imperterrita gratiæ Regiæ fiducia animati procedentes, cum profunda demiſſione pulſamus fores Regiæ Clementiæ, nec a conſtanti demiſſæ ſupplicationis, & per eam obtinendæ Juſtitiæ Diplomaticæ propoſito Nos dimoveri patiemur. Juſtum, excellentiſſime Domine, & licitum per leges petimus, petimusque juſte & ſine injuria: petimus autem a juſtiſſimo Orbis Chriſtiani juſtarum cauſarum judice: petimus uti pacis aſſequendæ cupidiſſimi; petimus bonum publicæ tranquillitati & totius Regni quieti deſerviens, & confidimus juſtiſſimum eum judicem, circa poſtulata Noſtra ad intimationem olim Glorioſiſſimorum Mathiæ II. Auguſtiſſimorum, Avi & dulciſſimi Progenitoris Suæ Majeſtatis Sacratiſſimæ, hanc eandem juſtitiam Nobis injuriatis clementiſſime elargiturum & adminiſtraturum. Quoad offenſiones perſonales nobis multifarie illatas ab Excellentia Veſtra aut aliis quibuscumque cordatis magnis Viris, nolumus tales reputari, qui non facile condonare cuperemus easdem, nec unquam hactenus perpeſſarum injuriarum tam memores fuiſſemus, quin charitate quoscumque ſuperare niteremur, dummodo Nobis & Noſtratibus templa, Parochiæ, Scholæ, Gymnaſia, Xenodochia, cæteraque occupata & erepta, quæ

ex

ex toties allegatis Principiis occupare minime ulterius licuit, restituantur, ministri confessionis Nostræ ad priora Parochiarum, Scholarum & Gymnasiorum loca, abolitis hinc inde extortis ab iisdem præjudiciosis Reversalibus, admittantur; verbo in eum liberi exercitii Religionis Nostræ statum, quo antecedentibus & notanter ipso anno 1647. constituti fuissemus, asseramur articulis etiam ejusdem anni hoc in passu firmati. Qua justa & constanti Nostra petitione Divinam humanamque Majestates nequaquam offendimus, cum Majestaticæ ipsorum autoritati nihil quippe & ne in minimo quidem derogatorium cum omni animorum Nostrorum subjectione suppliciter expetamus, nec in charitatem erga proximum quidquam delinquamus, nostra non aliena repetentes nec alienationi animorum & dissensioni obnoxia, imo ad unionem & fraternam Dilectionem coalescendam deservientia effectuari desideramus, modeste ac placide agentes, ac quo demissius & suavius fieri potest, justam Nostram instantiam coram Cæsarea Regiaque Majestate, coram Excellentissimis Aulæ Cæsareæ Dominis Ministris, coram summis hujus Regni columnis; tanquam oculis Orbis Christiani, cæterisque Dominis Statibus & Ordinibus, fratribus proximis & commembris Nostris hicce constitutis; attendentes hoc & non aliud esse officii etiam & fidelitatis Nostræ, qua erga suam Majestatem Sacratissimam, uti Dominum & Regem Nostrum, nosmet in perpetuum devovimus.

Et hæc sunt, quæ Excellentiæ Vestræ condecenti honore ac debita officiorum Nostrorum commenda-

mendatione rescribenda habuimus permansuri semper

Ejusdem Excellentiæ Vestræ

*Data Sempronii die 30. Mensis Augusti, Anno Domini 1681.*

*Amici & Servitores paratissimi*

Statuum & Ordinum Inclyti Regni Hungariæ Evangelicorum ad præsentem Diætam Ablegati Nuncii.

## DCLXXXI.

*Literæ STATUUM SAC. ROM. IMPERII, ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem, quibus ab eo, ut qua polleret Mediatoris autoritate Pacis Neomagensis leges ab iniqua Gallicorum Interpretum expositione vindicans, tractatus Francofurti ad Mœnum institutos promovere haud dedignetur, obnixe efflagitant, 1681.*

Serenissime ac Potentissime Rex, Domine Clementissime.

ETsi Regiæ Majestatis Vestræ sincerus animi affectus erga Romani Imperii Status nec non amplissima pro tranquillitate publica tam indefesse adhibita studia multis jam comprobata sint exemplis, renovata tamen per responsum in Palatio suo de Witehall 18. Octobris nuper datum, eaque, qua debetur veneratione 1. sequentis Martii acceptum, nunc

nunc illuſtriora videntur, ſingulari ſane ſolatii ſenſu ex iisdem intelleximus, quod Regia Majeſtas Veſtra omnem operam ſuam ulterius adhibitura ſit, ne ſcilicet Pax illa generalis mediatoriis ſuis officiis ſancita & reſtaurata novis controverſiis, Imperium inter & Coronam Galliæ recens obortis debilitetur, Pactaque Noviomagenſia Weſtphalicis conventis innixa ullo modo violentur. Et quemadmodum hunc Regiæ Majeſtatis Veſtræ zelum pro totius Europæ Pace & Patriæ Noſtræ ſalute tam conſtanter vigente, eumque in finem oblatam Guarantiam, Electores Principes, & Status Imperii ſumma gratiarum actione merito complectimur; ſic muneris Noſtri & debiti eſſe duximus, Reg. Majeſtatem Veſtram per copias reſponſoriarum hic appoſitas reddere certiorem, quid Rex Chriſtianiſſimus ex arce ſua Verſalienſi 10. Octobr. anni ſuperioris ad literas, dictorum Statuum nomine perſcriptas, reſpondit, quidque per hos, pro rerum exigentia & manifeſta cauſæ Imperii juſtitia regeſtum eſt, certo confidentes fore, ut hæc apud omnes a partium ſtudio alienos uberrimum inveniant aſſenſum, & Pax, ſuffragante Deo, ſub Regiæ Majeſtatis Veſtræ pollente autoritate & guarantia reali perpetuo conſervetur & floreat, eoque ipſo amicabilis Francofurti ad Mœnum inter Sacram Cæſaream Majeſtatem & Imperium, Galliamque inſtitutus congreſſus tanto feliciorem ſortiatur effectum. Cui omne Regiæ felicitatis incrementum apprecantes, Eandem quam diutiſſime incolumem vovemus. Dabantur Ratisbonæ 22. Auguſti Anno 1681.

DCLXXXII.

*Literæ credentiales, quas Carolus II. Magnæ Britanniæ Rex, Bevill Skeltono, Ablegato suo extraordinario, ad Georgium Wilhelmum, Ducem Brunsvico-Luneburgensem dedit, 1681.*

Carolus secundus Dei Gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei Defensor &c. Serenissimo & Celsissimo Principi Domino, Georgio Wilhelmo, Duci Brunsuicensium & Luneburgensium, Consanguineo & Amico Nostro Charissimo salutem.

*Serenissime & Celsissime Princeps, Consanguinee & Amice Charissime.*

TAmetsi Nobis Ablegatum Nostrum apud Vos Extraordinarium Gabrielem Sylvium, Equitem Auratum, revocare placuerit, perspecto tamen, quo estis animo, ad eas omnes rationes ineundas, quæ conservandæ Christiani Orbis quieti opportunæ videantur, non omittere voluimus, quin studium Nostrum in publicam tranquillitatem pariter declaremus, ea amplectendo consilia, quæ in tam salutarem finem maxime cedant. Elegimus itaque Dilectum & Fidelem Nostrum Bevillum Skelton, armigerum Nobis a Cubiculis intimis, qui ablegati Nostri Extraordinarii munere in Aula Vestra defungatur, utpote virum, de cujus in res Nostras fide & observantia abunde Nobis constat, quemque etiam ob plurimum in Germanicis rebus usum & insignes animi dotes, qui demandatam sibi Provinciam obeat ornetque, undequaque dignum

gnum fore confidimus. Celsitudinem proinde Vestram rogandam duximus, ut eundem dicto charactere instructum amice excipere, benigne audire, & plenam in omnibus fidem adhibere velit, quæ nostro nomine aut in commune Terrarum Nostrarum commodum exponat. Cumque in subditorum Nostrorum commodum Nobis visum est eundem Bevillum Skelton munere Ablegati Nostri Extraordinarii ad Civitates Hanseaticas in Regionum Vestrarum confinio prope sitas, etiam munire: Id a Vobis rogatum voluimus, ut ipsius a Vestra aula absentiam excusatam tantisper haberetis, dum rebus Nostris ita postulantibus Hamburgi identidem agere necessum habuerit, ea tamen ratione, ut quoties cum eo de rerum invicem nostrarum statu communicare Vobis consultum fuerit, Is, prout ipsi præcepimus, ad vos reliquis omnibus negotiis posthabitis se conferat, nullam enim occasionem libentes elabi sinemus, qua vos certiores faciamus, Nos nihil magis in votis habere, quam firmam amicitiam bonamque correspondentiam vobiscum colere, ejusdemque tam solida fundamenta ponere, quæ omnino diuturnam imo perpetuam reddant. Dabantur in Palatio Nostro de Whitehall vigesimo tertio die Octobris Anno Dn. 1681. Regnique Nostri tricesimo tertio.

Celsitudinis Vestræ

*Bonus consanguineus*

CAROLUS Rex.

Conway.

*Inscriptio.*

Serenissimo & Celsissimo Principi, Domino Georgio Wilhelmo, Duci Brunsuicensium & Luneburgensium, Consanguineo & Amico Nostro Charissimo.

## DCLXXXIII.

*Responsoria* GEORGII WILHELMI, *Ducis Brunsuico-Luneburgensis, ad praecedentes* CAROLI II. *Magnae Britanniae Regis credentiales,* 1681.

## Serenissime atque Potentissime Rex.

Quae a Regia Majestate Vestra paucis abhinc diebus, ad Nos venere literae, & curarum pro salute publica continuationem, & benevolentiae erga Nos constantiam nunciantes, gratissimae Nobis exstiterunt. Nos vero, sicut judicium & consilia Regiae Majestatis Vestrae noscere ac sequi in praecipuo semper habuimus negotio, ita sane ejusdem Ablegatum Extraord. Gabrielem Sylvium, Equitem auratum, prono maxime animo excepissemus, si Regiae Majestati Vestrae illum, Ablegati Extraordinarii munere decoratum, ad Nos rursus mittere placuisset; quippe qui ob ingenium, prudentiam, rerum gerendarum dexteritatem, & ceteras Legatione nupera comprobatas virtutes, nobis est charissimus. Sed quoniam Regiae Majestati Vestrae hac vice aliud visum, merito Ejus voluntati acquiescimus: Confirmantes interim, nihil nobis Domuique Nostrae fore acceptius, quam com-

communicatis porro conjunctisque cum Regia Majestate Vestra rationibus, ea dispicere media, quæ conservandæ communi tranquillitati atque securitati convenire possint & sufficere. Neque profecto ulli dubitamus, quin Regia Majestas Vestra Pacem quietemque universalem, cujus sponsor est, eodem tueri velit zelo studioque, quo illam, cum æterna Nominis Sui gloria, procuravit atque constituit. Cui Regia cura dignissimo proposito, ut annuat Numen cœleste, omnique bonorum genere Majestatem Vestram cumulet, animitus precamur, Nostraque officia quavis occasione promtissima pollicemur. Dab. in arce nostra, quæ est Epstorffii, die 3. Nov. Anni 1681.

Georgius Wilhelmus.

## DCLXXXIV.

*Literæ LEOPOLDI, Rom. Imperatoris, ad CARDINALEM PIO, Germaniæ Comprotectorem, qubus ipsi controversiam inter Capitulum Wormatiense & Hermannum Lotharium ab Auwachgliscentem, commendat, 1681.*

**Leopoldus divina favente Clementia &c. &c.**

*Reverendissime in Christo Pater, Amice Charissime.*

IN adjecta hic informatione Reverendissimam Paternitatem Vestram denuo haud celandam, venit, quid novæ causæ, ex defectu sufficientis Nobili-

 bili-

bilitatis, capitulo etiam Cathedrali Wormatiensi cum Canonico ejusdem Ecclesiæ, Hermanno Lothario ab Auwach (quem comperto eo defectu a Choro & Capitulo suspendit) ab aliquot jam annis intercedat: & quemadmodum nunc in Curia, antequam sufficienter instructa, aut hinc inde eidem sumissum esset, ab Auditore Cameræ Apostolicæ, contra memoratum Capitulum, per executiones, monitoria, fulminaque & censuras procedatur, eo graviori, cum reliquarum ejusmodi fundationum Imperialium, tum præsertim rei catholicæ, circa dictam Ecclesiam Wormatiensem plus nimis depressæ sensu, quod ad incitas quasi redactæ, hoc etiam præjudicium contra inveterata sua, ac quiete huc perducta statuta & observata, inde intentetur, unde præcipuam illorum manutentionem ac conservationem Germania tota merito expectat: Sane cum nostra hac in parte intercessionis officia dictum capitulum sollicite requirat, pro ratione muneris nostri Imperatorii, qua Ordinum Statuumque Imperii ac præsertim Ecclesiasticorum jura, privilegiaque ac statuta antiqua protegere, ac conservare Nobis incumbit, non possumus, quin id concreditum in his reverendissimæ paternæ Vestræ protectionis munus fiducialiter excitemus, & sicuti proinde in appositis hisce literis Nostris, quarum copia etiam adjacet, ad Sanctitatem suam super negotio hoc in Pat. Vestram credimus, ita eandem benevole hisce requirimus, ut dictis literis Sanctitati Suæ reverenter exhibitis, repræsentationis ac officiorum suorum vim eo efficaciter intendat, ut quousque se ple-

plenius in ipsis partibus super causam informandam curavit, memoratum capitulum per prætacta fulmina & executiones ad tantum sibi totique Germaniæ præjudicium ineundum adigi haud patiatur, quin potius iisdem adhuc, cum omni causa atque attentato revocatis, suo ad tractum Rheni Nuncio Apostolico causam propius inspiciendam, & de jure, (ut quod idem capitulum unice flagitat) examinandam committere velit: Prout Sanctitatem suam pro paterna sua in nos & universam Nationem Germanicam propensione haud illibenter facturam confidimus. Nos quod reliquum est Paternitati Vestræ reverendissimæ affectum benevolentiæ gratiæque nostræ Cæsareæ amice confirmamus. Datum Sopronii, die 14. Novemb. Anno 1681.

## DCLXXXV.

*Literæ QUORUNDAM ABLEGATORUM STATUS PER HUNGARIAM EVANGELICI, ad HERMANNUM, Marchionem Badensem, quibus ipsi nullum jam consultationibus, ob absentiam plurium Legatorum, locum esse reliquum, referunt, 1681.*

Serenissime Princeps & Domine, Domine Gratiosissime.

SErvitiorum Nostrorum humillimam commendationem. Postquam hodierna die Vestra Serenitas medio Generosi Domini Georgii Gerhard, pro ea, qua erga Nos fertur gratia, quædam Nobis insinuasset, quæ accommodationi negotii afflictis-

ctissimæ Nostræ Religionis deservirent; Ejusmodi gratioso Vestræ Serenitatis affectu perquam magni æstimato, nos, qui adhuc hic existentes confluere potuimus, (quandoquidem complures ob defectum sumptuum discessere) omnimode laboravimus in eo, quo tum debitum Nostrum erga suam sacratissimam Majestatem, Dominum, Dominum Nostrum Clementissimum, fidelitatis homagium, tum vero obsequiosum Nostrum in Vestram Serenitatem affectum declarare, & aliquam satisfactionem Serenitati Vestræ dari posse, prout medio certorum Nostrorum Nunciorum Vestræ Serenitati humillime intimavimus, quod Nos re exactius pensiculata, si aliquem medium terminum adinvenire poterimus, quo & gratiosam Serenitatis Vestræ intentionem secundare, & coram Principalibus Nostris actorum sufficientem rationem reddere valeamus, non intermittemus, quin prævia apud Serenitatem Vestram insinuatione, apud Dominum Nostrum clementissimum, etiam Viennæ demissam Nostram instantiam simus deposituri.

Verum cum negotium consultando aggrederemur, ac interea nuncii a Vestra Serenitate redirent, referrentque Vestram Serenitatem, nescimus cujus Decreti vel Patentis, ne scil. securitatem Nobis in negotio Religionis promitteremus, mentionem fecisse, illico turbati & ita perplexi facti sumus, ut non videamus, ad quid Nosmet resolvere debeamus; præsertim, cum jam pauci Nostrum hic sint, ac proinde de eo, quod totum statum Evangelicum concernit, per nonnullos nihil tractari, aut concludi possit. Vestram proinde Serenitatem

tem humillime rogamus, dignetur hanc Noſtram rationabilem excuſationem gratioſe admittere, & Nos ulterius quoque ſolita ſua gratia complecti. Nulli dubitantes Principales Noſtros facta coram iisdem ſuper gratioſo Veſtræ Serenitatis affectu relatione, magni æſtimaturos, & humillimum in omnibus occurrentiis ad Veſtram Serenitatem recurſum, facturos. Veſtræ Serenitatis gratiæ & per eandem innatæ Pietati & Clementiæ Domini, Domini Noſtri Clementisſimi (in cujus fidelitate vivere & mori optamus) nos in omne tempus commendantes, & Veſtram Serenitatem diu feliciterque in totius Chriſtianitatis emolumentum vivere exoptantes. Datum Sopronii, die 30. Decembris, Anno 1681.

Serenitatis Veſtræ

*humillimi Servitores*

**Nonnulli Ablegati Status Evangelici Regni Hungariæ.**

## DCLXXXVI.

*Litera CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad JOHANNEM GEORGIUM III. Saxoniæ Electorem, quibus eum impenſe hortatur, ut omnem lapidem moveat, quo minus Rex Daniæ telonium in Albi fluvio erigere posſit, 168$\frac{1}{2}$.*

**Carolus II. Dei Gratia, Magnæ Britanniæ,** Franciæ & Hiberniæ Rex &c. Fidei Defenſor &c. Sereniſſimo & Celſiſſimo Principi, Domino Johanni

 ni

ni Georgio III. Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Duci, Sacri Romani Imperii Archimarescallo & Principi Electori &c. Consanguineo, Affini & Fratri Nostro Charissimo salutem.

*Serenissime, & Celsissime Princeps, Consanguinee, Affinis & Frater Charissime.*

Literas ante aliquot annos ad Celsitudinis Vestræ Electoralis Patrem scripsimus de telonio quodam, quod Serenissimus Daniæ Rex tunc temporis in Albi flumine erigere satagebat, fusius eidem exponentes, quanta tam Sacri Romani Imperii, quam subditorum Nostrorum commercio afferret incommoda, atque adeo Ipsum enixe rogavimus, ut seria illa de re habita deliberatione, dicti telonii erectioni obviam iret, utpote impositioni novæ & publico commodo quam maxime damnosæ. Nec nisi læti deinceps intelleximus, literas Nostras & gravis, quod exinde fieret, detrimenti rationem tantum apud Ipsum valuisse, ut adhibita ad id consequendum studia sperato interea successu caruerint. Non minor autem doloris causa est, Eundem Regem, ut Nobis fertur, officiis suis apud Celsitudinem Vestram Electoralem & Imperii Ordines (quibus hujusmodi rerum decisio competit) ejusdem vectigalis in dicto fluvio exactionem denuo moliri; Cui quidem, ut præcaveatur, easdem instantias removendas rationesque Celsitudini Vestræ Electorali proponendas hisce duximus; quanta scilicet Sacrum Romanum Imperium damna patere

teretur, si istarum Regionum commercium tam gravi onere premeretur, quippe quod non modo mercaturam, quam subditi Nostri per tot retro annos in Germania exercuerunt, haud paululum labefactabit, verum etiam in causa erit, cur eorundem mercimonia majori, quam antea, pretio veniant, & commercium illud magna ex parte aliorsum divertatur, quod plane multo facilius anteverti quam deinceps restaurari potest. Sperare tamen malumus, ut tanti, quod hinc exorietur, damni momentum & repetita idcirco apud Celsitudinem Vestram Electoralem postulata (quæ simul apud Cæsaream suam Majestatem, cujus etiam tam maxime interest, adhibuimus) Ipsum denique permovebunt, ut perficiat, ne prædicto Regi spes ulla detur, vota sua ad felicem exitum perducendi, verum ipsius omnes in hac re conatus repudientur, atque irriti reddantur, quippe qui non minus publico Sacri Romani Imperii commodo nocent, quam subditorum Nostrorum commercio adversantur; quod certe quantum ad Nos attinet, ubicunque occasio feret, gratissime agnoscemus. Quod superest, Celsitudinem Vestram Electoralem Dei Optimi Maximi tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Palatio Nostro de Whitehall, 27. die Januarii, Anno Domini 168$\frac{1}{2}$. Regnique Nostri 33.

Celsitudinis Vestræ Electoralis

*Bonus Frater & Consanguineus*

CAROLUS REX.

Corvarii.

DCLXXXVII.

## DCLXXXVII.

*Litera LEOPOLDI, Roman. Imperatoris, ad CAROLUM II. Hispaniarum Regem, a quo amice contendit, ut Ordinis Teutonici in Burgundia Commendatori Privilegia ab antecessoribus suis concessa gratiose confirmare dignetur, 1682.*

Leopoldus, divina favente Clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus &c. Serenissimo ac Potentissimo Principi, Dom. Carolo II. Hispaniarum, utriusq; Siciliæ, Hierusalem Regi Catholico, Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ, Nepoti, Affini & Fratri Nostro Charissimo, salutem ac mutuæ benevolentiæ, omnisque felicitatis continuum ac perpetuum incrementum.

*Serenissime ac Potentissime Princeps, Nepos, Affinis ac Frater Charissime.*

QUantumvis Serenitati Vestræ sincerum atque indefessum devotionis studium, quo inclytus Ordo Teutonicus communem Domum Nostram Austriacam, unde jam plures veneratus est Magistros, hucusque semper enixe coluit, jam tum adeo notum esse sciamus, ut nulli dubitemus, quin Serenitas Vestra, pro reciproco suo erga illum benignitatis gratiæque affectu, eidem quicquid ex æquo postulaverit, suapteque sponte absque ulla interpellatione nostra, clementer sit concessura, nihilo tamen minus cum modernus Magni ejusdem Ordinis

dinis Administrator, venerabilis Joannes Casparus, tantam in Patrocinum nostrum collocarit fiduciam, ut si suorum desideria suffragiis atque intercessionalibus nostris concomitemur, effectum eo certius obtentum iri sibi firmiter promittat; Nos sane pro paterno, quo Nostros Sacrique Imperii Vasallos, atque hunc imprimis Ordinem, amplectimur, gratiæ affectu non potuimus non prodesse, ac ipse de nobis Domoque nostra communi multis argumentis optime meretur, Serenitatem Vestram hisce fraterne atque impense requirere, ut, cum Ordinis ejusdem & B. — de veteribus junctis seu A. — Commendator Provincialis fidelis nobis dilectus E. — de B. — quorundam privilegiorum, Exemptionum ac Immunitatum a Serenitatis Vestræ Majoribus ac Prædecessoribus Burgundiæ Ducibus dictæ Commendæ suæ Majori A. — jam a Seculis concessorum confirmationem sit exoraturus, Serenitas Vestra eundem benigne exaudire, desideratæ privilegiorum confirmationi facile clementerque annuere non gravetur, utpote quo non solum inclytum hunc Ordinem Domui nostræ Austriacæ magis magisque devincierit, sed nobis etiam rem fecerit quam gratissimam. Qui vicissim Serenitati Vestræ quavis occasione grata quævis offerimus ac eidem affectum fratris & affinis amantissimi confirmando Serenitatem Vestram prosperrimo rerum eventu gaudere volumus. Datum Laxenburgi vigesima octava Mensis Junii Anno Domini 1682.

DCLXXXVIII.

DCLXXXVIII.

*Literæ credentiales, quas GEORGIUS WILHELMUS, Dux Brunſuico-Luneburgenſis, Baroni Schüzio, Ablegato ſuo Extraordinario, ad LUDOVICUM XIV. Galliarum Regem, tradidit, 1682.*

Sereniſſime atque Potentiſſime Rex, Domine Conſanguinee plurimum colende.

LIteræ, quibus Regia Majeſtas Veſtra gaudium ſuum e proſpera principis Nepotis, nativitate, impertitum Nobis voluit, ſingulari Nos perfuderunt voluptate. Nam & conſtantis erga Nos benevolentiæ luculenta hæc teſtificatio eſt, & res ipſa, quæ nunciatur, magnopere ad florentiſſimi Regni Gallici & communem ſalutem pertinet. Nos vero pro eo quo Regiam Majeſtatem Veſtram proſequimur ſtudio atq; cultu præſentium portatori Baroni Schüzio,in mandatis dedimus,Majeſtatem Veſtram protinus ut adiret,atque de nova iſthac felicitatis acceſſione Noſtro nomine gratularetur. Quem Extraordinarium Ablegatum noſtrum,ut eodem, quo antehac alios Miniſtros noſtros favore ac benignitate exipiat Veſtra Regia Majeſtas, Illique in iis,quæ proponet, fidem habeat, rogamus: De cetero ſicut unice Nobis in votis eſt, ut tot hactenus declarata documentis Regiæ Majeſtatis Veſtræ in Nos Domumque Noſtram propenſa voluntas, ſit perpetua; ita ſane omnem dabimus operam, ut eandem quovis officiorum genere demereamur. Deus vitam,valetudinem atque incolumitatem Regiæ

giæ Majeſtatis Veſtræ conſervet Regiæque Domus felicitatem æternum ſtabiliat. Dabantur in aula Noſtra, quæ eſt Cellis, die 26. Auguſt. ſtyl. vet. 1682.

Georgius Wilhelmus.

## DCLXXXIX.

*Literæ* JOHANNIS *III. Poloniæ Regis, ad* SENATOREM QUENDAM REGNI POLONIÆ, *cui comitia proxime indicandi ſibi propoſitum eſſe refert, ac ut, quid in iis proponendum ſtatuendumve putet, candide ſecum communicet, clementer injungit, 1682.*

Johannes Tertius &c.

MAgnifice, ſincere nobis dilecte. Quamvis poſt Comitia, irrito proh dolor! eventu diſſoluta nondum integrum effluxerit biennium, neque in legibus & ſtatutis Patriis, expreſſe definitum ſit, utrum biennale inter bina Comitia interſtitium a Comitiorum principio, an ab eorundem fine metiendum ſit, quicquid intereſſet Reipublicæ, ingruente jam hyeme, ad Comitiales conſultationes non accedere, priusquam veris proxime venturi expeditio, poſtremas Aulæ Ottomannicæ, quæ adhuc in abſcondito latent deſtinationes, in apricum produxerit, armaque contra Cæſarem in Hungaria ſumpta, aut Pacem Provinciis emptam, aut bellum glorioſæ Aulæ Viennenſi extorſerit. Attamen cum periculoſum ſit, negligere aut prætermittere momenta rerum gerendarum, præcipue hoc tempore, dum tot, ac tantæ rerum viciſſitudines obtingant, quas leviter in noviſſi-

vissimis Circulatoriis ad totum Ordinem Senatorium expeditis, attigimus, nec in responsis exiguo numero datis, plenam reportavimus resolutionem. Ideoque nihil quidquam moribus & legibus patriæ derogare volentes, decernimus, omnes moderni Status Reipublicæ circumstantias, ad Portam generalium consiliorum Comitialium, opportune dirigendas & obliquanda vela, cum tempestas jubet. Ex parte quidem nostra quicquid ab hominibus præstari potest, securitati publicæ impendimus. Egimus hic excubias tanquam in specula, integrum fere biennium trutinantes momenta rerum, utique in ista Vicinia Aulæ Ottomannicæ propositum, utrum ad dirimendos Ukraniæ limites sese accingere, an vero promissam Hungariæ protectionem in effectum deducere maluerit. Quam cum tandem præsenti armorum subsistentia susceperit, ea, qua par est, circumspectione, vigilavimus, & adhuc defixis intuemur oculis expeditionem istam, qualem sortitura sit exitum, sollicite præstolantes, sustinuimus crebras Principis Scytharum Krimensium impetitiones, quamvis, sub mitiori legationum nomine, quibus debita ipsi donativa non sine comminatione postulabantur, nos vero multifariam ipsum demulcendo, operam dedimus, ut sarta tecta conservaretur mutua amicitia, quamvis non solutis, quæ ab aliquot annis restant, stipendiis. Diventilavimus quoque aulæ Moscoviticæ inclinationem, omnesque imaginariæ armorum conjunctionis fallacias penetravimus, sed & nunc recentissime percepimus, quomodo duplicatum Illius Imperii caput, nostris sum

um

um in commodum abutatur propositionibus, usque adeo nec minima quidem momenta rerum gerendarum omisimus, quin potius data quacunque occasione, vigilem in hanc illamque partem versavimus animum, missis passim pro certiore rerum indagatione viris expeditis & ad tractanda negotia aptis. Neque dum hæc agimus, sumptibus & impensis nostris, inopiæ thesauri subveniendo, hunc in diem usque parcimus; quippe ultro occupantes tempus & occasionem promovendi emolumenti publici; Præterea nec domesticas magni Ducatus Lithuaniæ differentias, quæ publica possent facessere negotia, per oblivionem transmisimus, quin potius eas nostra autoritate, deputatis ad id Viris eximiis, composuimus, serioque nonnullos, qui nobis adfuerunt, Senatores, adhortati sumus, ut sepositis partium studiis, omnes materias, cursum consiliorum publicorum sufflaminantes, quam efficacissime complanarent. Id quod etiam in recentibus literis nostris ad Commissionem Grodnensem datis, intimavimus, eidem stimulum addendo & calcar, ad res pro salute universa alacriter gerendas. Quid multa? Dum Moldaviæ omni ex parte consultum imus, inter res turbidas, etiam jam in Comitatu Scepusiensi apertum in discrimen erupturas, conatibus nostris adfuit supremus rerum humanarum arbiter. Pronus & in melius gaudens convertere vota. Jam vero & nova rerum facies in Moscovia, nostris se ingerit oculis, occasionemque præbet, aut sperata renovandi vota, aut spe omni abjecta sibi consulendi, inque memoriam, quæ sua sunt revocandi, &

ceptum in Hungaria bellum eousque jam progressum videtur, uti nec Provinciarum avulsione, nec tributario regni Hungariæ Vasallagio extingui, mitigarive possit; Viennæ vero tacita ad minimum nondum coalitæ conjunctionis desideria, modo has, modo illas, intentæ pro bono publico sollicitudini insinuant propositiones. Adhæc Ucrania subditione & indulgentia Turcica, magno gentium confluxu, iterum vacuas implet sedes, novasque nobis excitat curas, congesta rursus Provincia quidnam sentiet anxiosus? denique præter continuas querelas assidue a Bassa Camenecensi & Aula Constantinopolitana ad nos perferunt, de extraditione captivorum, quos partim per nullam possibilem rationem investigare hactenus potuimus, partim a privatis nonnullis manumitti debeant, expostulationes, subinde admixtis gravissimis super violatione pactorum comminationibus, satisque crudis & enormibus exprobrationibus, quod nulla penitus commiseratione ducamur, ad mutuam captivorum eliberationem, recenter quoque a generoso Residente nostro duplicibus literis de dato 18. Augúst. per Venetias & Viennam ad nos perlatis, certiores facti sumus, Portam Ottomannicam, post extortas ab Aula Viennensi quasvis pacis conditiones bellicum armorum apparatum, aut adversus Dalmatiam, aut (quod superi avertant) Dominia nostra expedituram, quem in casum forte Ucraniæ dislimitatio, quæ in occasionem hactenus dilata fuit, rursus a Porta erumpet, maxime cum nuper quidam Kanicky (quem Palatinus Walachiæ publico Turcarum nomine pro Tribuno Bia-

lacer-

lacerkiovensi fratremque ejus quondam Castellanum Cracoviensem pro Karsunensi proclamavit, constituitque) primus omnium Sicniacum & Kalisnum, municipia fortalitio Bialacercievinsi per pacta nobis una cum attinentiis concesso, incorporata eoque jam ab antiquo spectantia in partem Turcicam pertrahere ausus, in manus præsidii Bialocercievinsi Præfecti inciderit, ac pro meliori custodia ad castra exercitus nostri, ac Reipublicæ missus sit; Posito autem, quod bellum Turcicum sedem suam in ipsa tandem Hungaria habiturum sit, militum tamen excursionibus, quæ per Moraviam & Silesiam contingere possunt, haud vanum provinciis nostris, illic ad confinia sitis metum incuti possent. Hæ igitur omnes sat arduæ considerationes, quæ veluti inducias providæ curæ & vigilantiæ nostræ denunciare & pleniorem Reipubl. poscere consessum videntur, præcipue cum tempus labentis biennii ad terminum in lege publica præfixum decurrat, officii nos admonent, utque profundiores sensus nostros circa præsentem rerum statum, usq; ad proxime futura suspendamus Comitia, ibiq; postquam fortunam universi boni sospitem universis reddiderimus, Reipubl. integrum de Securitate sua judicium permittamus. Requirimus itaque Sententiam Sinceritatis Vestræ & consilium a matura ejusdem prudentia præstolamur, serius ne an ocyus prædicta Comitia indicenda sint, quid consultationi publicæ proponendum, quibus punctis conventus tuto Comitiales informandi, quomodo instructiones formandæ, & utrum expediat, in iis diserte exprimere, si quid arcani circumspecta

Sinceritatis Vestræ sagacitas suggereret, denique quid statuendum sit, circa illum Kuniky perjurium pactorum violatorem, dimittendusne an restituendus in custodiam sit, & tanquam transgressor pactorum puniendus. Ad ista omnia maturum Sinceritatis Vestræ responsum expectans, prosperam eidem a propitio Numine incolumitatem exoptamus. Dat. 30. Sept. 1682.

*Nota.* Pari ratione ad reliquos etiam Senatores Regni Pol. scriptum fuit.

# SUPPLEMENTA AD PARTEM SECUNDAM.

## (I.)

*Litera CONSILII STATUS TYCHOPOLIENSIS, ad FRIDERICUM III. Daniæ Regem, cui submisse & sincere suadent, ut, abruptis, quam a Svecis accipere contenderet, Pacis tractatibus, enormem Provinciarum suarum jacturam anteversurus, inter extrema fœderatorum suorum auxilia expectet, 1658.*

Serenissime ac Potentissime Rex, Domine clementissime.

Regiam Vestram Majestatem pro humillima fide, devotione ac obedientia Nostra, ex vere perturbato animo celare non possumus, qua ratione Gottorpio & aliunde periculosa plane nuncia Lubecam & Hamburgum perferantur, scilicet Regis Sveciæ exercitum in ipsam usque Sialandiam pene-

penetrasse, & Vestram Regiam Majestatem, ut & Dominos Regni Senatores ad iniquissimæ pacis conditiones ineundas cogere velle, imo ferme approbatas illas esse & conclusas, quarum vigore Vestra Regia Majestas totas Provincias Scaniam & Bleckingiam, cum parte classis bellicæ, bis mille equites & totidem pedites ex exercitu suo, ingentem pecuniæ summam, Insulam Bornholmiam & Præfecturam Nidrosiensem in Norwegia cedere, & insuper, quod palmarium est, Fœdus offensivum & defensivum cum Svecis inire vellet. Equidem hisce nunciis plenariam fidem adhibere non possumus, nec in animum Nostrum inducere, Svecos, siquidem rem isthanc serio agunt, & cum Vestra Regia Majestate Regnoque Daniæ duraturam pacem ferire volunt, iniquis adeo conditionibus, nullum constans ac firmum vinculum nectentibus, illam suffulturos & fundaturos, nec dubitamus, Vestram Regiam Majestatem una cum Dominis Regni Senatoribus, quippe quorum res præcipue hic agitur, pro exquisitissima illa vere Regia & singulari prudentia, vel sine nostra admonitione omnia momenta ista accuratissime libraturam: Attamen, quam Maj. Vestræ Regiæ juravimus, fides nos instigat, ut præprimis ratione horum Ducatuum, quos natura, situs & prisca Unionis pacta & necessitudo cum Vestræ Majestatis Regnis tam arcte invicem colligarunt, ut ab illorum prospero & infelici statu, horum salus & infortunium dependeat, & utramque fortunam ex æquo communem experiantur, simus solliciti. Unde spe devotissima erigimur, Vestram Regiam Maje-

ſtatem noſtram hancce fideliſſimam curam, pro indulgentia ſua non ſiniſtre interpretaturam. Quod ſi enim, ut fama fert, tota Scania amittitur, Veſtra Regia Majeſtas, quando Haffniæ e feneſtra proſpicit, infeſtos ſuos & infauſtos vicinos, qui natura hoſtes ſunt, & in pace quoque tales permanent, oculis oberrantes habebit & perpetuis periculis obnoxia erit: dimidium littus freti Oreſundici ipſorum jurisdictioni ſubjectum eſſet, & Veſtræ Regiæ Majeſtati liberam in eo diſpoſitionem ægerrime permitterent. Ut alia, quæ cedenda forent, prætereamus, ſane fœdus illud offenſivum & defenſivum perpetuum, nobis videtur eſſe omnium graviſſimum. Quod ſi enim res ita ſe habet, neceſſe erit ut Veſtra Regia Majeſtas 1. Hollandos & omnes alios Fœderatos derelinquat. 2. Illos omnes ſibi hoſtes & infenſos reddat. 3. Eorundem jam, ut certo perhibetur, 78. 75. 68. 62. 78. 67. 83. 45. 64. 78. 73. 42. 69. 63. 99. 65. 94. 88. 42. 77. 44. 59. 93. 57. 77. 51. 85. 45. 69. 18. 41. 73. 55. 59. 55. 91. 44. 58. 41. 88. 83. 32. 99. 33. 83. 91. 41. 94. 77. 45. 54. 89. 77. 64. 77. 91. 85. 48. 59. 44. 31. 41. 99. 76. 73. 45. 54. 78. 51. 91. 41. 40. in ſuis regionibus ut hoſtes & extrema hoſtilia omnia expectet. 4. 59. 41. 93. 78. 85. 54. 85. 45. 99. 88. 21. 76. 68. 83. 77. 54. 96. 31. 62. 78. 45. 93. 83. 96. 58. 85. 33. 96. 77. 93. 79. 58. 45. 75. 89. 61. 86. 91. 93. 41. 75. 62. 83. 97. 66. 66. 65. 94. 63. 53. 83. 56. 77. 42. 85. 44. 94. 45. 78. 66. 54. 83. 99. 54. 66. 75. 85. 76. 59. 93. 85. 76. 41. 59. 93. 85. 76.

58.

58. 62. 93. 88. 33. 76. 89. 93. 43. 44. 85. 76. 44. 78. 45. 83. 76. 55. 43. 65. 67. 83. 44. 45. 76. 96. 41. 73. 52. 67. 52. 89. 44. 93. 62. 93. 44. 67. 91. 45. 42. 51. 91. 43. 44. 85. 45. 78. vel ſecundum propria principia nunquam ſine bello eſſet, ſi ſe illis obſtringeret & velut 98. 75. 43. 44. 85. 44. 76. 75. 45. 85. 85. 44. 89. 41. 79. 85. 33. 53. 93. 55. 43. 85. 45. 78. 59. 65. 79. 85. 41. 58. 93. 85. 68. 66. 44. 54. 85. 59. 41. 55. 43. 86. 77. 41. 75. 78. 55. 42. 68. 53. 94. 75. 65. 96. 85. 93. 42. 85. 45. 68. 62. 76. 83. 55. 43. 85. 45. 66. 76. 58. 5. Neceſſe erit, ut cum iis omnium hoſtis fiat, lucrum illis ſolis concedat, damnum autem & ſumptus cum iis feret & communes habeat. Hæ & plures præterea aliæ cauſæ movent Nos, ut credere nequeamus Veſtram Regiam Majeſtatem intolerabiles adeo conditiones, per quas Regnis ſuis ac Provinciis nullam pacem, ſed, perpetuam materiam & ſemina belli acquiret, ſibi veluti per vim injungi paſſuram. Ut nihil dicamus quantopere apud 54. 76. 85. 44. 67. 31. 96. 57. 68. 51. 31. 85. 69. 78. 54. 85. 44. 83. 33. 93. 41. 68. 79. 91. 45. 54. 85. 44. 68. 77. 42. 76. 83. 45. 33. 64. 85. 45. 66. 77. 91. 73. 97. 94. 53. 66. 33. 97. 83. 45. 66. 77. 93. 43. 76. 44. 85. 67. 44. 86. 63. 31. 94. 45. 93. 42. 53. 75. 55. 43. 85. 45. 68. 74. 58. 73. 67. 33. 58. 43. 31. 44. 93. 33. 85. 67. 33. 96. 43. 95. 43. 85. 75. 78. 33. 78. 56. 73. 58. 45. 66. 54. 66. 76. 89. 44. 85. 41. 52. 85. 55. 33. 98. 58. 52.

85. 44. 93. 97. 55. 53. 86. 93. 33. 75. 44. 85. 45. 77. 86. 58. 47. — — —; præsertim cum Vestra Regia Majestas classem suam adhuc integram & optime instructam, Urbem Haffniam sibi devotam & obsequentem, universum etiam Regnum Norwegiæ cum Scania a tergo & in sua potestate habeat, ut vel propterea iniquarum adeo conditionum approbatione sibi imponi nunquam passura sit. Accedit, quod fœderatos Belgas, proprii Status gratia, Vestram Regiam Majestatem nullatenus deserere, sed oceano quamprimum navigabili extituro confestim in auxilium accurrere oporteat. Imo auxiliares istæ copiæ, quarum supra mentio facta est, jamdum in via esse dicuntur. Quem super glaciem Deus Svecis pontem struxit, jam dirutus est, & facillime posset accidere, ut difficilius foret ex insulis abire, quam eo penetrasse. Solent communiter prosperi successus in uno extremo velut sufflaminari, cujus generis recens aliquod exemplum in Regnum Poloniæ videre contigit, ubi Sveci Regem primum ex omni ditione sua ejecerant, postmodum ad extremitates Regni, ubi Russiæ adjacet, pepulerant, attamen per Dei digitum ibidem illis frena injecta sunt, ut magno cum dedecore & clade regredi & nunc universam Poloniam relinquere coacti fuerint. Tempus & maris frigore concreti solutio Regiæ Vestræ Majestati certissimum auxilium afferent. Bellum istud a Regia Vestra Majestate ob bonam pacem & finium securitatem inceptum est. Si itaque hæc æquis & justis conditionibus obtineri potest, merito amplectenda erit, iniqua vero pax neque danda

neque

neque accipienda. Interea firmiter ſperamus, ſupremum Numen Veſtræ Regiæ Majeſtatis cauſam juſtiſſimam non deſerturum, quin potius virtute ex alto inſtructurum, quo omnia in Divini nominis gloriam, horum Regnorum ac Provinciarum firmam pacem & ſecuritatem, Regiæ denique autoritatis conſervationem cedent & emergant. Dab. Gluckſtadii, die 25. Febr. 1658.

Veſtræ Reg. Majeſtatis

*Subjectiſſimi & devotiſſimi*

D. Reinkingk.
Johann Helms.
Joh. Steinmann.
Conrad Heſſe, D.

(II.)

*Litera FRIDERICI III. Daniæ Regis, ad PETRUM WIBIUM, Præfectum Nidroſienſem, quibus Svecicis Commiſſariis Rumsdablienſem Præfecturam extradi tandem jubet, 1658.*

Fridericus III. Dei Gratia, Daniæ, Norwegiæ, Wandalorum, Gothorumque Rex &c.

PRæmiſſa gratia noſtra ac favore. Quandoquidem inaudivimus, Miniſtros Svedicos argumentis a Te allatis, quod Rumsdahlium alia quædam & ſeparata Præfectura a Nidroſienſi exiſtat, acquieſcere noluiſſe; ideoque ad præripiendam ambagibus & controverſiis inde forſitan orituris occaſionem, Præfecturam iſtam, una cum veris, quibus circumſcripta eſt, limitibus ſine ulte-

tiori tergiversatione prædictis Ministris Suedicis trades, ut omnia tandem suum finem sortiantur. Quo ipso voluntati nostræ Te præbes obsequentem, Deo interim a nobis commendatus. Scribebantur in arce Nostra Haffniensi die 19. Junii Anno 1658.

FRIDERICUS

Sub Nostro Sigillo.

(III.)

*Literæ CAROLI GUSTAVI Sueciæ Regis ad FRIDERICUM III. Daniæ Regem, quibus sibi damni societati in Africa Suecica a Carlosio illati causa satisfieri, & residua Pacis Rothschildiensis capita executioni tandem plenarie mandari cupit, 1658.*

Nos Carolus Gustavus Dei gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex &c.

*Serenissime & Potentissime Princeps.*

QUanta animi propensione atque desiderio, interveniente Legatorum Nostrorum apud Majestatem Vestram commorantium opera, eo inclinaverimus, ut Rothschildæ præterita hyeme conventa pacta præfinito tempore plenariæ executioni mandarentur, ac ad finem perducerentur, nulli dubitamus, quin Majestati Vestræ a Nostris ad institutos jam Hafniæ Tractatus ordinariis Commissariis humillime narratum fuerit: præprimis quod ut amicus ac vicinus certo Nobis persuaserimus, fore ut

re ut ſiquidem bona eorundem pars optatum eventum conſecuta jam dudum fuerit, Majeſtas Veſtra reliqua itidem promotura ſit, quo etiam opportune effectui dari dari queant. Quoniam autem non ſolum puncta quædam firmam & conſtantem utrorumque Regnorum ſecuritatem, ac tranquillitatem concernentia adhuc reſtant, verum etiam plenarie edocti ſumus, Condirectorem Henricum Carloffium cum Noſtris & ſubditorum Noſtrorum mercibus ac bonis ex Africa venientem, licet MiniſterNoſter Hamburgi Reſidens maturrime illud præmonuerit, non tantum Gluckſtadii a Majeſtatis Veſtræ miniſtris neq; detentum & arreſto ſubjectum, neq; de ablatis mercibus inventarium confectum, & ne eadem alienarentur ac diſtraherenttr prohibitum eſſe: ſed &, ut fama fert, cum maxima auri merciumque pretioſarum parte aufugiſſe, antequam circa reſtitutionem locorum occupatorum ſatisfactionem ullam præſtiterit. Nos ſane alio, quam ad Majeſtatem Veſtram recurrere non poſſumus, & vel propterea vigore harum literarum Noſtros apud Majeſtatem Veſtram Hafniæ nunc commorantes Legatos Majeſtatis Veſtræ conſpectui ſiſtimus, ut vicinum, Amicum atque fratres decet requirentes, velit Majeſtas Veſtra eosdem non ſolum benevole audire, verum etiam totam rem ita dirigere ac diſponere, ut tam circa hoc, quam in omnibus aliis ad executionem pacis adhuc pertinentibus prædicti Commiſſarii Noſtri optatum reſponſum quam primum obtineant, univerſumque negotium hoc plenarium & opportunum eventum ſortiatur, Nosque pro præſentium temporum ratione ſcire

quea-

queamus, qualem horum Tractatuum finem operiri debeamus. Et quandoquidem Majestatis Vestræ Ministri sæpissime iterant & ingeminant, quanto onere exercitus Noster Regnum Daniæ in hunc usque diem ibi commoratus, afficiat. Nos vero eidem quam facillime fidem adhibere possumus, Utique Majestati Vestræ certo affirmamus, Nos nihil tantopere intendere ac in votis habere, quam ut omnia, quæ ad executionem dictæ pacificationis Rothschildensis necessario pertinent, sed nondum facta sunt, abjecta cunctatione, in effectum traducantur, ac haud ulterius his in locis contra voluntatem Nostam retardemur & concedere cogamur, hostes nostros alibi omnibus interea temporum occasionibus & articulis in ingens Nostrum præjudicium ac damnum insidiari. Confidimus proinde, ut amico & vicino par est, Majestatem Vestram in confirmationem ac robur pactorum negotium isthoc ita commendatum habituram, quo sine ulteriori mora ac procrastinatione Societas Africana compensatione & satisfactione pro illatis damnis frui & gaudere possit, præsertim cum Instrumentum pacis controversiam hanc disertis verbis determinet aliamq; interpretationem nullatenus admittat. Quo ipso Majestatem Vestram divinæ Protectioni commendantes prosperos rerum successus Eidem ex animo precamur. Scribeb. Flensburgi, die 21. Junii Anno 1658.

(IV.)

*Responsoria Friderici III. Daniæ Regis, ad præinsertas Caroli Gustavi, Suecorum Regis Literas, 1658.*

Fride-

# Fridericus III. Dei gratia, Daniæ, Norwegiæ, Wandalorum, Gothorumque Rex &c.

*Serenisſime ac Potentisſime Princeps.*

EX Majeſtatis Veſtræ literis die 21. Junii proxime præterita Flensburgi ſcriptis, quas Majeſtatis Veſtræ penes Nos commorantes Legati Nobis exhibuerunt, ſatis percepimus Majeſtatis Veſtræ propenſionem, qua in plenariam Tractatuum concluſionem fertur: & nulli equidem dubitamus, quin jam dicti Majeſtatis Veſtræ hic degentes Legati ſufficiens de Nobis teſtimonium perhibere posſint, Nos nihil earum in Nobis deſiderari paſſos, quod ad ſinceram amicitiam ac fidam correſpondentiam inter Nos & Regnorum Noſtrorum ſubditos facere quid posſit; imo ſingulari aliqua contradictione aut tergiverſatione concesſiſſe & approbaſſe omnia, quæcunque Nobis ullo modo factu posſibilia fuere, modo certi extiterimus Majeſtati Veſtræ gratum quid & acceptum exinde poſſe accidere. Verum enim vero cum Majeſtas Veſtra ipſamet in dictis ſuis literis mentionem injiciat eorum, quæ a Condirectore Henrico Carloffio in Africa patrata ſunt, Majeſtati Veſtræ conſtare volumus, quod quanquam credamus, Nos Majeſtatis Veſtræ Legatis majorem jam dum ſatisfactionem obtuliſſe, quam inſtrumentum pacis in ejusmodi caſu requirit & præcipit, eo quod aliter in animum inducere nequeamus, quam quod articulus undecimus pactorum Rothſchildenſium (quippe qui certa quædam loca, ubi captæ prædæ dedu-

deducendæ ſint, nullatenus ſpeciatim determinat ac definit) eodem plane modo intelligi debeat de iis rebus, quæ in ejusmodi loca Africæ deducta fuerunt, quæ tum temporis, quando merces Africanæ eo deducebantur, ſub poteſtatem noſtram redacta erant, ac ſi illud ipſum hic in Europa in munimentis Noſtris atque Urbibus contigiſſet: Nihilominus ad oſtendendam amicitiam ac benevolentiam erga Majeſtatem Veſtram & ejusdem ſubditos, declaravimus, Nos velle ut munimenta iſta juxta Articulum XIV. & præter hæc navis iſta cum mercibus, quibus ſecundum verum Inventarium ad urbem Noſtram Gluckſtadium veniſſe & deducta eſſe probari poterit, reddantur ac reſtituantur. In quo ſane certo ſperamus Majeſtatem Veſtram acquieturam eſſe. Et ſiquidem Majeſtas Veſtra in hoc vel alio quodam caſu plura a Nobis vel posſit, vel velit poſtulare, offerimus Majeſtati Veſtræ in omnibus Noſtram benevolentiam, ut vicinum ac fratrem decet, & Nos taliter præſtituros recipimus, ut Majeſtas Veſtra Nobiſcum contenta eſſe posſit, maxime cum tam in hoc quam in omnibus aliis de Majeſtatis Veſtræ æquisſimo & juris amantisſimo animo plenarie ac certo perſuaſi ſumus. Et quandoquidem Majeſtas Veſtra ipſamet probe intelligit, quanto damno Regna ac ditiones Noſtræ afficiantur, quod Majeſtatis Veſtræ exercitus & copiæ ibidem in hunc usque diem commoratæ fuerint, & non ſolum debitum ipſis victum poſt Pacificationem ſufficienter perceperint, verum etiam inſuper maxima tributa ſubditis imperaverint & extorſerint, & ejusmodi exactiones tam diu ultra terminum

num evacuationi destinatum continuaverint, ex quo sane summa Nostrorum ruina & desolatio non potest non sequi, quam tamen Majestatem Vestram neque optaturam neque permissuram confidimus, utique in firmam spem erigimur, Majestatem Vestram non defugituram negotium isthoc ita componere, quo sine longiori mora exercitus discedat, & evacuatio reipsa præstetur, præsertim cum a Nostra parte nihil omnino appareat juxta pacificationis tenorem præstandum, quin executioni jam dum mandatum fuerit. Postquam etiam ad aures Nostras pervenit, delectus militum a Nobis institutos Maj. Vestræ suspicionem quandam & scrupulum injicere, fatemur equidem Nos plane ignorare ejusmodi quid Nostro nomine fieri, multo minus id a Nobis esse mandatum, nisi forsitan sint quidam officialium, munimentis Nostris in præsidium impositorum, qui numerum sibi commissorum militum augere laborabunt. Quod restat Maj. Vestram divinæ tutelæ ex animo commendamus cum voto omnigenæ prosperitatis. Scribeb. in Arce Nostra Haffniensi die 27. Junii Anno 1658.

## (V.)

*Litera* PLENIPOTENTIARIORUM SUECICORUM *ad* OTTONEM L.B. *a* SCHWERIN ET D. WEIMANNUM, *Plenipotentiarios Brandenburgicos, quibus eis præproperatum Gottorpio discessum exprobrant, & inique facta, quorum se insimulaverant, in eorum sinus cum fænore retorquent,* 1658.

Illu-

## Illustrissime, Generosi & Magnifici Domini Legati.

DUm de subsistendo Hamburgi & inde ad desiderati promissi constantiam certa responsa præstolamur, advenerunt 29. Julii ibidem subscriptæ literæ, spirantes ad convitia usque præcipitem animorum in Nos acerbitatem. Eo graviorem, quod cum saltem discessum Hamburgo indicare, cætera differre & quasi in integro relinquere voluerunt, in nos tamen licet ultra mandatorum necessitatem a causa alienos invehere volupe habuerunt. Quo an in se magis quam in Nos, non illæso pudore, injurii fuerint, relinquimus aliorum judicio, certi interim nec Nostris meritis talia, nec Legatorum dignitati Excellentiarum & Dominationis Vestræ convenire, utrumve jure pro cupiditate Vestra ad audientiam non sitis admissi, cum arbitrii plane Regii fuerit, quomodo venientes ab amico dubio non modo, sed hostilium plurium comperto, audire voluerit, an non de intentione ambiguæ Legationis per Deputatos rogare causa sit; Vestræ autem haud facultatis, qui ad Regem multifariam offensum missi, uti admittendi sitis, præscribere. Est Legatis sua securitas & dignatio per gentium Jus, est tamen & istorum æque, ac eorum, a quibus veniunt, debitum & officium, de eo autem illius, ad quem mittuntur, pro eo uti amicitiæ vel offensionis rationibus convenit, statuendi jus & suæ dignitatis observantia & in advertendo præjudicio non improba cura est. Innixa sunt, quæ carpuntur, præsupposito alicujus quasi necessitatis statim sine præ-

limi-

liminari quadam communicatione audiendi Legatos plane erroneo, cum gentium juris morisque sit pene quotidiani, mitti ad Legatos, imo & cum a dubiis & suspectis mittuntur, non admitti, præterquam factis sui adventus, propositi eorumque, quæ Legationis præparatoria sunt, declarationibus, quæ nisi Historiarum, orbisque negotiorum ignaros latere non possunt. Male, quod pro præsenti rerum statu audientia concedi aliter non potuit, eo detorquetur, quasi Excell. & Dominat. Vest. abire coactæ sint, quibus accessus, mansio, mandatorum expositio, cæteraque omnia libera fuerunt, dummodo Legatione tali digna fecissent; Cui non tantum quod placet, sed maxime, quod negotio convenit, & ab eo, ad quem venitur, audiri potest atque debet, spectandum, quo fine suis lubitis indulgere, est libertatibus abuti. Si audivissent proponenda, & quod par erat, respondissent, non fuisset verendum, ut negotiosis scriptionibus causa & dignitas Principis implicaretur; potius quod rei causæque erat explicare, & ad finem amicum & pacificum applicare valuissent. At cum dicitur, talia contra mandati seriem fuisse, facile intelligimus, causam mentemque non tractatui amicitiæ per ista quæsito, sed incongruo negotio intentam, quæ idcirco etiam maluerit Legatione, sic, ut præ se tulit, summæ rei (quod tamen ex eventu satis non apparet) destinata tamen satis non instructa, penitus abrupta, cuncta fato committere. Cui & Nos jam lubitus vestros relinquimus, de aliena conscientia, dum Nostræ satis securi, ultra non solliciti. Id vero miramur, quod, quæ in proponendis erant, quam

a Principe Vestro tam a veritate rei gestæ aliena, nec ex Regio dictamine (quasi ultra id Ministri sibi quidquam arrogent) nec ex fide eorum, qui negotiis eorum interfuerunt, sed iis excepta calamis putatis, quibus aut nimia festinatio, aut nescio, quis funestus error eo mentem detraxerit, ut illa quidem, nec præteritorum memor, nec futuri anxia, veteres amicitias novis an fulcimentis erigere aut orbis concordiam quæsitis affligere disceptationibus res una eademque sit? non satis forte expenderit: Ex assuetudine talia aut faciendi aut patiendi an ista profluant, in examen jam non trahimus, de eo tamen certissimi, nec præter jussum superiorum nec contra veritatem scripto quidquam contineri. Propositum erat, quod veritatis atque sinceritatis proprium, non fugere lucem, sed ob oculos singula, si negarentur aut negari possent, ponere, idq; velut coram testibus Amicissimorum & officia pro amicia offerentium Principum Legatis, ne isti, quæ nunc inique erupit, improperationi, locus esse, nec quidquam in eo, quod ad arguendam veritatem pertinet, inter actus, qui & orbis conscientiæ infixi & documentis luce meridiana clarioribus & consiliis non intus amplius latentibus, sed ad solem usque progressis innixi sunt, deficere possunt. Si quid a veritate alienum inter ista conjiciendum, certe onerabit ea præsumptio defugientes demonstrationem, ejusque testimonia reformidantes, ac ideo recusantes sub obtentu nudo dignitatis, cujus præprimis intererat, ad ista non effugium sed rationum veritatisque pondera reponi. Quorum fiducia hæc pars freta securo calamo potuit

nemini non conscia & credita committere, non festinatione nimiæ, sed pro necessitate rei, quæ nisi talium explicatione ac compositione non potuit incipi, nedum transigi, nec errore, qui cadere non potest in eos, quibus factorum notorietas, actorum irreprehensibilis fides, adversantium in confessionem accipi solitum factum adstipulatur. Qui sine odio & gratia judicabunt, verebuntur magis, ne funestus & fere fatalis error consiliorum, queis præteritorum memoria & futuri sollicitudo seponitur, veterem amicitiam dum nova ejus fulcimenta, valde hactenus infestis machinationibus subruta, quæruntur, & juxta orbis concordiam, quæsitis magis malorum vanis prætextibus, quam justis remediis, plane tollat, & devinctus talibus, prædestinari fuerat accederet. Qui incurioso ac festinato discessu missa facere, nec gravitati rei, sine discussione illorum, non expediendæ, nec Serenissimi Domini Electoris conscientiæ, quam adversus acta & orbis testimonia aliter asserere oportuerat, pacis & amicitiæ synceræ scopo non plane congruit. Non erronee nec pertinaciter asseruimus, quod res est, declinatam Dominorum Legatorum Brunsuico-Luneburgensium, ut & Hassiaci a Sac. Regia Majestate fuisse Interpositionem, & si responso congruo propositio debito modo facta fuisset honorata, audientiam ulteriorem ipsis destinatam fuisse. Si Excell. & Dominat. Vestris forte non innotuit ex abitus præcipitantia, atque ignoratione, per quam significatio fuit præpedita, profecto haud eo minus certum est. Hanc dum expectare noluerint,

ignorantia nihil suffragatur, sed multum demit judicio, quod inde firmatum putatur, quantum nempe in illo deest debiti officii. Cui congruum existimavimus expectari, quæ ad refragationem inopinatam reponerentur. Ex quibus, post præliminarem propositionem, audientiæ impetrandæ, si non hostilia, & inimica (quorum nonnihil fuit hactenus exhibitum aut indicatum) omnia potius in contrarium acta fuissent, certitudo esse poterat. In eo autem saltem aberratum, quod aut pro Vestra opinione, aut quomodo cum certis amicis agi solet, admitti voluistis, cùm nec Sacra Regia Majestas pro Vestro nutu teneretur inter ambigua & suspecta, cæca admissione, sibi juribusque suis præjudicare, nec Vos amicis tribui solita officia possetis postulare, quam diu non modo non constaret de intentione Legationis, a Principe cum hoste, velut contra communem, fœderato, qui hostilia olim multa peregit, imo adhuc perpetrante profectæ, sed & ejus explicatio detrectaretur. Quæ ratio apud omnes gentes æqua ostendet orbi, quanta cum iniquitate queramini, quasi destinati ad exempla inaudita, aut ad injurias parum æquas utrique partium existimationi. Quæ in Serenissimo Domino Electore non potuit lædi, si ejus Legatio amasset producere in conspectum pro diluitione proponendorum, adeoque via ad ulteriores amicitiæ actus sternenda necessaria, a Sacra Regia Majestate non aliter defendi, quam ut prius sciret, talia in faciem audaci fronte non objici, quæ jam Nobis, non Nostra, sed Regia agentibus, a veritate & modestia

ſtia alieniſſima opponuntur. Inter quæ numerare cogimur, quod dicitur, nunquam Excell. & Dn. Veſtras detrectaſſe admiſſionem prænominatorum Dominorum Legatorum, cum id primum fuerit poſt denuntiatam propoſitionis intentionem, ut & Regiorum Miniſtrorum acceſſum liberum non abnuiſſe, cum oblatum, remiſſa charta, ſtatim rejecerint, iis obtentibus, qui nihil ſoliditatis habebant, & ignorantiam cauſæ poſtea ſignificatæ ſapiebant. Qua modum, qua locum, qua tempus nihil contigit, quod non pro præſenti rerum ſtatu congruit, ſic conſuetum & pro negotio expediendo ex uſu; Quo ſine nec admitti nedum audiri debet, cum quo tractatus amici ſuſcipi perficique deberent. Quo detrectato principia, non obtenditur æquiſſimum Dominorum Legatorum judicium, quorum æquanimitati ſecus, quam ut poſt præterlapſa rerum momenta ſiniſtre judicaverint, confidimus, multo minus aliquid intempeſtivum, ſuſpectum aut imperatum acceſſiſſe, quorum nihil Nobis conſtat nec docetur. Adfuiſſe porro vos ſcribitis non conflicturos nec cauſam diſceptaturos, ſed velut ad Regem miſſos Oratores ab amico Principe pacis & amicitiæ cauſa.

At illud alienum plane a negotio eſt, quod ſine cauſæ diſceptatione poſt tot adverſa & corrigenda expediri & ab ipſis factis, ubi recuſata & per diſceſſum evitata eſt expoſitio intentionis, ſeparari nequit. Quam inter inimica acta Principis amicitia & benevolentia, ſe præſumi non ſivit, tam & quæ præceſſerunt iſti fuerunt incongrua. Quæ

cum alias sperarentur, non est negatum quidquam ex iis, quæ ad initia tractatuum cum amico dubio & ad legationum mores pertinebant, nihil dum remisso etiam ex iis, quæ porro fieri, & audientiæ præmitti debuerunt merito dilatæ, donec constaret de accessus ratione & admissionis æquitate, non negatæ autem, si justa præstarentur. Erratur in eo, quod admissionis non tantum ad locum, sed & ad aures oculosque Principum necessitas sic astruitur, ut sine discrimine ante omnia dari, nec quidquam antea, aut interrogari aut explicari debeat, ideo erronea ex eo discessus causa petitur. Cujus præfestinationem non, ut ajunt, coactam, sed voluntariam plane & animorum non valde pacatis consiliis deditorum indicem, non potuit non capi in argumentum consiliorum ab amicitia & quiete divagantium. Mira est cum paucorum dierum moræ, in re, quæ semel turbata per plures annos ægerrime reparatur, impatientia, tum de transmittendis, velut inanibus, opinio, quæ ad tractatus amicitiæ consueta inevitabiliter necessaria & præmittenda. Et cum ea omnia sic deprehendamus, ut magis bene proposita & innocenter significata carpant atque arguentur, quam, quæ ad scopum tendunt, serio agant, est, ut malimus, non aliter habiti, ejusmodi literarum commutatione ulterius non fodicari, ex conscientia Orbis, judicio & eventus spe, satis securi, quod mala & nobis imputentur, indigne & cedent in eos, a quibus tam incuriose ac temere effusa. Quibus cum Excell. & Domin.

Domin. Vestras Divinæ committimus protectioni. Dabantur Gottorpii, die 5. Julii, 1658.

Excell. & Domin. Vestr.

*ad officia paratissimi*

David Mevius.

Schweder Dietrich. Kley.

Eduard Ehrenstein.

(VI.)

*Litera CAROLI GUSTAVI, Suecorum Regis, ad FRIDERICUM III. Daniæ Regem, quem instanter urget, quo tandem omnibus initæ Pacis conditionibus suæ ex parte satisfieri curet, 1658.*

Nos Carolus Gustavus, Dei Gratia Suecorum, Gothorum Vandalorumque Rex &c.

*Serenissime ac Potentissime Princeps &c.*

MAjestatis Vestræ Legatum & Præfectum Cœnobii Mariacker, Dominum Ovenum Julium, Hæreditarium in Lundby &c. statim atque huc accessit coram admisimus, & tam ex ipso, quam Majestatis Vestræ, quas simul Nobis insinuavit, intelleximus, qua ratione Majestas Vestra non solum sibi persuadeat, quod quantum tractatus præsentes & præprimis satisfactionem Societatis Guinensis attinet, eousque se explicuerit, ut in iis acquiesce-

re queamus; verum etiam firmiter credat, Nos exercitui Nostro discessum imperaturos & has provincias onere copiarum Nostrarum levaturos. Equidem Nos aliquoties antea tam per literas ad Majestatem Vestram scriptas, quam Nostros penes Majestatem Vestram commorantes Commissarios satis superque ostendimus ac iteravimus, quanto desiderio erga operis hujus perfectam consummationem feramur, & id vel maxime ob hanc caussam, quod horum temporum rationes ac momenta requirant ac exigant, exercitum Nostrum jam in acie stare ac impedire, ne hostes Nostri insignes rei bene gerendæ occasiones Nobis præripiant. Persuaseramus Nobis etiam, quemadmodum & nunc eadem spe sustentamur, futurum, ut siquidem tam pauca puncta peragenda restent, Vestra Majestas similiter eadem haut gravatim perficiat & ad optatum exitum perducat. Nos mandata Nostra ad prædictos Commissarios Nostros ita moderati sumus, quemadmodum ipsum jus & æquitas postulant, & inter Nos ac Regna Nostra nuper inita pax permittere poterit; In firmam spem, ut amicum ac vicinum decet ingredientes, Majestatem Vestram se in hoc ipso taliter declaraturam, quo negotium isthoc quamprimum conficiatur, & una cum pacis executione illam securitatem Nobis asseramus, quam per Tractatus istos unice quæsivimus. Hinc simul atque Recessus subscriptus & ratihabitus fuerit, ne momentum quidem præterlabi patiemur, quin exercitum Nostrum moveamus & hinc discedere jubeamus. De cætero quicquid vel ipsimet vel per Deputatos Nostros Maje-

Majeſtatis Veſtræ ſupra memorato Legato aperiri fecimus, nulli dubitamus, quin non ſecus ac ſpartam a Majeſtate Veſtra ipſi commiſſam egregie exornavit, eadem fide ac candore Majeſtati Veſtræ, quæ ipſi heic ſignificavimus, enarraturus ſit. Id quod ita futurum eſſe confidimus, Majeſtatem Veſtram interea tutelæ divinæ, cum voto omnis proſperitatis, ut amicum & vicinum par eſt, ex animo commendantes. Gottorpii, die 8. Julii, Anno 1658.

## (VII.)

*Litera FRIDERICI III. Danorum Regis, ad SIMONEM DE PETTEKUM, negotiorum ſuorum in Anglia Procuratorem, cui clementer injungit, ut apud Angliæ Protectorem rogando inſtet, velit Regem Sueciæ omni poſſibili modo eo permovere, quo tandem exercitum ſuum e Regno ditionibusque Danicis educat, 1658.*

FRIDERICUS III. Dei Gratia, Daniæ, Norwegiæ, Wandalorum, Gothorumque Rex, &c.

*Honorate, dilecte, fidelis.*

FAciles conjicimus etiam in Anglia variis ſermonibus occaſionem exinde ſubminiſtrari, quod poſt pacem initam, cum plenaria exercitus Suedici eductio Calendis Maji proxime præterlapſis, juxta tenorem Inſtrumenti Pacis fieri debuiſſet, ille nihilominus ad hoc usque tempus in Regno & ditionibus Noſtris, non ſine maxima earum devaſta-

tione ac ruina commoratus fuerit. Fieri etiam facile poteſt, ut qui vera rerum heic geſtarum notitia deſtituuntur, cunctationis iſtius atque moræ culpam omnem in Nos conjiciant. Conſultum itaque Nobis viſum fuit, in adjuncto his libello de iſtis omnibus te accurate informare, ut ibidem apud Dominum Protectorem quam moderatiſſime tamen inſtare poſſis, quo inter Nos & Regem Sueciæ, fide publica, interpoſitione & laborioſa mediatione Domini Protectoris initæ paci ſatisfiat, noſtrique ad incitas jam tum redacti ſubditi contributionibus & aliis oneribus non amplius graventur; ſed exercitus Suedicus confeſtim educatur, Nosque Pacis fructibus tandem frui valeamus: præſertim, cum, fervente bello, tam gravi & intolerabili onere, ſubditi Noſtri haut gravati fuerint, quam quod ipſis nunc imponitur, non habita ratione, quod Nos, quantum Nobis incubuit, traditione Provinciarum Scaniæ & Bleckingiæ munimentorumque in iis ſitorum, Præfecturarum Bahuſienſis & Nidroſienſis (quæ duæ Præfecturæ mediam ferme partem Regni Noſtri Norwegiæ faciunt & æquant) Item evacuatione caſtri Bremerverdenſis, bis mille equitum traditione, ſatisfactione Celſiſſimo Principi Sleſuici Holſatiæ-Gottorpienſi Duci præſtita, reſtitutione navium ſale onuſtarum, cum omnibus mercibus cæterarumque rerum omnium, quæ in inſtrumento pacis continentur, impletione officio Noſtro & paci plenarie ſatisfecerimus, & inſuper ad pacem & tranquillitatem retinendam Inſulam Wenam, licet ad Scaniam non pertineat, Regi Sueciæ ceſſerimus: cum tamen

men e contrario & ex parte Regis Suecię Insulæ Fionia & Langelandia, universa Jutia, ut & Ducatus Slesuicensis & Holsatiæ Nobis restituti non fuerint, sed ab universo Suedico exercitu in hunc usque diem perquam graviter premantur, ut multi subditorum Nostrorum, domiciliis & possessionibus suis relictis, jam solum vertere coacti fuerint, pars belli oneribus fatigati concidant & ad desperationem adigantur. Ex quibus calamitatibus, ut emergamus & eripiamur, aliud sane remedium nunc non occurrit, nisi maxime æstimata autoritas Domini Protectoris, cujus interpositione pax coaluit, quique vel hoc nomine indemnes Nos præstare merito debet, Regi Sueciæ aliam mentem indiderit, ut exercitum suum e Nostris Regionibus tandem velit educere. Et quanquam a parte Regis Sueciæ objiciatur, controversiam de præda Guineensi ad finem nondum perductam esse; scias tamen, Nos majorem pecuniæ summam, quam quæ, habita ratione æquitatis, postulari potuisset, in satisfactionem obtulisse. Et si vel maxime de uno seu altero negotio nondum plane convenisset, veniam tamen apud æquos rerum arbitros invenire non poterit, Nos post pacem sancitam, ab universo exercitu premi, provincias Nostras omni modo desolari & omni jure neglecto, viribus & nervis privari. Quapropter his ipsis clementissime tibi mandamus, ut apud Dominum Protectorem rogando maximopere instes, velit Regem Sueciæ tam per literas, quam per Legatos suos eo permovere, ut sine ulteriori cunctatione exercitum suum e Regno Nostro ac ditionibus educat, quemadmodum

dum jus & æquitas illud ipsum requirunt & constitutæ paci omnino consentaneum est. Atque ut hæc te diligenter curaturum confidimus, ita quamprimum responsum a te exspectamus, Regia interim gratia te sincere complectentes. Datum Haffniæ, die 6. Augusti, 1658.

## (IIX.)

*Litera BARTHOLDI HARTWIGII BüLOVII, summi Præsidio Thoruniensi a Rege Sueciæ Præfecti, ad NICOLAUM PRAZMOVIUM, supremum Regni Poloniæ Cancellarium, præjudicium in literis sibi transmissis Regii tituli ratione metuendum modeste declinantes, 1658.*

CUm Sac. Reg. Majestatis Domini mei Clementissimi Ministris serio sit ac graviter præscriptum, qua illi ratione circa eas uti debeant literas, quæ ab alia quam ab amica manu proficiscuntur, præsertim si præjudicium aliquod juris dignitatisq; Regiæ ciere possint, atque ego in illis, quas cum debita veneratione a Serenissimo Rege Poloniæ hesterna die accepi, Sueciæ titulum præter usum & consuetudinem Polonico esse adjunctum animadverterim, nolui committere, quin id Reverendæ Vestræ Excellentiæ significarem atque eadem opera rogarem diligentissime, ne huic rei autoritate sua in Cancellaria remedium adhibere gravetur. Cum enim sine certissimo Regiæ indignationis periculo nemini ejusmodi literas recipere liceat, videt Reverendissima Vest. Excell. quantæ inde difficultates enasci brevi possint. Futurum confido, cum hujus

jus controversiæ compositio in Regiorum Ministrorum potestate non sit, acceptarum autem talium literarum culpa inexcusabilis, pro cognita sua prudentia ac æquitate Rever. Vest. Excell. prævisuram, ne quisquam nostrum ancipiti & difficili defensione oneretur. Ab ea præterea enixe peto, ut quæ de hujus urbis statu imposterum conficiendæ erunt literæ, illæ ut ad Illustrissimum & Excellentissimum Dominum Comitem Benedictum Oxenstierna pariter atque ad me perscribantur. Si qua in re ego vicissim Rever. Vest. Excell. studia mea declarare potuero, faciam ut promtum me & paratum semper inveniat. Dabantur Thorunii, d. $\frac{1}{2}\frac{1}{1}$ Novembr. 1658.

## (IX.)

*Responsoria NICOLAI PRAZMOVII, supremi Regni Poloniæ Cancellarii, ad preinsertas BARTHOLDI HARTWIGII BÜLOVII, supremi, qui in Præsidium Thorunense imperium militare exercebat, Præfecti, cui simul urbis ad incitas redactæ honestam deditionem suadet, 1658.*

NOn est sane, quod Illust. Vestram afficiat, literas Serenissimi Regis Nostri Dominique Clementissimi Poloniæ simul ac Sueciæ titulos conjungere. Ab omnibus certe Principibus Europæis talis inscriptio (ut jus interim sileam) cum usurpatur tum approbatur. Nec ratio igitur nec consuetudo facit in adversum, cum pro nobis militant ambæ. Neque mihi facile persuaserim Illust. Vestram vel pœnam a suo Principe, vel ullam serio re-

reformidare, id quod scribit, notam, si literas eodem, quo nuper inscriptæ modo legendas admittat. Mei quoque non est muneris & placiti, candide profiteor Cancellariæ stylum, licet id urgeat Illustritas Vestra, immutare, ubi præsertim Serenissimo Regi meo Dominoque Clementissimo tantum derogetur. Noverit itaque Illustr. Vestra, in literis, si quæ deinceps Thorunium dabuntur, titulum Regni Sueciæ a Serenissimo nequaquam intermittendum, quem quamquam Stumdorfianis olim pactis permiserimus, vim tamen illa amisere suam, ex quo rupta fides est, fœderaque a prioribus per invasionem Poloniæ violata. Sed super his interim lis, ut ajunt, non litigetur, & alias talibus occasio locusq; relinquendus ad Illustr. Comitem de Oxenstierna suasu Illustr. Vestræ scribo, facturus id ipsum antea non gravate, si quid hinc accessurum ad publicam utilitatem rectumq; urbis obsessæ statum momenti censuissem. Nunc spero non vane Illustr. Vestras in commune, quod suis rebus sit salubrius, consulturas. Iisdem Illustr. Vestris nomine Serenissimi Regis nostri Dominique Clementissimi denuncio, dari utrique tum Illustr. scilicet Vestræ, tum Illustr. Comiti ab Oxenstierna potestatem scribendi mittendique literas ad Illustr. Generalem Mariæburgum. Nec est quod fidem Nostram dubiam habeant vel suspectam, modo ne missionibus istis tempus duntaxat trahatur, solæque nobiscum nectantur moræ, quo sese provehat bruma. Constat enim Illustr. Vestræ Sereniss. Regis Nostri Domini Clementissimi constantiam nullis cœlorum curarumque injuriis ac inclementiis a proposito dimovendam, nec ab hac urbe

Ss 2 recess-

recessuram prius suam Majestatem, quam urbs ipsa suæ sit, (superis faventibus) potestatis. De Statu Regis Vestri quicquid olim a me significatum Illust. Vestris fuit, indubitatum est. Alia insuper certissima utpote sæpius jam confirmata scribo. Eundem nempe obsessam diutius Coppenhagam reliquisse solvisseque obsidionem. In Baltico victum navali prælio cum reliquis suorum Croneburgum se ægre recepisse, ubi copiis Danorum & Hollandorum cinctus talione mirabili ipsemet nunc obsidetur. Tam angusta Principis sui res versaque fortuna omnem Illustr. Vestræ suppetiarum spem intercepit; cum iisdem indigeat ipse, qui ferre posset. Proinde Illustritatis Vestræ maturo subsit judicio, num non expedientius sit Serenissimi Regis Nostri clementiam experiri, urbemque restitui, quam eidem ad perniciem inhærere. In omnibus quæ bona utriusque partis spectant, meam ego Illustr. Vestræ operam simulque studia defero mea. Datum in Castris ad Vallum urbis Thorunii positis, die 25. Novembr. 1658.

(X).

*Litera BARTHOLDI HARTWIGII BüLOVII, Primarii Præsidii Thoruniensis Gubernatoris, ad NICOLAUM PRAZMOVIUM, Supremum Regni Poloniæ Præfectum, a quo obnixe contendit, velit sibi a Rege Poloniæ impetrare libertatem mittendi ad Regium Fratrem Mariaburgum versus personam quandam, quæ ab ipso dedendæ urbis veniam rogare queat, 1658.*

Non

NOn sine justa ratione Rever. Vestra Excell. literis suis subjecit illam de Regnorum titulis controversiam alius loci esse alteriusve occasionis. Mei muneris non est neque facultatis, eam litem componere. Sed quemadmodum Serenissimi Regis Sui sarta atque tecta conservare cupit Rever. Excell. Vest. ita nos nihil unquam commissuri sumus quo Sacræ Reg. Maj. Domini nostri clementissimi dignitati ullum præjudicium creari possit. Reliqua tanto minus tango. Illud a Reverendissima Vestra Excellentia denuo peto, Serenissimus Rex Poloniæ quo nobis gratiose permittat, ut unum vel alterum ex nostratibus ad Serenissimum Principem Regium fratrem Mariæburgum dimittere possimus. Novit Vestra Rever. Excell. legibus nostris militaribus capitale esse, si sine scitu & mandato supremi belli præfecti, si neque gravi necessitate, urbs aliqua hosti cesserit & præsidium deductum fuerit. De ea ergo re cum nihil in mandatis habeam, neque vehementioribus incommodis hactenus urgeamur, illa autem quæ significanda habemus & ad Serenissimi Principis notitiam pertinent, literis explicari commode non possint, necesse omnino est, ut alia ratione Serenissimi Principis mente doceamur. Persuadere sibi poterit Reverendissima Vestra Excell. non ideo illud nos rogare, quo pauxillum temporis lucrifaciamus, sed ut securitati nostræ prospiciamus. Citius etiam ita fortassis propositum finem Reverendissimæ & Illustrissimæ Excellentiæ Vestræ assequentur, quam si in aliis consiliis perstiterint. Interim studia mea operamque vicissim Reverendissi-

meæ

mæ Excell. Vestræ offero. Dabantur Thorunii, die $\frac{18}{28}$ Novembr. 1658.

## (XI.)

*Literæ NICOLAI PRAZMOVII, Supremi Regni Poloniæ Cancellarii, ad BENEDICTUM OXENSTIERNAM, Regni Sueciæ Senatorem & Cancellariæ Consiliarium, quibus ad præcedentes Bülovii literas respondet, & oblata literarum Marieburgum mittendarum venia denuo dedendæ urbis mentionem injicit, 1658.*

NOn leve nobis Christiani sanguinis pretium est, nec ejus profecto sumus helluones, inviti vel stillam soliti fundere, nisi necessitas extrema poscat. Eam quoque nunc imponit Seren. Regi Dominoque nostro longe clementissimo asperior Illustr. Vestrarum in urbis deditione voluntas, quæ si consilium amiserit, durius certe debebit emollire fatum. Non enim ab opere nos destitisse sibi persuadeant, sed ipsimet brevi proximos, Dei auxilio, futuros urbi bonamque mentem ab obstinatis expressuros; Illa tamen est Serenissimi Regis Dominique clementissimi indoles ac benignitas, ut exitio esse soli velit volenti, quam optimi Principis benevolentiam & Illustr. Vestra non dubito quin ultro acceptura imo ambitura sit, & aliis persuasura, ne clementissimi Principis animum diutius irritent, gravioraque remedia male affectis in Sacram Majestatem suam mentibus adhibenda præstolentur. Quod si Illustr. Excell. Vestra Serenissimo se suaque permiserit, cæterosque ad idem induxerit præstan-

dam promptam apud Serenissimum gratiam favoremque fidat, sciatque inventuram. Ut ad Illustrissimum Generalem Mariæburgum literas scribat & mittat Excell. Vest. Illustrissima indulget Sacra Reg. Majestas; quod ipsum Illustrissimo quoque Generali Bülow permissum est. Quisnam rerum Suecicarum sit status, habet a me perscriptum (nec fallere novimus) Illustrissimus Generalis. Illud Illustrissimæ Excellentiæ Vestræ certissimum esto, nullum Illustritates Vestras subsidium sperare a suis posse, in quo sinceram fidem meam interpono. Consultissimum itaque Illustrissima Vestra Excellentia factura, si tam arctis sui Principis rebus Serenissimi Regis nostri clementiam fuerit amplexa. In quo meam Illustrissimæ Vestræ Excellentiæ operam studiaque non defutura, quæ Illustritati Vestræ nunc quoque defero liberaliter, sancte promitto. Dabam in castris ad Thorunium die 25. Novembr. 1658.

(XII.)

*Responsoria BENEDICTI OXENSTIERNAE, ad prainsertas NICOLAI PRAZMOVII literas, quibus se oblatam mittendarum Marienburgum literarum veniam grata mente recepisse, res tamen suas majori cum securitate fore conjunctas, asserit si sibi per Regem Poloniæ aliquem e suis Mariaburgum versus mittere fuerit licitum, 1658.*

DE Urbano negotio cum ad me jam quoque scribere voluerit Reverendissima Vestra Excellentia & omnem prodigi sanguinis animi suspicio-

ſpicionem a ſe amovere, cauſam me conteſtandi nactum exiſtimo nihil Chriſtiano nomine eſſe convenientius, quam ſanguini parcere; nihil ſupremo Numini gratius, quam a cædibus temperare. Id propoſitum, ut pium credimus, ita ſervatum a nobis fuit, & erit ſervandum. Neque tamen quod in tuenda urbe fidem Sac. Reg. Majeſtati Domino noſtro Clementiſſimo præſtemus & conſtantiam, obſtinati dicendi ſumus, omnium & vel ipſius Rever. Veſt. Excellentiæ judicio damnandi, ſi ab officio noſtro turpiter deflecteremus. Benignitatem interea Regis agnoſco, quod ex Sereniſſimo Principe Regio fratre exquirere nobis liceat, quid ille de hac urbe conſtitutum habeat. Id vero ita concedere Regiam Majeſtatem putamus, ut de mente & voluntate Sereniſſimi Principis conſtare nobis certo & indubitate queat. Unam nobis in eum finem literarum rationem Reverendiſſima Veſtra Excellentia proponit, illam ut haud quaquam plane rejicimus, ita nudam & parum ad ſcopum aut ſecuritatem habere momenti ſentimus. Vidimus nuper quæ nomen manumque Sereniſſimi Principis circumferrent, atque ita comparatas vidimus, ut ſuſpenſos nos animo atque ambiguos reliquerint. Abſit nihilominus, ut quicquam hic vituperemus, fuit ubique ſua ingenio laus & gloria, imo memoria & Chriſtianis annalibus dignum judicamus, mentis potius acie quam ferri viciſſe. Sed illaudabile eſt, ſecurius agere, nihil cavere atque negligenter circumſpicere. Quare cum ſolis literis confidere minus aliquanto tutum arbitremur, Reverendiſſimam Excellentiam Veſtram denuo ro-

go, ut potestas mihi fiat unum atque alterum ex Nostratibus Mariæburgum mittendi. Haud difficulter id impetraturos nos spero, si Nostræ res deteriori in Dania sint loco, atque, ut ingenue fatear, eo Nobis potissimum sit prospiciendum. Perpendimus multa, aptius autem reperire nihil potuimus. Quod si Reverendissimæ Vestræ Excellentiæ pro cognita sua prudentia, modum alium, quo satisfieri securitati Nostræ possit, suppeditare placuerit, amplectemur libenter. Moram non nectimus, quemadmodum nec causam, multo minus etiam agimus subdole. Atque si vera dicenda sunt, citius fortassis finis huic obsidioni hoc modo imponi poterit, quam alio ullo. Reverendissimæ Excellentiæ Vestræ, quod alias feci, officiorum Studiorumque meorum promptitudinem spondeo, eamque rectissime valere cupio. Dabantur Thorunii die $\frac{18}{28}$. Nov. 1658.

## (XIII.)

*Literæ FRIDERICI III. Daniæ Regis, ad STEPHANUM IN CZARNCA CZARNIECKI, Terrarum Russiæ Palatinum, & exercituum Regiæ Poloniæ Generalem, cujus heroicam in conflictibus cum Svecis commissis virtutem egregiis mactat encomiis, 1658.*

Fridericus III. Dei Gratia Daniæ, Norwegiæ, Vandalorum, Gothorumque Rex, Dux Slesvici, Stormariæ ac Dithmarsiæ, Comes in Oldenburg ac Delmenhorst &c. Singulari favore ac benevolentia Nostra præmissis.

Illu-

*Illustrissime Domine, sincere grateque Nobis dilecte.*

MAxima cum existimatione Nobis relatum est, quomodo Illustritas Vestra diversis conflictibus, novissime etiam in occupatione Insulæ Alsen, sitorumque in ea Castellorum inter alias hostis copias, numero militum plus quam triplo suis fortiores, prævius agmini profligando, virtutem suam vere heroicam, cum clade & admiratione omnium exercuerit. Quemadmodum nobis semper de Illustrit. Vestra, utpote Duce rebus gestis clarissimo, gratulati sumus, affectumque Serenissimi Regis Vestri fraternum in auxilium armorum Nostrorum Illust. Vestram submittendo abunde deprehendimus: Ita benevolentiam Nostram Regiam, quam meritis suis etiam apud Nos Illustrit. Vestra acquisivit, contestari hisce voluimus, ex animo optantes, ut felicissimis quibuscunque successibus fama Illustr. Vestræ, non solum Patriæ, sed exteris etiam cognita, universo orbi, præsertim huic Arctoo, magis magisque innotescat. De cætero certo sibi persuadeat Illustr. Vestra, Nos quicquid officiorum Nobis præstitum fuerit, grato animo omnique favore Regia cum Deo & tempore agnituros. Dabantur in arce Nostra Regia Haffniæ die 24. Dec. Anno 1658.

*In fronte literarum titulus.*

Illustrissimo sincere grateque Nobis dilecto Domino, Domino Stephano in Czarnca Czarniecki, Terrarum Russiæ Palatino, Exercituum Regis Poloniæ Generali &c. &c.

reformidare, id quod scribit, notam, si literas eodem, quo nuper inscriptæ modo legendas admittat. Mei quoque non est muneris & placiti, candide profiteor Cancellariæ stylum, licet id urgeat Illustritas Vestra, immutare, ubi præsertim Serenissimo Regi meo Dominoque Clementissimo tantum derogetur. Noverit itaque Illustr. Vestra, in literis, si quæ deinceps Thorunium dabuntur, titulum Regni Sueciæ a Serenissimo nequaquam intermittendum, quem quamquam Stumdorfianis olim pactis permiserimus, vim tamen illa amisere suam, ex quo rupta fides est, fœderaque a prioribus per invasionem Poloniæ violata. Sed super his interim lis, ut ajunt, non litigetur, & alias talibus occasio locusq; relinquendus ad Illustr. Comitem de Oxenstierna suasu Illustr. Vestræ scribo, facturus id ipsum antea non gravate, si quid hinc accessurum ad publicam utilitatem rectumq; urbis obsessæ statum momenti censuissem. Nunc spero non vane Illustr. Vestras in commune, quod suis rebus sit salubrius, consulturas. Iisdem Illustr. Vestris nomine Serenissimi Regis nostri Dominique Clementissimi denuncio, dari utrique tum Illustr. scilicet Vestræ, tum Illustr. Comiti ab Oxenstierna potestatem scribendi mittendique literas ad Illustr. Generalem Mariæburgum. Nec est quod fidem Nostram dubiam habeant vel suspectam, modo ne missionibus istis tempus duntaxat trahatur, solæque nobiscum nectantur moræ, quo sese provehat bruma. Constat enim Illustr. Vestræ Sereniss. Regis Nostri Domini Clementissimi constantiam nullis cœlorum curarumque injuriis ac inclementiis a proposito dimovendam, nec ab hac urbe recess-

recessuram prius suam Majestatem, quam urbs ipsa suæ sit, (superis faventibus) potestatis. De Statu Regis Vestri quicquid olim a me significatum Illust. Vestris fuit, indubitatum est. Alia insuper certissima utpote sæpius jam confirmata scribo. Eundem nempe obsessam diutius Coppenhagam reliquisse solvisseque obsidionem. In Baltico victum navali prælio cum reliquis suorum Croneburgum se ægre recepisse, ubi copiis Danorum & Hollandorum cinctus talione mirabili ipsemet nunc obsidetur. Tam angusta Principis sui res versaque fortuna omnem Illustr. Vestræ suppetiarum spem intercepit; cum iisdem indigeat ipse, qui ferre posset. Proinde Illustritatis Vestræ maturo subsit judicio, num non expedientius sit Serenissimi Regis Nostri clementiam experiri, urbemque restitui, quam eidem ad perniciem inhærere. In omnibus quæ bona utriusque partis spectant, meam ego Illustr. Vestræ operam simulque studia defero mea. Datum in Castris ad Vallum urbis Thorunii positis, die 25. Novembr. 1658.

(X).

*Literæ BARTHOLDI HARTWIGII BüLOVII, Primarii Præsidii Thoruniensis Gubernatoris, ad NICOLAUM PRAZMOVIUM, Supremum Regni Poloniæ Præfectum, a quo obnixe contendit, velit sibi a Rege Poloniæ impetrare libertatem mittendi ad Regium Fratrem Mariaburgum versus personam quandam, quæ ab ipso dedendæ urbis veniam rogare queat, 1658.*

Non

NOn sine justa ratione Rever. Vestra Excell. literis suis subjecit illam de Regnorum titulis controversiam alius loci esse alteriusve occasionis. Mei muneris non est neque facultatis, eam litem componere. Sed quemadmodum Serenissimi Regis Sui sarta atque tecta conservare cupit Rever. Excell. Vest. ita nos nihil unquam commissuri sumus quo Sacræ Reg. Maj. Domini nostri clementissimi dignitati ullum præjudicium creari possit. Reliqua tanto minus tango. Illud a Reverendissima Vestra Excellentia denuo peto, Serenissimus Rex Poloniæ quo nobis gratiose permittat, ut unum vel alterum ex nostratibus ad Serenissimum Principem Regium fratrem Mariæburgum dimittere possimus. Novit Vestra Rever. Excell. legibus nostris militaribus capitale esse, si sine scitu & mandato supremi belli præfecti, si neque gravi necessitate, urbs aliqua hosti cesserit & præsidium deductum fuerit. De ea ergo re cum nihil in mandatis habeam, neque vehementioribus incommodis hactenus urgeamur, illa autem quæ significanda habemus & ad Serenissimi Principis notitiam pertinent, literis explicari commode non possint, necesse omnino est, ut alia ratione Serenissimi Principis mente doceamur. Persuadere sibi poterit Reverendissima Vestra Excell. non ideo illud nos rogare, quo pauxillum temporis lucrifaciamus, sed ut securitati nostræ prospiciamus. Citius etiam ita fortasis propositum finem Reverendissimæ & Illustrissimæ Excellentiæ Vestræ assequentur, quam si in aliis consiliis perstiterint. Interim studia mea operamque vicissim Reverendissimeæ

mæ Excell. Vestræ offero. Dabantur Thorunii, die $\frac{18}{28}$ Novembr. 1658.

## (XI.)

*Litera NICOLAI PRAZMOVII, Supremi Regni Poloniæ Cancellarii, ad BENEDICTUM OXENSTIERNAM, Regni Sueciæ Senatorem & Cancellariæ Consiliarium, quibus ad præcedentes Bülovii literas respondet, & oblata literarum Mariæburgum mittendarum venia denuo dedendæ urbis mentionem injicit, 1658.*

NOn leve nobis Christiani sanguinis pretium est, nec ejus profecto sumus helluones, inviti vel stillam soliti fundere, nisi necessitas extrema poscat. Eam quoque nunc imponit Seren. Regi Dominoque nostro longe clementissimo asperior Illustr. Vestrarum in urbis deditione voluntas, quæ si consilium amiserit, durius certe debebit emollire fatum. Non enim ab opere nos destitisse sibi persuadeant, sed ipsimet brevi proximos, Dei auxilio, futuros urbi bonamque mentem ab obstinatis expressuros; Illa tamen est Serenissimi Regis Dominique clementissimi indoles ac benignitas, ut exitio esse soli velit volenti, quam optimi Principis benevolentiam & Illustr. Vestra non dubito quin ultro acceptura imo ambitura sit, & aliis persuasura, ne clementissimi Principis animum diutius irritent, gravioraque remedia male affectis in Sacram Majestatem suam mentibus adhibenda præstolentur. Quod si Illustr. Excell. Vestra Serenissimo se suaque permiserit, cæterosque ad idem induxerit præstan-

dum promptam apud Sereniſſimum gratiam favoremque fidat, ſciatque inventuram. Ut ad Illuſtriſſimum Generalem Mariæburgum literas ſcribat & mittat Excell. Veſt. Illuſtriſſima indulget Sacra Reg. Majeſtas; quod ipſum Illuſtriſſimo quoque Generali Bülow permiſſum eſt. Quisnam rerum Suecicarum ſit ſtatus, habet a me perſcriptum (nec fallere novimus) Illuſtriſſimus Generalis. Illud Illuſtriſſimæ Excellentiæ Veſtræ certisſimum eſto, nullum Illuſtritates Veſtras ſubſidium ſperare a ſuis poſſe, in quo ſinceram fidem meam interpono. Conſultisſimum itaque Illuſtrisſima Veſtra Excellentia factura, ſi tam arctis ſui Principis rebus Serenisſimi Regis noſtri clementiam fuerit amplexa. In quo meam Illuſtrisſimæ Veſtræ Excellentiæ operam ſtudiaque non defutura, quæ Illuſtritati Veſtræ nunc quoque defero liberaliter, ſancte promitto. Dabam in caſtris ad Thorunium die 25. Novembr. 1658.

(XII.)

*Reſponſoria BENEDICTI OXENSTIERNAE, ad præinſertas NICOLAI PRAZMOVII literas, quibus ſe oblatam mittendarum Marienburgum literarum veniam grata mente recepiſſe, res tamen ſuas majori cum ſecuritate fore conjunctas, aſſerit ſi ſibi per Regem Poloniæ aliquem e ſuis Mariaburgum verſus mittere fuerit licitum, 1658.*

DE Urbano negotio cum ad me jam quoque ſcribere voluerit Reverendisſima Veſtra Excellentia & omnem prodigi ſanguinis animi ſuſpicio-

ſpicionem a ſe amovere, cauſam me conteſtandi nactum exiſtimo nihil Chriſtiano nomine eſſe convenientius, quam ſanguini parcere; nihil ſupremo Numini gratius, quam a cædibus temperare. Id propoſitum, ut pium credimus, ita ſervatum a nobis fuit, & erit ſervandum. Neque tamen quod in tuenda urbe fidem Sac. Reg. Majeſtati Domino noſtro Clementiſſimo præſtemus & conſtantiam, obſtinati dicendi ſumus, omnium & vel ipſius Reverſ. Veſt. Excellentiæ judicio damnandi, ſi ab officio noſtro turpiter deflecteremus. Benignitatem interea Regis agnoſco, quod ex Sereniſſimo Principe Regio fratre exquirere nobis liceat, quid ille de hac urbe conſtitutum habeat. Id vero ita concedere Regiam Majeſtatem putamus, ut de mente & voluntate Sereniſſimi Principis conſtare nobis certo & indubitate queat. Unam nobis in eum finem literarum rationem Reverendiſſima Veſtra Excellentia proponit, illam ut haud quaquam plane rejicimus, ita nudam & parum ad ſcopum aut ſecuritatem habere momenti ſentimus. Vidimus nuper quæ nomen manumque Sereniſſimi Principis circumferrent, atque ita comparatas vidimus, ut ſuſpenſos nos animo atque ambiguos reliquerint. Abſit nihilominus, ut quicquam hic vituperemus, fuit ubique ſua ingenio laus & gloria, imo memoria & Chriſtianis annalibus dignum judicamus, mentis potius acie quam ferri viciſſe. Sed illaudabile eſt, ſecurius agere, nihil cavere atque negligenter circumſpicere. Quare cum ſolis literis confidere minus aliquanto tutum arbitremur, Reverendisſimam Excellentiam Veſtram denuo ro-

go, ut poteſtas mihi fiat unum atque alterum ex Noſtratibus Mariæburgum mittendi. Haud difficulter id impetraturos nos ſpero, ſi Noſtræ res deteriori in Dania ſint loco, atque, ut ingenue fatear, eo Nobis potiſſimum ſit proſpiciendum. Perpendimus multa, aptius autem reperire nihil potuimus. Quod ſi Reverendiſſimæ Veſtræ Excellentiæ pro cognita ſua prudentia, modum alium, quo ſatisfieri ſecuritati Noſtræ poſſit, ſuppeditare placuerit, amplectemur libenter. Moram non nectimus, quemadmodum nec cauſam, multo minus etiam agimus ſubdole. Atque ſi vera dicenda ſunt, citius fortaſſis finis huic obſidioni hoc modo imponi poterit, quam alio ullo. Reverendiſſimæ Excellentiæ Veſtræ, quod alias feci, officiorum Studiorumque meorum promptitudinem ſpondeo, eamque rectiſſime valere cupio, Dabantur Thorunii die $\frac{18}{28}$. Nov. 1658.

## (XIII.)

*Literæ* ***FRIDERICI III.*** *Daniæ Regis, ad* ***STEPHANUM IN CZARNCA CZARNIECKI,*** *Terrarum Ruſſiæ Palatinum, & exercituum Regiæ Poloniæ Generalem, cujus heroicam in conflictibus cum Svecis commiſſis virtutem egregiis mactat encomiis, 1658.*

**Fridericus III. Dei Gratia Daniæ, Norwegiæ, Vandalorum, Gothorumque Rex, Dux Sleſvici, Stormariæ ac Dithmarſiæ, Comes in Oldenburg ac Delmenhorſt &c. Singulari favore ac benevolentia Noſtra præmiſſis.**

Illu-

*Illustrissime Domine, sincere grateque Nobis dilecte.*

MAxima cum existimatione Nobis relatum est, quomodo Illustritas Vestra diversis conflictibus, novissime etiam in occupatione Insulæ Alsen, sitorumque in ea Castellorum inter alias hostis copias, numero militum plus quam triplo suis fortiores, prævius agmini profligando, virtutem suam vere heroicam, cum clade & admiratione omnium exercuerit. Quemadmodum nobis semper de Illustrit. Vestra, utpote Duce rebus gestis clarissimo, gratulati sumus, affectumque Serenissimi Regis Vestri fraternum in auxilium armorum Nostrorum Illust. Vestram submittendo abunde deprehendimus: Ita benevolentiam Nostram Regiam, quam meritis suis etiam apud Nos Illustrit. Vestra acquisivit, contestari hisce voluimus, ex animo optantes, ut felicissimis quibuscunque successibus fama Illustr. Vestræ, non solum Patriæ, sed exteris etiam cognita, universo orbi, præsertim huic Arctoo, magis magisque innotescat. De cætero certo sibi persuadeat Illustr. Vestra, Nos quicquid officiorum Nobis præstitum fuerit, grato animo omnique favore Regia cum Deo & tempore agnituros. Dabantur in arce Nostra Regia Haffniæ die 24. Dec. Anno 1658.

*In fronte literarum titulus.*

Illustrissimo sincere grateque Nobis dilecto Domino, Domino Stephano in Czarnca Czarniecki, Terrarum Russiæ Palatino, Exercitum Regis Poloniæ Generali &c. &c.

(XIV.)

*Litera CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad CAROLUM XI. Svecorum Regem, cui se nuper ad avita Regna sua placide & tranquille restitutum esse nuntiat, & sincera sanctioris inter Reges necessitudinis officia offert, 1661.*

Carolus, Dei Gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei Defensor &c. Serenissimo ac Potentissimo Principi, Domino Carolo, eadem Gratia, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi & Principi Hæreditario, Magno Principi Finlandiæ, Duci Scaniæ, Esthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandaliæ, Principi Rugiæ, Domino Ingriæ & Wismariæ nec non Comiti Palatino Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Duci, Fratri, Consanguineo & amico nostro charissimo salutem & prosperos rerum successus!

*Serenissime ac Potentissime Princeps, Frater, Consanguinee, & Amice charissime.*

POst Dei optimi maximi clementiam, qua nuper ad avita Regna nostra placide & tranquille restituti sumus, nihil nobis acceptius optatiusve accidere potest, quam benevolæ amicorum gratulationes, quibus tum Divini favoris subinde admonemur, tum excitamur etiam ad justam erga dictos amicos gratitudinem. Inter illos illustrissimus Otto Wilhelmus Königsmarck, Comes in Westerwick, missus ad Nos a Serenitate Vestra Able-

Ablegatus Extraordinarius, præcipue charus gratusque Nobis accesſit; quem ideo ſingulari affectu excepimus, tam ratione meritorum ſuorum, quam propenſionis Veſtræ erga nos effuſisſimæ, cujus ipſe venit nuntius & interpres. Serenitas Veſtra facile credet, nos poteſtate, qua muniti ſumus, ſemper uſuros eſſe, ad mutuam regnorum Noſtrorum defenſionem & Dei gloriam. Cujus tutelæ Serenitatem Veſtram animitus commendamus. Dab. e Palatio Noſtro Weſtmonaſt. tertio die Maji 1661.

**Serenitatis Veſtræ**

*Bonus Frater & Conſanguineus*

**CAROLUS REX.**

**Guilielmus Mauritius.**

**(XV.)**

*Litera* LUDOVICAE MARIAE, *Reginæ Poloniæ, ad* EXERCITUM POLONICUM, *nexu charitativo junctum, cui periculoſa in Patriam conſilia diſſuadet, ſuosque ad ipſum Legatos commendat, 1661.*

Ludovica Maria, Dei Gratia, Poloniæ & Sveciæ Regina, Magna Duciſſa Lithuaniæ &c. &c.

*Generoſi, fideliter Nobis Dilecti.*

SCientes & conſiderantes, nullum laborem conatumque, hoc præſertim tempore, utiliorem eſſe gratioſioremque poſſe cenſeri, ſupra hunc,

 qui

qui sola sublevandæ salvandæque maxima ex parte debilitatæ & in dies profundius ruentis Reipublicæ perficiatur intentione. Visum ergo nobis est, pro re æquissima, & Reginali Nostræ Personæ competenti in terminis consuetæ nostræ, erga hanc Patriam propensionis, & optimi affectus stando, cum fidelitatibus Vestris, in negotiis, tam Rempublicam, quam Vestras tangentibus Fidelitates, per Reverendos Stanislaum Swizcickij Suffraganeum Wilnensem & Casimirum Szczuka, Custodem Posnaniensem, Legatos nostros, quibus integram dari cupimus fidem, conferre, nihil dubitantes, Fidelitates Vestras nostris æquissimis responsuras desideriis, ad idque sua collimatura consilia studiaque, nec ex ea, ad quam mundus stupet, occasione, bellis aliquo modo aperiatur campus: Quo sibi & nominibus suis immortalem gloriam apud seram conciliabunt posteritatem. Precamur interea, circa boni affectus Nostri declarationem, Fidelitatibus Vestris bonam a Deo salutem. Dat. Varsaviæ d. 25. Oct. 1661.

(XVI.)

*Responsoria EXERCITUS POLONICI, nexu fœderatitio vincti, ad præinsertas LUDOVICAE MARIAE, Reginæ Poloniæ, litras, 1661.*

Serenissima ac Clementissima Regina, Domina, Domina Nostra Clementissima,

SEmper Exercitus Regiæ Majestatis, Domini nostri Clementissimi & Reipublicæ aucupando sibi

ſibi perennantem apud ſera ſecula gloriam, ad minimum Regiæ Majeſtatis, vel etiam Ductorum ſuorum nutum, ad Patriæ paratisſimus erat defenſionem. Et ad præſens hoc idem, inextinguibili erga eam flagrando amore, paratus fuit reipſa conteſtari, niſi hiſce illius votis, ſummus, quo premitur, ex tam longa meritorum expectatione, ſecutus non obſtitiſſet defectus, in hoſticumque progredi poneret obices. Et quoniam Sacra Veſtra Reginalis Majeſtas, tanquam veris ſima Patriæ noſtræ mater, Exercitus condolendo vicibus, prætenſiones & neceſſitates ejus omni cura & ſolertia promovere intendit, maximas univerſus Sereniſſimæ Veſtræ agit gratias Majeſtati Exercitus. Deſideria per Legatos Reginalis Majeſtatis Veſtræ propoſita gratisſima Exercitus acceptavit mente, ad eaque realem dedit declarationem. Cæterum, univerſas ſuas injurias, damna, exinanitiones, cruoris effuſiones, vulnera, mutilationes, aliasque in genere omnes neceſſitates Sacratis Veſtræ Reginalis Majeſtatis totaliter ſubjiciendo pedibus, exercitus Favori ſe & Clementiæ Sacræ Reginalis Majeſtatis Veſtræ humillime recommendat. Dabantur Anno 1661.

(XVII.)

*Litera JOHANNIS CASIMIRI, Poloniæ Regis, ad TOTAM UNIVERSITATEM TRIUM CIVITATUM REGIOMONTANARUM, quibus eam gratiæ ſuæ, & conſtantis Privilegiorum avitorum patrocinii ſecuros eſſe jubet, 1662.*

Johanes Caſimirus Dei Gratia Rex Polo-

niæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Rusſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Czerniconviæque, nec non Suecorum Gothorum Vandalorumque Rex.

*Spectabiles fideliter Nobis dilecti.*

PErgrave Nobis accidit, eam a Fidelitatibus Veſtris jam olim præconceptam in hoc usque tempus foveri mentem; Nos, ſumma licet adactos necesſitate, dum pacta cum Sereniſſimo Electore Brandenburgico, Affine, conſanguineo ac Fratre Noſtro, innovaremus, per quæ ſupremum Jus Dominii in Ducatu Prusſiæ concedendum Eidem Sereniſſimo Electori venit, legibus & Privilegiis Fidelitatum Veſtrarum derogare quicquam voluiſſe. Non idcirco certe præjudicium aliquod Fidelitatibus Veſtris aut libertatum vel modicam diminutionem accerſere intendebamus; quin imo easdem per omnia volumus ſalvas ſartasque & tectas manere. Quod ipſum nunc etiam, quo notior provida circumſpectio noſtra eſſe posſit, præſentibus Literis declaramus, animumque Regium patentem manifeſtamus, nunquam per hujusmodi ſponſiones pactionesve, vel omnibus vel ſingulis, uti optime de Nobis Noſtrisque anteceſſoribus meritis ſtatibus derogare, vel minimam noſtram fuiſſe mentem: Noſtra potius Fidelitates Veſtras dignari protectione, utcunq; ſiniſtre aliquis fuerit interpretatus, nec unquam e patrocinio quoad hunc paſſum, dimittere Fidelitates Veſtras denunciamus. Atque hoc erga Fidelitatum Veſtrarum jura paternum eſt ſtudium noſtrum, quod ubi neceſſitas

poſtu-

postulaverit, palam testaturi sumus, de quo persuasas & securas esse cupimus Fidelitates Vestras Eisdem gratiam & benevolentiam Nostram Regiam contestaturi. Warsaviæ 30. Junii 1662. Regnorum Nostrorum Sueciæ & Poloniæ XV. Anno

(L. S.)

Johannes Casimirus.

*Inscriptio.*

Spectabilibus fideliterque Nobis dilectis duobus Scabinorum Cniphofiensium & Löbnicensium Collegiis, totique universitati trium Civitatum Regiomontanarum.

(XIIX.)

*Literæ JOHANNIS CASIMIRI, Poloniæ Regis, ad ALEXANDRUM PAPAM VII, cui, quo in arcto & præcipiti statu res Poloniæ, ob metuendum a Turcis bellum sint, submisse refert, atque eum ut Reipublicæ tot bellis laceratæ paterne subvenire contendat, impense precatur, 1667.*

POst oscula Beatorum pedum Sanctitatis Vestræ, meique ac Regnorum meorum quam humillimam commendationem. Triste omnino & quo minus speratum, magis dolendum Sanctitati Vestræ nuntium fero, rem Polonam adeo in arcto & præcipiti esse, ut jam non de opibus & fortunis, sed de salute ipsa prope desperetur. Christiani nominis teterrimus hostis, & Regnorum helluo Turca, quod non ambigua & nutante fama, sed certo certius exploratum

tum habeo, occaſionem malorum noſtrorum in commodum ſuum vertens bello me Regnumque meum impetere decrevit. Jam claſſicum horrendi belli Conſtantinopoli inſonuit, jam delectus Equitum peditumque & armorum ingens apparatus per Provincias Regno meo vicinas & longius remotas habetur fervetque. Jam hoſtilitatis Ottomannicæ prodromi ſeu primi Velites Tartari, cum ad hunc usque diem ſocietatis nomine & oſtentatione læſiſſent, & miſſis nuperrime iteratis nuntiis ac literis fidem ac obſequium erga me ac gentem Polonam obfirmaſſent, barbare jus omne & fas abruperunt. Jam non ſolum partem exercitus noſtri pro excubiis in Ukraina ſtantem & nihil adverſi opinantem conſpiratione cum Coſacis facta disjecerunt, ſed victoriæ impetu in alias cohortes, proximis Pruſſiæ & Volhyniæ oris hybernantes hoſtiliter invecti ſunt, & nonnullis facile diſperſis in ulteriores transviſtulanas Regni mei Provincias ſeſe effuderunt, terroremque & ſtragem, igne, ferro, longe lateque dedere. Cujus rei atrox fama, & flebilis vox Chriſtiani populi, fragorque cadentis Poloniæ, tametſi non dubito, quin ad aures Sanctitatis Veſtræ aliunde perveniat, tamen mei etiam officii duco calamitatum noſtrarum gnaram & certiorem Sanctitatem Veſtram facere, ut, quæ Parentum indulgentia eſt, propenſiore affectu liberis magis laborantibus immiſereſcat, ac, quod medici ſolent, ubi vulnus eſt, ibi manum benigne apponat. Vulnus equidem acerbum & lethale barbarorum perfidia

Polo-

Poloniæ nuper infixit, quod ne destituente Christianorum Principum opera & adjutrice manu immedicabile succedat mortemq; postremo Poloniæ, ac modico intervallo Christianæ viciniæ pestem & perniciem afferat, verendum. Antemurale Christianitatis pridem Polonia audiit, quo everso ac rupto hoc velut aggere quid proclivius, quam ut Barbaria omnis Germaniam primo, mox Christianum orbem inundet: Sustinuerunt & retunderunt olim Majores mei Reges Poloniæ ferociam & vim Tartarorum & Turcarum; stetit pro vallo & munimento invicta Polonorum virtus, ingenti gloria, egregia erga Christianitatem merito; Sed tot per annos continuis bellis variis eventibus per clades imo & per ipsas victorias domesticas attritos & fractos Nos non pudet fateri. Intelligat Orbis, existimet Sanctitas Vestra, non unum duntaxat Turcicum bellum Poloniæ imminere, quod potentissimi etiam Reges & validissimæ gentes reformidant, sed multarum & magnarum hostilitatum catena nos circumcingi. Moschus, facta cum Suecia pace, & abrupto nobiscum pacis tractatu arma minatur. Casacorum toties coercita rebellio iterum surgit, quidquid barbarum aut schismaticum est, contra Poloniam Catholicæ Religionis laude claram, eoque adversariis veræ fidei ingratam & invisam ex composito conspirat. Hæc profusius Sanctitati Vestræ non exaggero, sed perscribo, cujus Paterna gratia & Pontificia cura, mala nostra in animum, necessitates in sinum libenter, uti spero, admittere dignabitur. Erubescere non potest ultima necessitas, quæ nisi clementia Sancti-

Sanctitatis Vestræ sublevetur, actum & conclamatum erit. Destinavi specialem nuntium meum, auxilii ergo decenter & humiliter apud Sanctitatem Vestram implorandi, sed festinantibus periculis festinantius agere me cogit necessitas summa & vere ineluctabilis, nisi benefica manu Sanctitatis Vestræ expediatur. Hoc illud tandem venit tempus, quo Mater Ecclesia filios suos non derelinquat, sed sinu protegat, subsidiis juvet, arceat interitu. Hæc occasio gravissima est, qua se patrem mihi meisque populis Sanctitas Vestra ostendat, qua laboranti Christianæ Reipublicæ subveniendo tot simul beneficia non in unam duntaxat gentem Polonam fide, obsequio & avita veneratione Sanctæ Sedi devotissimam, sed in reliquam Christianitatem dignissime & incomparabili apud Deum & Orbem merito profundat. Edidit Sanctitas Vestra magnanimæ & Pontificiæ dignitatis specimen Rempublicam Venetam & Augustissimum Imperatorem adversus eosdem Turcas juvando. Quid ni speremeam etiam varietate bellorum & temporum accisam & in arcto positam fortunam magnitudine Pontificia & florentibus rebus Sanctitatis Vestræ adjutum iri. Quidni item speret Sanctitas Vestra restituta in integrum re Polona, si vel mutuo notabilis summa mihi credatur, Apostolicæ Cameræ integre restituendam fore. Quod reliquum est Sanctitatis Vestræ Paternis curis me meique Regni præsentissimas calamitates sollicite commendo. Dabantur Varsaviæ die 2. Januarii Anno 1667.

(XIX.)

(XIX.)

*Litera JOHANNIS CASIMIRI, Poloniæ Regis, ad CARDINALEM SANCTA-CRUCIUM, cui, ut rebus suis, durante præsentis belli Turcici tempore, pondus addere apud Pontificem haud gravetur, amice injungit, 1667.*

GRavissimæ calamitates Regni Nostri & impendentis Turcici belli inevitabile periculum adigit Nos repræsentare statum rerum Nostrarum Suæ Sanctitati, ejusque paterna deposcere auxilia. Confecti enim & exhausti per tot annorum bella retundendis simul tot hostibus præsertim Turcicæ potentiæ potentissimis etiam Regibus & validissimis gentibus formidandæ pares esse soli non possumus. Adjiciet notabile momentum Illustritatis Vestræ autoritas & in rem Polonam affectus. Cujus quo certiores sumus, eo magis & libentius apud Sanctitatem suam desiderio Nostro favere cupimus & amanter requirimus. Bonam interim a Deo valetudinem Illustritati Vestræ exoptamus. Dabantur Varsaviæ 2. Januarii, Anno 1670.

(XX.)

*Litera SENATORIS CUJUSDAM POLONICI, ad CARDINALEM URSINUM, Regni Poloniæ Protectorem, cui literas, Regis sui summo Pontifici confestim extradendas & Regni Poloniæ curam ac Patrocinium impense commendat, 1667.*

CUm hactenus ignari simus, utrum Illustr. D. Palatinus Calissiensis demandatam sibi a Sacra Regia

Regia Majestate, Domino meo functionem assumpserit, præsensque Romæ sit, & negotium impetrandi subsidii contra Turcas tractet. Visum est Regiæ Majestati epistolam de conclusa pace Polono-Moschovitica nuntiatoriam per manus Excellentiæ Vestræ tanquam Regni Protectoris Suæ Sanctitati præsentare, quam quidem pacem magnum rebus nostris momentum allaturam Roma speramus lætissime accipiet copias epistolæ Regiæ Eminentia Vestra, quas pro ejus duntaxat informatione confidenter mitto. Ab Imperatore Romanorum, ab Electore Brandenburgico, a Duce Venetiarum accepimus responsa plena officii, & propensæ erga Poloniam voluntatis. Dominus Radzieiowski primorum Episcoporum [illegible]re, ac præcipua Domini Episcopi Cracoviensis cura & conatu (ita animi mutantur) ad magnam legationem Turcicam promotus itineri se accingit, vix tamen primis diebus *April.* Adrianopolim ad Aulam Ottomannicam perventurum credo. Magnam spem habeo, quod dexteritas viri, utraq; fortuna exercita concurrente hac pace Moschovitica sistere, seu differre poterit hostilitatem Turcarum, tamen ut pacem abinde securam & duraturam habeamus, decrevit Seren. Reg. Maj. ingentem apparatum facere, & validissimum exercitum comparare, quo facilius barbari admiratione virium nostrarum ad reverentiam antiquam nominis Poloni flectantur, & non temporanee ad unum vel alterum annum, sed perpetuæ & solidæ paci consulatur. Quod si tamen fortuna melior aspirare incipiat, & charitativa subsidia Principum Christianorum, modo ea gratuita saltem

ſaltem per ſex menſes adſint, non dubitabit Ser. Reg. Majeſtas pro virium & temporum ratione bellum etiam Turcis inferre; præſtat enim externo bello ſemper Poloniæ felici militem diſtineri, quam ut viſcera Patriæ corruptis moribus ac diſciplina ſoluta corrumpat & tumultuetur. Dabantur Varſaviæ Anno 1667.

## (XXI.)

*Litera JOHANNIS CASIMIRI, Poloniæ Regis, ad JOHANNEM GEORGIUM II. Saxoniæ Electorem, a quo copias auxiliares ſibi contra Turcas ſubmitti obnixe rogat, 1667.*

**P. P.**

REgnorum Chriſtianorum continuæ prædæ inhians Turcica immanitas etiam Noſtrum, ne prætextu quidem ullo, nedum juſta cauſa gravi mole aggreditur. Jamque Tartaros a partibus Noſtris avulſos & Coſacos in protectionem noſtram receptos ceu prodromos in Ditiones Noſtras immiſit, qui delectam partem exercitus Noſtri in Polonia exiſtentem, amicitiæ eorum, quam Nobis etiam per nuperrimas Legationes & literas firmiter atteſtati ſunt, ſecuram inopinato oppreſſerunt, & potiorem Ruſſiæ partem crudeli excidio depopulati ſunt, mox totius vaſti ſui Imperii viribus nos propediem is ipſe totius Chriſtianitatis acerrimus hoſtis eſt aggreſſurus, innumeram gentium colluviem congregans in fines Noſtros, eo evidentiori periculo, quo magis lacerum & exhauſtum atrocibus bellis Regnum Noſtrum ſentimus. Quamobrem in tam

arctis rebus non alio præsentior recursus, quam ad benevolam & efficacem Principum Christianorum opem. Consulant & juvent amicam & de tota Republica Christiana benemeritam gentem, cujus bellica vi hactenus barbarorum insultibus pleraque Romani Imperii vicinia immunis extitit. Serenitatem Vestram pro eo, quem Christianæ Reipublicæ semper exhibet zelo, & pro cognato nobiscum affectu peramanter poscimus, nolit deesse favore suo & subsidio Regno Christiano periclitaturo, ni opem auxiliatricem invenerit. Non enim pudet fateri invictum olim Christianitatis antemurale variis eventibus per clades, imo & per ipsas victorias ita jam fractum & debilitatum esse, ut propulsandis simul tot hostibus, Turcæ, Moscho, Cosaco, Scythæ minime sufficiamus. Quod ut pium juxta ac gloriosum erit Serenitati Vestræ, ita a Nobis & hoc ipso Regno pari condignæ gratitudinis censu eidem rependendum. Pluribus actura est nomine Nostro specialis Persona a Nobis brevi ablegenda ad Serenitatem Vestram; interim festinantibus periculis festinantius agere & periculi Nostri magnitudinem exponere, ac auxilia etiam per literas præcursorias a Serenitate Vestra expetere consultum duximus. Reliquum est, ut Serenitati Vestræ bonam a Deo valetudinem & prosperitatem exoptemus. Dabantur Varsaviæ die 7. Mensis Januarii, Anno 1667.

Nota: *Literæ ejusdem tenoris & argumenti ad reliquos quoque Electores eadem die sunt exaratæ.*

(XXII.)

(XXII.)

*Litera JOHANNIS CASIMIRI, Polonorum Regis, ad FRIDERICUM WILHELMUM, quibus ipsum, dum proximus Poloniæ paries atroci belli Turcici flamma arderet, res suas agi edocet, eaque de causa sufficientes sustinendo torrenti suppetias ab ipso efflagitat, 1667.*

## Serenissime Princeps &c.

CRedimus equidem vel ipsius tristis famæ celeritate innotuisse Serenitati Vestræ, quomodo Tartari Cosacis rebellibus nostris sociati rupto per summum scelus fœdere inopinata impressione non exiguam partem exercitus Nostri, nihil minus quam hostilitatem aliquam ab ipsis metuentis nuper in Podolia oppresserint, effusisque consveto more agminibus ferro & flamma magnam Russiæ rubræ partem perverterint, innumeram promiscui status & sexus multitudinem in fœdam abducendo servitutem, eo magis dolendo casu quo perfidiori barbarorum astu, dum hi ipsi Soltani Ductores exercitus Tartarici, paucos ante dies, literas ad nos dederint, plenas amicæ contestationis & studiosissimæ erga fœdus juratum voluntatis, intuitu cujus obnixe rogabant, ut partem exercitus Nostri amandaremus ad conjunctionem armorum, cum ipsis contra mutuos ipsorum ac nostros hostes; sed hæ Tartarici fœdifragii simul ac damni nostri vices non sine remedio exindeque intra solatia existerent, ni altior Nos premeret cura nempe Turcicum Imperium tota virium mole proximo vere regno Nostro in-

cumbere velle, quamvis nullo nostro demerito vel causa, sed sola illa (qua immanis hæc bellua ad deglubenda Christiani Orbis Regna utitur) attritarum virium occasione ingens profecto tempestas imminet, cui avertendæ, post cœlestis anchoræ spem supremam, non aliud præsentius littus, quam amica vicinorum subsidia, quæ pro gravitate rei ac periculi ferventer imploramus. Cogitent utique alieno discrimine longe satius esse communem hostem propulsare, unitaque obniti virtute, ne dum singuli pugnemus, omnes vincamur. Quæ cura etsi ad quosvis Christiani Orbis Principes ex æquo pertinet, tamen Serenitatis Vestræ penitiorem sibi vendicat sensum ac trutinam, non posse non involvi casibus inprosperis Regni hujus (quos avertat Deus) Ditiones Serenitatis Vestræ utique non montium ac late patentium fluminum vel difficiliorum passuum objectu discriminatas, sed ipsi Poloniæ insitas imo ingenitas. Quamobrem SerenitatemVestram non jam pro cognato vel affini, aut benevolo dumtaxat respectu, sed pro Christiano ac vicino stimulo poscimus; velit prout Christiani nominis causam ita sortem ac defensionem una nobiscum communem habere, & non solum pactis expressa militum manu, verum etiam contra tam ingentis hostis vires, qui Tartaris, Cosacis, utrisq; Moldavis & Hungaris cum innumera aliarum Gentium colluvie inundare Poloniam certo certius intendit, quam maxima congrua ope Nobis assistere, non tantum Poloniæ aut cognato sanguini gratificaturus, sed & alieno periculo propriam tuiturus vel quæsiturus indemnitatem; Sed & apud circulos

los Principesque Imperii non gravetur Serenitas Vestra tam urgens ac pressum gravissimi periculi, quod & Nos deferimus, inculcare pondus & amico officio communes ad resistendum solicitare quantocyus vires & auxilia. Non solum pia, sed & gloriosa Serenitati Vestræ porrigit sese occasio juvandi, imo asserendi a barbarorum illuvie amici ac studiosi Regni, quod antemurale Christianitatis pridem audiit, nec corruere potest, quin ruina sua vicinos & Christianum Orbem involvat. Quod dum sincere Serenitati Vestræ repræsentamus, eidem longam incolumitatem & fortunatos successus apprecamur. Dabantur Varsaviæ die 7. Mensis Januarii, Anno 1667.

## (XXIII.)

*Litera JOHANNIS CASIMIRI, Poloniæ Regis, ad DOMINICUM CONTARENUM Ducem Venetiarum, a quo ad exterminandum Poloniæ immanissimos Christiani nominis hostes, efficax subsidium sollicite petit, 1667.*

### Serenissime Princeps, Amice Noster charissime.

CLadibus & ruinis Regnorum Christianorum inhians semper Ottomannica immanitas etiam Regno Nostro nullo prætextu, nedum justa causa ingentis belli molem minari & præparare dignoscitur. Quod non ambigua fama, sed certis indicibus & documentis Nobis constat, decretam esse contra Nos hostilitatem, jamque fortalitia in proximis Regno nostro locis construi & permuniri,

jam delectus militum contra Poloniam haberi, jam Tartaros a partibus Nostris abstractos, & Cosacos in protectionem receptos, ceu prodromos gravioris periculi in perniciem Poloniæ immissos, qui non solum delectam partem exercitus nostri, eorum amicitiæ securam, inopinato oppresserunt, verum etiam Russiam rubram crudeliter depopulati sunt. Crescente itaque discriminis magnitudine præcipue ob accisas vires laceri & tot cruentis bellis exhausti Regni Nostri non aliud præsentius remedium, quam recursus ad amicam opem. Hanc ab inclyta Venetorum Republica implorat Polonia eo fidentiori animo, quo magis perspectum habet prudentissimum Senatum (qui toto acerrimum Reipublicæ Christianæ hostem mediterraneo mari per tot lustra gloriose distinet) non passurum, ut campestres Polonorum excubiæ obruantur, & gens de re Christiana tam bene merita miserentibus duntaxat & non succurrentibus sociis periclitetur. Quod ut a Serenitate Vestra & tota Republica ob imminentis mali universam Christianitatem involventis periculum literario ad præsens officio expetimus; ita brevi per specialem personam a Serenitate Vestra & Republica subsidium efficax postulaturi, Eidem optimam a Deo valetudinem & lætos successus exoptamus. Dabantur Varsaviæ Mense Januario, Anno 1667.

## (XXIV.)

*Literæ JOHANNIS CASIMIRI, Poloniarum Regis, ad ALEXANDRUM PAPAM VII. a quo, ut Poloniam validis auxiliis contra Turcas propugnare*

*pugnare, sibique, tanquam filio in hostes fidei ruenti, benedictione, precibus, largitioneqae constanter adesse haud gravetur, modeste contendit, 1667.*

POst tot fatales Reipublicæ afflictæ jactationes & tam uberem Poloni sanguinis malorumq; Cataclysmum, & civilium ossium aggeribus cumulata busta, optata Pacis tempora Regno nostro pollicebamur, cum ex improviso oriens ab oriente turbo novas spes novis difflat timoribus, dum ille vetustissimus orbis Terrarum Archipyrata, eo metuendus omnibus, quod neminem metuat, jam regno nostro non solum per Fecialem suum atrox & sævum bellum proximo vere denunciavit, verum etiam ruptis fœderibus jurejurando sancitis, immiserit jam in Regnum nostrum, numerosissimas prædonum phalanges, imo plus quam 80000. militum cum Vradin Bassa Sultano, qui sociatis cum Doroszenko Duce Rebellium Cosacorum viribus, Ukrainam, & alias Regno nostro adnexas Provincias ferro & igne depopulantur, furunt audacia, ferrum flammamque minitantur. Insultant civibus ferro ad jugulum, & spoliatos autoritate, bonis, & caris pignoribus, in mortem deposcunt. Captis oppidis, arcibusque dirutis, nihil in patrio solo, nisi vasta rudera, altisque cineribus consepulta cadavera, & fumantium domorum tristes ex tanta fortuna reliquias insectantur, ac quemadmodum Leo post devoratam victimam, hærentem adhuc in rictibus cruorem lambit. Adsunt tot nuncii, certiores nos faciunt, tot vicos exustos, pagos eversos,

 urbes

urbes dirutas, oppida desolata, arces captas, templa profanata, omnia jura divina humanaque violata, omne fas & æquum depressum, omnium saluti imminet hostilis mucro, nihil in populo nisi metus sanguinis ac cædium expectatio obversatur. Ipse vero helluo Christiani cruoris, numero bellatorum tumidus, reportata Candiæ victoria superbus, Martem spirat, ut non amplissimis Asiæ & Africæ finibus contentus esse velit, sed cum ingentibus copiis & numerosissimo exercitu vario bellico apparatu, ad interiora Europæ per Poloniam festinat, pontes per varia flumina ædificat, transitus omnes viarum apparat, ad nihil jam, quam ad cædes & rapinas intentus. Ut igitur posita in extremis natura colligit vires in ultimum conatum omnes, spiritusque animales & quicquid vividi sanguinis residuum est, mittit in regionem cordis, prohibendo fortius hosti, qui in mortem instat; ita nos quidquid mediorum, consiliorum, possibilitatis demum omnis in regnis nostris adinvenire poterimus, totum id avertendo huic atrocissimo bello, sub cujus pondere gemeret Polonia, & in ea Christianus orbis solicite inpendemus, & novos eventus novis reparantes consiliis, nihil intentatum relinquemus, quo minus Regna a Deo tradita, & amplas has Provincias, omni meliori modo conservare valeamus. Et cum nihil profici posse patientia videmus, nisi ut tanquam facile tolerantibus duriora imperentur, Deo Duce, auspice fortuna, Sanctitatis Vestræ assistrice benedictione, sub cujus auspiciis domuimus jam potiorem Ucrainæ partem, sanguinem, vitam omnesque indefessos Regios conatus pro religione

&

& integritate Regni mei impendere & periclitantibus, afflictisque Provinciis opem ferre paratus sum, non laboris, non vitæ pro meis parciturus. Tot injuriis lacessitus statim ac verna resolutio subsequetur, cum meis exercitibus, non ignarus, virtutem, non numerum præstare triumphos, ibo ad tutandos limites Regni, quod semper fuit antemurale totius Christianitatis. Erit strata via per lauros, dabit mihi viam in ultionem, qui dedit imperii jus, Deus. Neque diutius exspectabo, ut hostes præparati imparatos invadant, providi improvidos opprimant, armati inermes jugulent; Sed quoniam contra communem & hæreditarium totius Christianitatis hostem, communibus armis bellandum est, idcirco nos decrevimus id remedium adhibere, quod in simili rerum discrimine non semel peperit incolumitatem orbi Christiano, scilicet ab omnibus Principibus suppetias efflagitare & precipue enixis precibus Paternitatem Vestram exorare, ut piis supplicationibus leniat iram Dei furore suo terram arguentis & hæc tonitrua ultionis omnipotentis, quæ universam exterrent Europam, & concutiunt fundamenta orbis Terrarum, procul à Regno nostro avertat, calamitatibus tot annorum, in quibus nemo nostrum impune vixit, imponat modum. Tum quo luculentius paternum affectum testari poterit, subsidio charitativo quantocius, summum enim periculum in mora, opem ferre afflictis Ecclesiæ & Poloniæ rebus non dedignetur. Optime præsaga spes Patriæ ominatur, & gentilitia illa Sanctitatis Vestræ, qua Ecclesiæ cœlo

prælucent ſidera, diuturnam turbido Patriæ noſtræ polo augurantur ſerenitatem.

Supplicat igitur devota ſemper Polonia Apoſtolicæ Sedi, quam Sanctitas Veſtra per tot annos præſentia ſua beavit, ut illam bello tam cruento, longo, periculoſo ſeſe accingentem, validis auxiliis propugnare non gravetur. Moveant continui luctus, & querimoniæ tot populorum, moveat ipſa Eccleſia, quæ extendit manus pro Religione, arisque ſuis. Non ſolum enim iſtis Provinciis meditatur excidium; ſed totius Europæ imperia audaci ſpe devorat, ita ut & ipſa Italia, quamvis mari alpibusque ſepta, hujus hoſtis ferociam non vane reformidare cogatur. Qui, dum non ita pridem ſubjugatos populos miſerrime divexat, oppida aut defenſa ſexpugnat, aut relicta ſuis inſidet præſidiis, aut pagos incendit, ad viſcera Europæ viam ſternit. Quis ſponſor, ut hæc fulmina, quæ in Regno noſtro detonant, Italiam minime attingant? Age, Beatiſſime Orbis Pater, virtute ſanctiſſimus, antequam titulo, orbos omnes ne derelinquas. Paterna benedictione, precibus, largitione filium in hoſtes fidei ruentem, anima, tutare, ſuccurre. Agnovi jam multoties erga me affectum Sanctitatis Veſtræ; non agam hic verbis, qui malim redamari agendo. Nunc finem ponam, non ante tamen, quam DEUM optimum, qui potens eſt in prælio, oravero, ut afflictos populos novatum victoriarum proſperitate ſoletur & ſalvum eſſe velit Eccleſiæ caput, Filio

Patrem

Patrem, cui sum ex cordis intimo. Dabantur, Anno 1667.

*Obedientissimus Filius*

Johannes Casimirus, Rex Poloniæ &c.

(XXV.)

*Responsoria LEOPOLDI Rom. Imperatoris, ad Literas JOHANNIS CASIMIRI Poloniæ Regis quibus, se Regno Poloniæ nec consilio nec opere unquam defore promittit, 1667.*

REddidit nobis Serenitatis Vestræ Minister, Baro Siri, ejusdem literas septima hujus anni datas, quibus de perfida & inexpectata plane Tartarorum cum Cosacis conspiratione, & fœda ab utrisque simul Quartianorum suorum facta strage, Russiæque rubræ devastatione significare voluit, simulque innuere & expendendum offerre, cum, quæ inde cura ipsum afficiat, ne belli; Turcici, quod magnis contra eandem appararetur viribus, sit prodromus, tum etiam, quæ ex eo pericula reliquæ Europæ, ac nostris quoque a tergo ditionibus imminerent, enixe precans, ut, cum nos, tum aliorum Principum Imperii & Christianitatis incitamento præeunti amico Regno subvenire, nunc vero quam primum Ministro nostro ad Aulam Ottomannicam Residenti injungere ac per literas quoque nostras ad Portam ipsam instare vellemus, ut a bello contra ipsam desistat, Tartarosque ab

ab excurſionibus coerceat. Quo condolentis animi ſenſu ea res nos affecerit, multis explicare nihil opus eſt, cum, ut communio periculi nos non tangeret, quæ maxime tangit, is noſter ſit, ſemperque fuerit erga Serenit. Veſtram, ut vicinum amicumque illud Regnum, plurimis de cauſis, propenſiſſimæ voluntatis affectus, non uno, uti Seren. Veſtræ ipſa bene meminit, documento monſtratus, qui nobis ejusdem adverſa non ſentire, aut negligere plane non permittat. Qua de cauſa ſicuti animo noſtro jam tum ſedit, ſi (quod Deum averſurum ſperamus) majora pericula ingruant, in auxilium Serenitatis Veſtræ cum cæteris Chriſtiani Orbis Principibus omnino concurrere. Ita, dum perſonam a Serenitate Veſtra eo nomine ad nos deſtinatam expectamus literas per proprium noſtrum Curſorem ad miniſtrum noſtrum Conſtantinopoli reſidentem jam nunc damus; quibus ei, quæ in hanc rem ſunt opportuna, committimus, prout de cætero Serenitati Veſtræ per Conſiliarium noſtrum Cameralem Aulicum Baronem de Magernberg pluribus referetur. Qui de cætero, ſicut Serenitati Veſtræ affectum fratris, conſanguinei & nepotis benevolentiſſimi ſemper integerrimum conſervamus, eidem omnium felicitatum, ſucceſſuumque cumulum ex animo vovemus. Anno Regnorum noſt. Romani 8. Hungarici 17. Bohemici vero 11.

*Bonus Frater & Nepos*

LEOPOLDUS.

(XXVI.)

(XXVI.)

*Litera MAHOMEDIS IV. Turcarum Imperatoris, ad JOHANNEM CASIMIRUM Poloniæ Regem, quibus se pacis conditiones ipsocum initas amice & comiter servaturum pollicetur* $\frac{1078}{1666}$.

Serenissime inter præfulgentes Majestate Dominos JEsum colentes, inter Monarchas gentium Messiam adorantium celeberrime, Arbiter operum Reipubl. Populorum Nazarenum sectantium, collis sublimitate honoris & dignitatis regni Polonici conspicue, gentiumque in dicto Regno nunc temporis moderator Joannes Casimire Rex Poloniæ, sint opera tua fausta ac prospera!

PEr literas nostras excellentissimas orbique fæcunditatem afferentes notum sit, quod verus ille Deus in altitudine gloriosus miraculorumque præillustrium potentia e cœlo altissimo confirmans magnum Prophetam nostrum totius orbis delitium, lectissimum inter Dei creaturas sidus, excellentissimum Prophetarum, omniumque Dei nunciorum obsignationem, Mahometem Mustafam, per eum super ditiones regimini nostro potentissimo subjectas ingentem sparserit miraculorum messem, dum Portam Nostram omnium hunc orbem incolentium asylum constituit, uti etiam nunc ad excelsum thronum nostrum, qui est fons & scaturigo potentissimorum, ablegastis ex fidelibus Officialibus eximium Dominum Jesum colentem, Hiero-

Hieronymum Radzieiovsky, propter contractam amicitiam, nixamque solido fundamento charitatem. Accessit is ad pedes supremæ nostræ Majestatis & ceu par morisque est, humili vultu nos veneratus, profusam nostram, qua orbis sustinetur, adoravit clementiam, quem nos sericis ornatum indumentis honorari jussimus, literæ deinde in nostrum transfusæ sermonem & per supremos Vezirios & dignitarios ad pulvinaria nostra supplices vestræ preces perlatæ sunt, scribitis, quod a longo tempore pacem hucusque nobiscum & amicitiam colentes, bonamque sancte conservantes vicinitatem nihil quod adversum nobis esset, commiseritis. Et hæc quidem causa est pacificationis omnium hominum & quietis filiorum Adami. Deinde liberationem & immunitatem a belli discriminibus rogatis, pacem nobiscum renovaturi ac firmaturi, uti Cæsarea nostra Majestas intellexit. Augustissimæ nostræ fores, tempore antecessorum nostrorum auspicato, semper notis ignotisque patuerunt, qui nostram sincere coluerunt amicitiam; quippe qui amicos se & vicinos bonos professi sunt, iis nunquam nostrum amorem favoremque denegavimus. Quapropter cum nec vestræ preces a Gratia nostra Cæsarea rejectæ fuerint, proinde jam prædicto Legato de renovando fœdere, pactis reassumendis, firmandaque & definienda pace sufficienter egimus: Cumque pacem fœdusque novum sanxissemus, supremo Numine ita volente, fatis concessit. Cui a vobis suffectus clarus in populo

Jesum

Jesum profitente Franciscus Casimirus Wysochi Pocillator Sochaviensis, qui ceu alter Legatus in id, super quo cum priore conventum erat, consensit. Quemadmodum igitur præteritis temporibus parens meus in Paradiso requiescens, Serenissimus Soltanus Ivraim Han, & avunculus inclytus, Sultanus Amurathes (quos Deus in profunditatibus Paradisi custodiat) tempore præpotentis regiminis sui ex absoluta sua potestate, literas pactorum dederunt, ita ego manu mea victoriosa augustas hasce antecessorum literas renovans, volo, ut tenor pactorum ac fœderis in iis expressus, sancte, uti decet ac fas est, conservetur. Cæterum Adyl Giereque Han, in augustum Chami Krymensis solium a nobis evectus, qui felicissima domo perpetuisque nixa fundamentis ortus, eandem perpetuo facis instar illustrat, quam antecessores ejus cum Antecessoribus Vestris sincere coluerunt amicitiam, eandem & ipse a vobis experiatur, & pensionum consuetarum compos subinde fiat. Cumque subdita vobis ante Cosacorum gens a Deo nobis data sit, Portamque Ottomannicam finibus suis protegendis delegerit, aureamque pacem & quietem desiderans, insignium nostrorum ornamenta susceperit, adeoque sub umbram Cæsareæ potestatis nostræ sese receperit: Idcirco cum nostro jam accenseantur imperio, aliorum exemplo statuum & despotarum in potestatem & obsequia nostra concesserint, nullatenus permittemus, ut vitæ fortunisque sive eorum propriis, sive præsidiariis damna inferatis, quin potius amici amicis

nostris,

noſtris, inimicis vero inimici eſtote, atque in officio firmiter perſiſtentes, rectum iter ad mutuam charitatem pergite, commodisque ac utilitatibus utriusque partis intenti, veram amicitiam, ſecundum honeſti præſcriptum, cuſtodite. Quamdiu igitur in amicitia conſtantes permanebitis, & ad fœderis noſtri præſcriptum nihil nobis adverſi attentabitis, nos viciſſim ex parte noſtra Cæſarea conditiones vobiſcum initas amice & comiter ſervabimus, easdemque ſupremis Veziriis & Officialibus ditionum noſtrarum limitibus invictisſimis præſidentibus ſedulo obſervandas ſevere mandabimus. Atque ſic volente Deo indies firmior ſtabilietur amicitia & bona vicinitas, miſerique & afflicti ſubditi multum inde emolumenti capient. Datum Adrianopoli die 5. Menſ.—Anni Hegirium 1078. hoc eſt Anno Chriſti 1666.

(XXVII.)

*Literæ JOHANNIS CASIMIRI, Poloniæ Regis, ad MICHAELEM ABAFFI I. Tranſylvaniæ Principem, quibus obſides a Rakozio olim Polonico exercitui datos, ſine conſenſu ejusdem liberos dimitti non poſſe aſſeverat, ſe tamen ſedulo operam daturum pollicetur, ut ei hoc in caſu ſatisfacere posſit, modo ipſe Misſionarios Catholicos Claudianopoli degentes ſuo patrocinio haberet commendatos, 1668.*

QUod Illuſtritas Veſtra per literas ſuas anni currentis ſolicite a nobis poſtulat, ut dati exercitui obſides a Principe olim Rakocio libere dimit-

dimittantur, id nos pro Regio & Christiano animo, & pro contestanda erga Illustritatem Vestram amica nostra propensione, eoque magis respectu, quod unus obsidum propinquo sanguine Illustritatem Vestram attingat, libenter, & nulla mora faceremus, si res a sola voluntate nostra dependeret. Movemur enim miseratione afflictorum virorum, qui alienæ iniquitatis pœnas immerito luunt, dedimusque clementiæ nostræ, quantum in nobis erat, specimen, cum eosdem compedibus, quibus onerati erant, exsolvi, & liberalius tractari jussimus. De hostilitate temere contra Nos & Poloniam suscepta Principis olim Rakocii nihil jam memoramus, tantum enim facinus, quo provincias nostras perdidit, ac ipse demum periit, nec excusari, nec reparari potest, illud duntaxat certum esse volumus Illustritati Vestræ, obsides, quorum causam agit, non nobis & Reipublicæ, sed exercitui Polono, & Magni Ducatus Lithuaniæ esse datos & consignatos. Minime itaque in manu nostra situm, ut eos pro imperio libertati demus. Eam enim ac grandem summam, quam Princeps Rakocius pactis & vadibus hisce relictis assecuravit, exercitus a nobis repeteret, & prout facile tumultuari ad præsens solet, per confœderationem extorqueret. Egimus nos benevole cum delegatis ab exercitu, qui præsentes in Comitiis sunt, de eliberatione memoratorum obsidum, sed illi facilitatem suam contestati ad extremum responderunt, minime sibi integrum esse sine scitu & consensu exercitus ea de re aliquid statuere, studium tamen & officia sua abunde promiserunt, prout Ablegatus Illustritatis Vestræ oretenus,

referet. Cæterum & Nos pro confirmanda erga Illustritatem Vestram Regia nostra propensione, autoritatem nostram exercitui per literas interponemus. Quo vero magis mutuis officiis, amicitia & bona correspondentia invicem promoveatur, Illustritatem Vestram fidenter compellamus, ut Sacerdotibus, sive Missionariis Catholicis Claudiopolim pro exercitio Religionis Catholicæ, non ita pridem ingressis, de permansione tamen sua minus forte securis, locum aliquem pro exstruenda residentia in eadem civitate Claudiopolitana cum libera permansionis, & exercitii Religionis Catholicæ concessione concedere, ac privilegio suo corroborare velit, minime ambigimus, Illustritatem Vestram id non æquitati duntaxat, & antiquæ Religionis libertati, sed etiam Nostræ Regiæ instantiæ haud gravate concessuram. Quod nos pari benevolentia nostra datis occasionibus rependemus. De reliquo Illustritati Vestræ bonam valetudinem, & prosperos a Deo successus apprecamur. Dabantur Varsaviæ Anno 1668.

## (XXIIX.)

*Literæ DOMINORUM ARBITRORUM, conficiendæ natæ de feudis Metensibus &c. controversiæ causa in S. R. Imp. constitutorum, ad LUDOVICUM XIV. Galliarum Regem, quibus Arbitrium suum præfracta Gravellii mente aliisque a Gallicis Præfectis interpositis obicibus valde impeditum fuisse conqueruntur, atque ut ipse dictum arbitrium autoritate sua ad exoptatum perducere finem haud dedignetur, obnixe ab eo efflagitant 1670.*

Sere

## Serenissime ac Potentissime nec non Christianissime Rex.

NOn dubitamus, quin Regiæ Majestati Vestræ successivis vicibus decenter relatum & notificatum fuerit, quid coram Arbitrio ad compositionem vel Decisionem Gravaminum a Decem unitis Civitatibus in Alsatia nec non a quibusdam Principibus ac Statibus circa feuda Metensia, Tullensia & Verodunensia, Interessatis propositorum tam ex parte Sac. Rom. Imperii, quam Majestatis Vestræ approbato, hactenus actum, & quod in causa dictarum Unitarum Civitatum ulterius non progressum, quam punctus juramenti solummodo examinatus fuerit; & postquam mox ab initio præfati arbitrii, nomine Regiæ Majestatis Vestræ, a Domino Plenipotentiario de Gravel, Declaratio facta sit, Majestatem Vestram desiderare, ut ratione juramenti a præfatis unitis Civitatibus præstiti, ulterius nihil moveatur, nec illud in dubium revocetur, ex parte Arbitrii e contra replicatum fuerit, quod Domini Arbitri sibi certo persuasum habuerint, dictum Dominum Plenipotentiarium de Gravel, non minus eo inclinaturum, ut materialia ipsa ventilentur; Quia vero præfatus Dominus Plenipotentiarius, ulteriores tractatus, priusquam punctus Juramenti, ab unitis Civitatibus præstandi rite esset constitutus, inhibuit; Tunc ex parte arbitrii motiva quidem in contrarium militantia demonstrata, eidemque aliud projectum juramenti communicatum fuit; nihilominus tamen sæpedictus Dominus de Gravel in sua opinione & resolutione

constans permansit, ex quo tota causa in tantam prolixitatem excrevit, ut bonus effectus per hunc modum procedendi neutiquam sperari possit, prout hæc omnia sæpedicto Domino Plenipotentiario de Gravel, cum debitis ac necessariis circumstantiis, sufficienter remonstrata fuerunt. Quoniam autem super hoc unico puncto, jamjam per triennium sine fructu tractatum fuit, Regia Majestas Vestra etiam constitutum hocce ad decidendas ejusmodi differentias Arbitrium ultro approbavit, atque ex hac parte aliud nihil intenditur, quam ut unicuique parti, omnia jura, quæ ipsis vigore Instrumenti pacis competunt, salva & inviolabilia permaneant, sæpe allegatus punctus Juramenti etiam multo facilius & citius resolvi posset, si prius materialia, super quibus præstandum, secundum ordinem propositum, determinata ac decisa forent; Idcirco Nos cum aliis electis arbitris, necessarium esse duximus, Majestati Vestræ omnia pro declaranda ac percipienda animi sui sententia, debito cum respectu repræsentare, non dubitantes, quod Regia Majestas Vestra, prout hactenus sæpius contestata est; quod aliud nihil desideret, quam id, quod ipsi vigore Instrumenti Pacis concessum est, ita etiam non detrectatura sit, breviorem talemque viam amplecti, per quam supra memorata gravamina, quæ tam unitas decem Civitates, quam Principes & Status circa feuda Metensia, Tullensia & Verodunensia Interessatos, contingunt, quantocyus & sine ulteriori temporis jactura, quod uti speramus, intra paucas septimanas, fieri potest, plenarie resolvi queant. Et quandoquidem Civitas Hageno-

Hagenoensis conqueratur, quod non obstante, quod Majestas Vestra in literis responsoriis, sub die 19. Septembr. Anni proxime præteriti ad Sacrum Romanum Imperium datis, sese declaravit, Ministris & Officialibus suis Regiis in Alsatia demandare in omnibus actionibus suis sese taliter exhibere, ut ex parte Imperii contra illorum modum agendi, nulla causa querelandi superesse possit, nihilominus tamen modo dicta Civitas Hagenoa, in diversis ad ipsam indubie spectantibus juribus de facto turbetur, prout hæc varia diversis vicibus exhibita, & sæpius nominato Domino de Gravel communicata memorialia, abunde demonstrant; Idcirco Nos una cum Nostris Coarbitris intermittere non potuimus, Regiam Majestatem Vestram cum debita, prout decet, observantia requirere & rogare, quatenus loco convenienti, severe mandare non dedignetur, ut Regii Ministri & officiales ab ejusmodi turbationibus, quantocyus desistant & dictam Civitatem in suis Juribus usque ad exitum hujus Arbitrii ulterius via facti nullatenus gravent, quod uti æquitati, nec non Instrumento Pacis, & Majestatis Vestræ sæpius repetitis sincerationibus conforme est, ita etiam speramus fore, ut realis effectus omnium supradictorum, per omnia sit subsecuturus. Hisce Regiæ Majestati Vestræ officia Nostra paratissima sincere offerimus, Eidemque vitam longævam, omnemque felicitatem Regiam ex animo apprecamur. Datæ die 21. Julii Anno 1670.

(XXIX.)

*Litera DUCUM BRUNSVICO - LUNEBURGENSIUM, ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem, de liberi commeatus tabulis Legatis Electorum & Principum S.R. Imperii iisdem titulis & tenore exhibendis ac longe exterminando omni rerum novandarum circa instantis pacis tractatus pruritu agentes, 1676.*

## Serenissime atque Potentissime Rex.

RElatum Nobis inter difficultates, quæ circa salvos conductus Plenipotentiariis ad Tractatus Pacis Neomagensis impertiendos obortæ sunt, & hanc etiamnum verti, quod illi, quos Principes Germaniæ ad memoratos modo Tractatus cum potestate & titulo Legatorum missuri, in Serenissimorum atque Potentissimorum Regum Galliæ, ut & Sveciæ salvis conductibus, non nisi nomine Deputatorum, Ministrorum aut Plenipotentiariorum insigniantur. Quanquam vero ita semper Nobiscum constituerimus, ubi de sopiendo bello, præsertim adeo atroci & exitiali, quale illud, quod nunc inter Christianos Principes geritur, agi velit, non indulgendum nimium iis, quæ citra injuriam omitti possunt, magisque ad splendorem inventa videntur, quam ut de cætero verum felicemque exitum promovere queant. Eo tamen modo, iisque rationibus rem hanc tractari videmus, ut jam quæstio sit non tam de titulo quam de jure Principibus abrogando, quo sane privari non possumus, ut non simul in periculum trahatur libertas, qua per tot secula

cula gavisi sumus. Cum vero hujus conservandæ studium, ad exemplum majorum Nostrorum, id Nobis semper fuerit, ut æquiori animo jacturam omnium aliarum rerum facere, quam quidquam admittere velimus, quod illam labefactare possit; Non intermittendum duximus, quin de præjudicio, quod Statui Nostro atque dignitati, nullo Nostro merito inferri velit, Regiam Majestatem Vestram decenter certioraremus,& rogaremus præterea, ut quandoquidem gloriosum Mediatoris munus, applaudente Orbe Christiano in se suscepit, plurimaque pacis obstacula summa prudentia atque æquanimitate removit, non minus Nobis se justam atque benignam præbere efficereque velit, quo, illibata dignitate Nostra, præfatis tractatibus Pacis intervenire queamus, a quibus nullo equidem modo excludi poterimus, ut non vis fiat pactis, quæ cum confœderatis diversimode licet inivimus, & legibus, quas neuter paciscentium neglectas penitus velit. Non petimus a Regia Majestate Vestra, aut altissime memoratis Regibus novos titulos ac honores. Moris antiqui maxima Nobis semper fuit reverentia,& sicubi ex illius præscripto agere libitum, non alius quispiam nobis facilius adstipulabitur. Id saltem desideramus, ne Nostris lis moveatur de charactere, quem illis largiri in potestate Nostra semper fuit. Nam & illo jure hactenus usi sumus, ut Ministros ad Imperatores, Reges, Principes atque conventus ablegaverimus, nunc sub titulo Legatorum, nunc alio minus conspicuo, prout rebus Nostris expedire visum. Neque id arbitrii Nobis adimi poterit, ut non

ipsum Legationis Jus, quo ab antiquo valemus, in dubium vocetur, aut nobiliori minuatur parte. Illud vero altissime memoratos Reges moliri, quo minus credamus, plurimas easque graves causas Nos habere putamus. A Vestra Regia Majestate mitiora utique expectamus, quam, cum justum reputaverit, ut Electorum Ministris ad dictos Tractatus pacificatorios mittendis titulus legatorum sive Ambassadeurs in literis securitatis tribueretur, ut Nobiscum durius agatur, æquum haud censebit. Quod enim discrimen in mittendis legatis inter Electores atque Principes Imperii intercedat, nec Nobis constat, nec, quo pacto asseri possit, conjicere licet. Sumus membra ejusdem Imperii, vivimus iisdem legibus; par in Principatus Nostros eorumque Vasallos & subditos ac Electoribus superioritas! Eadem Nobis jura belli, Pacis, fœderum, in quibus tractandis potissimus Legatorum usus. Eadem dignationis nomina & Electorum & Principum Legatis, qui in Comitiis Imperii comparent. Nec in hac quidem re Jus Imperatorem eligendi, quod Electoribus peculiare, haud difficulter arbitrabitur, cui nosse datum, qua ratione effectum, ut, quod olim omnium Principum fuerit, nunc paucis relictum, quibusque illa eligendi potestas circumscripta legibus. Quod si nihilominus ejus intuitu evenit, ut a quibusdam Regum titulos obtinuerint, quibus cæteros Principes Imperii promiscue compellatos esse in dubium a quibusdam vocari velit: Attamen non plane Nos deficiunt exempla ejusdem humanitatis ac benevoli

affectus

affectus. Et cum id omne non tam a potestatis illius Electoriæ dictamine, quin potius longe aliis rationibus, quas privatarum rerum studium, ut plurimum cuique suggessit, repetendum veniat, Nobis præjudicio aut fraudi esse non debet. Maxime, quod, uti jam innuimus, non de nudo quodam titulo nunc disceptatio, nec quidquid actum, ultra, quam quod partium mutuo consensu invaluit, extendi queat. Cæteros vero Principes in id consensisse, ut quorum opera uterentur in Legationibus, Deputatorum seu Ministrorum nomine distinguerentur ab Electorum Legatis, nullo, ut certo confidimus, argumento evinci poterit. Quin imo id; tum ex instrumento pacis Westphalicæ, tum tabulis fœderis, quod Christianissimus Rex anno hujus seculi quinquagesimo octavo cum nonnullis Electoribus ac Principibus Imperii contraxit, ac vulgo Rhenanum appellatum, horum Plenipotentiarios eodem titulo affectos, ad oculum liquet. Et quidem in tabulis fœderis modo dicti Rhenani, omnibus Legatorum titulus adscriptus. Id quod tanto fortius Nostram causam tuetur, ex quo in omnium, qui fœdus illud pertractarunt, recenti memoria, Deputatorum, tum titulum tabulis inseri voluisse, omissum vero, quod interpretationem recipere posset & dignitati & libertati paciscentium minime convenientem. Sane cum fervente bello ante octonnium intra altissime memoratum Regem Christianissimum, ut & Hispaniarum Regem Catholicum, Electorum atque Principum nonnullis visum, pacem procurare, missis ad utrumque Regem Ministris eadem potestate instructis, omnibus

idem honos contigit, nec ulla de prærogativa quadam tum quidem contentio, ut quo nunc quidem auctore illa suscitetur, tanto minus comprehendere liceat. Essent plura, quæ novitatem discriminis affectati redarguere possent, sed lubentes illis abstinemus, tum ne invidiæ causa quidquam dixisse videamur, tum quod persuasissimum habeamus, Regiam Majestatem Vestram sic quoque existimare, ad reducenda firmandaque pacis bona & id quam maxime pertinere, ut Principibus Imperii libertas, quam Deo Majorumque fortitudini acceptam ferunt, sarta tectaque servetur. Quod utique præstabit, si potentissimos Reges Galliæ ut & Sueciæ permoverit, ut literæ commeatus eadem pro Nostris ac Electorum Plenipotentiariis expediantur formula. Augebit in eo gloriam, quam jam dudum in obeundo mediationis munere sibi comparavit, immortalem. Neque a Nobis quicquam omittetur, quod Regiæ Majestati Vestræ gratum a Nobis proficisci poterit, dum interea animitus vovemus, ut divinum numen ipsi prosperrimos rerum largiatur successus. Dabantur 14. Augusti 1676.

Georgius Wilhelmus,
Johannes Fridericus,
Rudolphus Augustus, Duces
Brunsuico-Luneburgenses.

(L. S.)

(XXX.)

*Literæ PALATINI VILNENSIS, Magni Ducatus Lithuaniæ Exercituum supremi Ducis, ad HENRICUM*

*RICUM HORNIUM, summum copiarum Svecicarum per Livoniam Præfectum, quibus se ipsi propria autoritate liberum per Curlandiæ & Lithuaniæ ditiones in Borussiam Ducalem transitum permittere haud posse, exponit, 1678.*

Cum ab Illustrissima Excellentia Vestra insigne conservandæ pacis inter sacras Regias Majestates, Dominos Nostros clementissimos, Regnaque ista sibi contermina studium per literas, eoque nomine expeditam ad me delegationem percipiam, nihil justius, quam ut suave mutuæ pacis & concordiæ nomen grato pectore amplectar, ac proinde omnem limitum Sacræ Regiæ Majestatis Domini mei clementissimi mihi pollicear securitatem, utpote crebris Sacræ Regiæ Majestatis Sueciæ Legati Domini de Lilienhœck assecurationibus in conferentiis cum Senatu Polonico ex mandato Sac. Reg. Maj. Domini mei clementissimi institutis promissam. Ea vero quomodo ex circumstantiis tam numerosi exercitus Suedici, per Magni Ducatus Lithuaniæ Curlandiæque ditiones transitum parantis, subsistere potuisset, fusius Excellentiæ Vestræ Delegatis nobilissimis Domino Colonello Christiano de Stetken & Domino Assessori Benedicto Andreæ a Helmesen, ad concreditum iis memoriale reposui. Quorum illationes uti pergrate & amice exceptæ, ita eos ad requisitionem Excellentiæ Vestræ quantocyus cum omni honore expediendos esse duxi. Ego non modo ex persona mea augendis conservandisque amicæ vicinitatis argumentis, inter utriusque Regni confinia incumbam, verum

&

&animos Provincialium, de natura insitæ genti Nostræ rectitudinis & sinceritatis ullis artibus impervios (prout in literis Excellentiæ Vestræ imputatur) in eadem constantia fovendæ mutuæ pacis permanere perspectum habeo. Certum est extare in pectore meo veræ Christianæque compositionis argumenta, quibus præsentem rerum Suedicarum in Pomerania vicissitudinem prosequor, verum qua potestate dispensationem patriæ legis pactorumque & fœderum inter hæc inclyta Regna sancitorum, sine expressa Sacræ Regiæ Majestatis, Domini mei clementissimi, voluntate assensuque totius Reipublicæ mihi arrogare possim, non invenio: meam interea promptitudinem ad quævis præstanda (indemni Patriæ lege, munerisque mei obligatione) officia contestaturus, Excellentiæ Vestræ optimam valetudinem prosperosque rerum successus ex animo apprecor. Dabantur Anno 1678.

## (XXXI.)

*Literæ FRIDERICI WILHELMI, Electoris Brandenburgici, ad COMITEM a KONINGSMARCK, supremum copiarum in Pomerania Suecicarum Præfectum, quibus se transmissæ in Sueciam militum Suecicorum manus infausto atque plane inopinato naufragio ad Insulæ Bornholmiensis littora ejectæ a Danis hostilem in modum exceptæ fata ægre ferre testatur, ejus vero e captivitate liberationem ad Daniæ Regis beneplacitum frigide remittit, 1679.*

Ulti-

ULtimæ Domini Comitis literæ, die 14. Mensis Decembris ſcriptæ, recte Nobis ſunt redditæ. Ex illis abunde intelleximus, cum querelas, quibus copiæ Regiæ, ad Bornholmiam nuper Inſulam naufragio ejectæ, præter ſolitum duriter nimis ac aſpere a parte Danorum haberi tractarique dicuntur, Nobis repræſentatas; tum præprimis Noſtras ad prædictum Sereniſſimum Daniæ Regem conciliatorias, ſive commendatitias literas, easdem efficaces deſiderari, quibus dictæ militari manui Suecicæ iſthic locorum, hoſtium ritu habitæ & in captivitate detentæ, ſecundum pacta a nobis inita, priſtina ac integra libertas ſine mora reſtituatur, tutusque procul omni obſtaculo in Sueciæ Regnum trajectus expediatur. Verum Nos in bona adhuc habemus memoria, quid circa transportationem illarum copiarum inter Nos convenerit pactique ſimus. Nempe huc tota res redibat, ut, Noſtris impenſis neceſſarias naves, requiſita ac debita alimenta, & præterea liberi commeatus diploma, a Sereniſſimo Daniæ Rege per Nos impetratum, ſuppeditaremus. Quæ omnia, teſte ipſo Domino Comite, nullis parcentes ſumptibus accurate atque ad amuſſim præſtitimus. Tum nemo fœderatorum Noſtrorum naves militesque Suecicos in ſuo per mare itinere invaſit hoſtiliter. Quare Nobis exprobrari non poteſt, pacta & conventa a Nobis ullo modo violata fuiſſe. Quod vero maximum per infortunium & homines & naves horrendo naufragio in littus Inſulæ Bornholmienſis ſint ejecti, id eſt, quod

quod valde familiariter & eo, qui Principem Christianum decet, animo, dolenter ferimus, agnoscimusque cladem divinitus esse illatam, quæ extra potestatis Nostræ arbitrium consistit, quæque nec prævideri, nec consilio regi potuit. Et hinc circa illam rem nihil certi nos statuere valere necessario profitemur; verum quicquid hujus quærendum, faciendumque fuerit, id omne ad Serenissimam Regiam Majest. Daniæ remittimus. Quod restat, subit mirari, esse homines, qui asserere conantur, eoque nominatim nostrum onerare non verentur Navarchum, Cornelium Nicolaum de Beveren, quasi ille sua culpa & deliberato animo istius naufragii causa extitisset, idque significatum quoque esse Domino Comiti. Quod quidem eo gravius ferimus, quo magis hæc res honorem Nostrum & existimationem concernit. Mandavimus propterea serio & injunximus omnibus Nostris severe, ut in id negotii strictissime inquireretur, quo Nobis de eo constaret liquido, & prædictus Navarcha, siquidem ejus culpa tam nefandum & abominabile facinus, quod Nobis ipsis tres naves & multis subditis Nostris omnes fortunas evertit, sit admissum ac perpetratum, quod tamen de eo, tanquam honesto & vitæ integro apud Nos semper habito viro, non præsumimus, meritum lueret supplicium; simulque innotesceret mundo, Nos ejusmodi scelera consuevisse haud sine gravi animadversione prætermittere. Sin autem extra culpam fuerit idem deprehensus, petimus & postulamus, ut illi quoque, qui conficta hæc mendacia, quibus de fama Nostra haud parum detrahitur, spargere

gere

gere ausi sunt, suas sustineant pœnas, & dignum maledictis suis ferant præmium; de cætero manemus &c. Cukernessæ, die 4. Febr. Anno 1679.

(XXXII.)

*Litera ORDINUM REGNI HUNGARIÆ Evangelicorum ad COMITEM ESTERHASIUM, Regni Hungariæ Palatinum, quibus ab eo obnixe contendunt, velit Religionis suæ Sacerdotes, munus sacrum sub præsenti diæta obeuntes, firmissimo Patrocinii sui clypeo protegere, 1681.*

Celsissime Comes, Regni Palatine, Domine Domine gratiosissime.

QUantum temporis sub præsentis Generalis diætæ decursu consumpserimus, spatium, dum Celsitudini Vestræ apprime constet, eidem longa rei enumeratione molestiam facessere noluimus. Fatemur nihilominus pretiosi temporis decursum eo molestius & dolentius Nos ferre, quod huc usque ecclesiasticis & linguæ Nostræ peritis personis destituti, cultum Dei exercere nequiverimus. Et cum ejus simus propositi, ut conscientiis nostris passu quoque in isto consulamus & satisfaciamus: Celsitudinem Vestram uti post Deum, & suam Majestatem sacratissimam, Legum & Statutorum Patriæ supremum assertorem & columen, humiliter exoramus, dignetur eam Celsitudo Vestra in passu legalis intentionis Nostræ inire paterno affectu rationem, ne personas Religionis & linguæ Nostræ Ecclesiasticas, nobis in cultu Divino servituras,

turas, per quoſpiam impediri vimve pati contingat. Quin potius autoritate Celſitudinis Veſtræ Palatinali una nobiſcum, citra injuriam in Libertate aſſeri & defendi poſſint. Quam Celſitudinis Veſtræ gratiam perpetuis ſervitiis noſtris demereri adnitemur,

Celſitudinis Veſtræ

*humillimi ſervitores*

*Data Sopronii, die 20.*
*Junii An. 1681.*

Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici, in præſenti Diæta Sopronienſi congregati.

*Inſcriptio.*

Ad Celſisſimum Comitem, Dominum Dominum Eſzterhazi, perpetuum de Frakno, Regni Hungariæ Palatinum, Sacri Romani Imperii Equitem, Judicem Cumanorum, Comitatuum Sopronienſis, nec non Peſt, Pilis & Zold unitorum ſupremum Comitem, Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Camerarium, Conſiliarium intimum & per Hungariam locum tenentem.

FINIS

PARTIS SECUNDÆ.





